Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/institutioneslog0000stho

PHILOSOPHIA LACENSIS

SIVE SERIES INSTITUTIONUM

PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE

EDITA A PRESBYTERIS SOCIETATIS IESU

IN COLLEGIO QUONDAM B. MARIAE AD LACUM

DISCIPLINAS PHILOSOPHICAS PROFESSIS

INSTITUTIONES LOGICAE ET ONTOLOGICAE

PARS I

INTRODUCTIO IN PHILOSOPHIAM — LOGICA

FRIBURGI BRISGOVIAE
B. HERDER
TYPOGRAPHUS EDITOR PONTIFICIUS
MCMXIV
ARGENTORATI, BEROLINI, CAROLSRUHAE, MONACHII, VINDOBONAE,
LONDINI BRITANNIAE, S. LUDOVICI AMERICAE

INSTITUTIONES LOGICAE ET ONTOLOGICAE

QUAS SECUNDUM PRINCIPIA

S. THOMAE AQUINATIS

AD USUM SCHOLASTICUM

ACCOMMODAVIT

TILMANNUS PESCH S. J.

PARS I

INTRODUCTIO IN PHILOSOPHIAM — LOGICA

EDITIO ALTERA, ABBREVIATA, EMENDATA, NOVIS AUCTA

A

CAROLO FRICK S. J.

FRIBURGI BRISGOVIAE
B. HERDER
TYPOGRAPHUS EDITOR PONTIFICIUS
MCMXIV
ARGENTORATI, BEROLINI, CAROLSRUHAE, MONACHII, VINDOBONAE,
LONDINI BRITANNIAE, S. LUDOVICI AMERICAE

Imprimi potest

Paulus de Chastonay S. J.
Vice Provincialis

Imprimatur

Friburgi Brisgoviae, die 15 Maii 1914

De mand.
Schmitt

Omnia iura reservantur

Typis Herderianis, Friburgi Brisgoviae

Printed in Germany

PRAEFATIO AD EDITIONEM ALTERAM.

P. Tilmannus Pesch die 1 Februarii 1836 Coloniae natus et anno 1852 in Societatem Iesu ingressus est. Postquam studiis magna cum laude absolutis per aliquot annos philosophiam docuit in collegio B. Mariae ad Lacum, Aquisgrani in cura animarum laboravit. Anno 1872 in exsilium pulsus, ad Belgas se recepit, et scriptoribus foliorum periodicorum „Stimmen aus Maria-Laach" adiunctus, de rebus philosophicis, imprimis modernis, commentationes scripsit; porro seriem libellorum „Ergänzungshefte zu den Stimmen aus Maria-Laach" incohavit ab opusculo de scientia moderna erronea, cui mox alterum addidit de philosophia critica Kantii et postea tertium „Das Weltphänomen". Anno 1876 ad cathedram philosophiae in collegium Societatis Iesu Blyenbeek revocatus, coepit componere opus illud egregium „Die großen Welträtsel", in quo primarias philosophiae naturalis quaestiones ita exposuit, ut simul earum conexionem cum praecipuis totius philosophiae veritatibus dilucidaret. Huius operis duobus voluminibus absoluti altera editio auctore vivo, tertia vero editio post ipsius obitum prodiit. Scripsit praeterea multa ad catholicae veritatis defensionem, inter quae eminet opus illud „Hamburger Briefe". Pro sua autem pietate et animarum zelo non potuit contineri scribendis libris scientificis; itaque composuit libellum precum alium ad usum militum, alium ad usum virorum catholicorum eruditorum, cui titulus: „Das religiöse Leben", qui iterum iterumque iam editus est atque ab omnibus qui eo utuntur maxime amatur. Lectori meditanti magis adaptatus est ille liber, qui inscribitur „Christliche Lebensphilosophie".

Laboribus lectoris philosophiae et scriptoris assiduis vir ille industrius non impediebatur, quominus saepe alios adiuvaret in missionibus et exercitiis tradendis et omni operi ad promovendam rem catholicam suscepto suis viribus adesset. Ipse per multos annos erat membrum illius societatis, quam sub nomine Iosephi Görres ad augendam, perficiendam, propagandam scientiam catholicam viri docti fecerunt; ipse cum aliis suum contulit in fundanda societate „Volksverein für das katholische Deutschland". Neque a

laboribus cessavit nisi viribus fractis. Cum enim morbo molesto iam ita impediretur, ut vix ab aliis adiutus in viae ferreae currum ascendere posset, nihilominus semper paratus erat ad suscipiendum iter et laborem apostolicum. Morbi molestiis patienter toleratis e vita labore et meritis plena ad mercedem avocatus est in collegio S. Ignatii Valkenburgensi die 18 Octobris 1899 summo mane, cum interim Patres ad sacrum pro ipso offerendum praesto fuerunt. R. I. P.

His de auctore eiusque operibus praemissis, iam de opere cuius novam nunc editionem paravi, aliqua exponenda sunt. Ipse Pater Tilmannus Pesch id potissimum urgebat, ut Patres qui ante exsilium in collegio Lacensi philosophiam docuerant, monitis S. Pontificis Leonis XIII de promovenda philosophia perenni obsecundarent edito cursu integro philosophiae scholasticae nostris temporibus prudenter adaptato. Qui cum ad id tempus sperarent fore, ut dura lege mox sublata in patriam et in collegium Lacense redire sibi liceret, hunc philosophiae cursum nominarunt Philosophiam Lacensem. Sed totus cursus in exsilio compleri debuit. Ad lacum interim Deo propitio revixit venerabilis abbatia filiorum S. Benedicti. Titulus igitur tum Philosophiae Lacensis tum Collectionis Lacensis actuum conciliorum tum foliorum periodicorum „Stimmen aus Maria-Laach“ non respicit tempus praesens, sed est historicus. Sic memoriae proditum est possessionem veteris illius abbatiae, quae tempore tristi suppressa et in saecularem usum transmutata erat, tandem Patribus Benedictinis feliciter restitutam esse, postquam satis diu in dominio Societatis Iesu fuit. Quae cum non omnibus nota sint, ad titulum operis explicandum commemoranda esse censui.

Iam de cursus ipsius partibus aliqua brevissime adiungo. Primo prodiit philosophia naturalis (1880), auctore ipso Patre Tilmanno Pesch; quae ipso vivo secundo edita est anno 1897. Aliis Patribus impeditis, ipse etiam institutiones logicas et psychologicas exaravit; institutiones iuris naturalis P. Theodorus Meyer edidit et theodiceam sive theologiam naturalem P. Iosephus Hontheim.

Institutionum logicalium nova editio iam ab aliquot annis desiderabatur; sed non statim praesto fuit, qui ad opus illud suscipiendum vacaret. Cum igitur Deus mihi morbo gravissimo per operationem felicem curato vitam iam fere desperatam benigne servasset, a superioribus rogatus libenter id suscepi. Auctorem operis optime novi; non quidem logicam, sed cosmologiam et psychologiam ipso lectore audivi; ultimis annis eius vitae ipsi familiari amicitia iunctus, ipsi morienti adstiti. Praeterea age-

batur de nova editione eorum voluminum Philosophiae Lacensis, quae duabus prioribus partibus cursus philosophici ad usum scholae adaptati respondent[1]. Gratus igitur mihi accidit labor, nec tamen omnino facilis; nam et multa nova erant respicienda vel addenda et optatum erat, ut totum opus ad minus volumen redigeretur, quod sine multiplici rerum diminutione et ordinis mutatione fieri non potuit. Quae lectori breviter videntur esse explicanda.

Ac primo quidem opus diminui potuit. Nam cum P. Pesch institutiones logicales exararet, nondum prodierant institutiones psychologicae, quae ne per aegritudinem eius, qui eas parandas susceperat, diutius differrentur timendum erat. Quam ob rem P. Pesch satis multa iam in hoc opere explanavit, quae ex professo in psychologia tractanda sunt. Quae omnia in hac altera editione vel exclusa vel breviter tantum pro necessitate indicata sunt. Praeterea omissus est conspectus historicus (vol. I, p. 25—103) et appendix historico-criticus (vol. III). A multis enim diu iam desideratur, ut Philosophiae Lacensi addatur volumen proprium continens philosophiae historiam. Ad eiusmodi igitur volumen illa transmitto et in nova editione huius operis ea sola notavi, quae ex historia ad singulas quaestiones necessaria sunt. His omissis et aliis mutatis id effectum est, ut altera editio ad duo reduceretur volumina.

Ad eundem finem obtinendum multum contulit mutata dispositio. In priore enim editione auctor ipse totam materiam distribuerat ita, ut volumine primo (Parte I) logica minor absolveretur duobus libris. Libro priore, qui inscribitur doctrina propaedeutica, quattuor capitibus exponebantur praenotiones generales de philosophia et praenotiones historicae, psychologicae, methodicae. Libro altero tradebatur dialectica. Logica maior (Pars II), complectens volumen secundum et tertium, tribus constabat libris, quibus disputatio praevia in logicam maiorem praemissa erat. Iam liber I (III) erat de logica critica, liber II (IV) de logica formali per quaestiones uberius explicata; in hoc libro (quarto) accuratius agebatur de universalibus, de iudicio, argumentatione, scientia. Denique liber III (V), in volumine tertio, continebat logicam realem, „in qua ponuntur quaestiones ontologicae".

Quae rerum divisio licet iis, quibus tempus vacat, iucunda sit, id tamen incommodi habet, ut necessario satis multa repetantur.

---

[1] Cursus philosophicus in usum scholarum, Friburgi: *C. Frick* S. J., Logica[4], 1908; Ontologia[4], 1911. *H. Haan* S. J., Philosophia naturalis[3], 1906. *B. Boedder* S. J., Psychologia rationalis[3], 1906; Theologia naturalis[3], 1911. *V. Cathrein* S. J., Philosophia moralis[10], 1914.

Iam ipsa divisio logicae in dialecticam et criticam, quae divisio nostris praesertim temporibus omnino necessaria esse videtur, ratio est cur satis multa, licet sub diverso respectu, bis tractentur. Omissa igitur divisione in logicam minorem et maiorem, totum tractatum logicum reduxi ad libros duos: dialecticam et criticam, qui, praemissa introductione in philosophiam universam et in logicam, continentur hoc volumine. Volumen alterum continebit secundam totius operis partem, scil. metaphysicam generalem seu ontologiam, et cum prioris editionis volumine tertio congruet. Libro enim isto III (V) auctor de iis omnibus, licet non eadem ratione completa, egerat, quae ordinarie tractantur in ontologia; quare Philosophiae Lacensi non potuit addi volumen proprium de ontologia. Titulus igitur integri operis, ut perfectius ea significet, quae opus continet, non iam est „Institutiones logicales", sed „Institutiones logicae et ontologicae". Atque haec quidem quae dixi sufficiant ad explicandam totius operis novam dispositionem. Quae speciatim de parte secunda, prioris editionis libro quinto, notanda sunt, lector inveniet in introductione ad partem istam. Pauca et magis specialia de ordine mutato in hoc priore volumine addam.

Praenotiones generales de ipsa philosophia auctae sunt duabus paragraphis de relatione philosophiae ad alias scientias et praecipue ad theologiam. Haec addita ex iis complevi, quae auctor in priore editione in vol. II, libro II (IV), disp. IV disputavit, sed quaedam transmisi ad theologiam fundamentalem, ubi ea tractari solent. Praenotiones in logicam ex iis adaptatae et completae sunt, quae ab auctore et per praenotiones psychologicas (vol. I, n. 89 sq) et per introductionem in dialecticam (vol. I, n. 195 sq) et logicam maiorem (initio vol. II) dispersa sunt. De praenotionibus historicis et psychologicis iam dixi. Praenotiones methodicae de definitione, divisione, methodo, quae capite IV libri I habebantur, nunc suo loco in ipsa dialectica sunt positae. Cetera quae in libro II et III inveniebantur, suum fere locum et ordinem retinuerunt; aliquas tamen huius libri tertii quaestiones ad psychologiam transmisi, imprimis disputationem VI (vol. II, p. 366—400). Quae libro quarto sub titulo logicae formalis fusius explicabantur, ex iis alia brevitatis studio omisi, alia suo loco in dialectica et critica addidi, in quantum erat opportunum.

Hac rerum dispositione id etiam effectum est, ut nova, quantum necesse fuit, suis locis inseri possent. Haec omnia vel breviter enumerare longum est; aliqua notasse sufficiat. Ex rei tractandae natura colligitur, pauciora fuisse mutanda vel complenda in dia-

lectica quam in critica. In dialectica accuratius exposita sunt iudicii natura et ea quae referuntur ad syllogismos modales, imprimis de consequente necessario et impossibili. In critica autem ad refutandum scepticismum thesibus auctoris novae additae sunt, scil. thesis 4 de relativismo et 5 de subiectivismo (n. 445—463). Tractatum de experientia externa melius disposui et nova tentamina ad solvendam quaestionem de qualitatum sensibilium valore obiectivo examinavi. Ad disputationis II caput III de fonte extrinseco cognitionis accessit thesis (33) de valore theoretico seu speculativo auctoritatis et fidei, qua error refutatur Kantii et aliorum, secundum quos vel ratio practica vel fides non fundat theoreticam rei postulatae vel creditae veritatem obiectivam speculativam seu proprie dictam. Disputationi II post defensam singulorum fontium veracitatem adiunxi caput IV de necessaria ad cognitionem humanam fontium distinctione et coniunctione (thes. 34, n. 744 sq). Tandem in disputatione III de certae cognitionis principio error modernus pragmatismi reicitur, qui in America per James, in Anglia per Schiller, in Germania per Jerusalem, et sub alia forma in Gallia per H. Bergson propagatur.

Doctrina ipsa, quam auctor in priore editione tradidit, nullibi corrigenda, sed potius complenda fuit et perpolienda. Quae ex plurimis omnis temporis auctoribus vel ipse auctor allegaverat vel ipse attuli, diligenter cum ipso fonte comparavi, ita ut errores saltem frequentes non irrepsisse confidere mihi liceat.

Alterum editionis volumen, Deo favente, brevi sequetur.

Valkenburg, in Collegio S. Ignatii, die 17 Maii 1914.

Carolus Frick S. J.

INDEX IN PARTEM PRIMAM.

INTRODUCTIO IN PHILOSOPHIAM UNIVERSAM ET IN LOGICAM.

CAPUT I.

Pag.

Praenotiones generales de philosophia . . 1

§ 1. De ipsa philosophia 1
Notio 1—3 [1], definitio realis 4—6, excellentia, difficultas, utilitas 7—10, partitio 11—17, ordo partium 18 19.

§ 2. De relatione philosophiae ad reliquas scientias ordinis naturalis 17
Philosophia excellit extensive et intensive 20, non tamen est scientia unica universalis 21, non exsistit principium deductivum unum omnis scientiae 22, multiplex inter scientias relatio et subordinatio 23—26, reicienda est absoluta libertas scientiae 27—29.

§ 3. De relatione philosophiae ad theologiam 22
Differunt obiecto materiali, obiecto formali, principio 30—34, nulla oppositio 35 36; philosophia a theologia pendet et quidem vere 37 38, intrinsecus, i. e. ex principiis philosophiae ipsius 39, sed tamquam a norma extrinseca et per se negativa 40, ancilla 41, theologiam adiuvat tripliciter 42—44.

CAPUT II.

Praenotiones de logica 29

§ 1. De obiecto logicae 29
Cognitionis notio 45; cognitio sensitiva 46, intellectiva 47; tres operationes mentis constituunt obiectum materiale logicae 48—51, obiectum formale logicae est cognitionis intellectivae rectitudo et veritas 52.

§ 2. Logicae natura et definitio 33
Logica naturalis et artificialis 53, logicae artificialis seu scientificae definitio 54, eius auctor Aristoteles 55; logica est scientia 56, practica 57 et speculativa 58 et ars 59 et est pars interna philosophiae 60, logicae necessitas 61 62.

§ 3. Logicae divisio 40
Dialectica et critica 63—66; generalis, specialis 67.

---

[1] Indicantur numeri marginales.

LIBER I.

Dialectica.

Pag.

Dialectica quid 68, divisio 69 70 45

CAPUT I.

De prima mentis operatione, i. e. de apprehensione . 47

SECTIO I.

De termino mentali seu de idea . . . 47

Articulus I. De apprehensionis et ideae notione . . . 47

§ 1. De praecipuis actibus apprehensivis 47
Apprehensio quid 71; attentio, abstractio 72, reflexio 73, comparatio, synthesis 74, intentio 75.

§ 2. De idea (seu conceptu) 49
Varia nomina 76: ideae obiectum, comprehensio, extensio 77.

Articulus II. De idearum partitionibus 51

§ 1. Partitio idearum ratione originis 78 79 51

§ 2. Partitiones idearum ratione obiecti 52
Ratione comprehensionis 80—82, ratione extensionis 83 84. Universale directum et reflexum 85. Praedicabilia 86, quinque 87: generum et specierum subordinatio 88, arbor Porphyrii 89. Categoriae 90—93.

§ 3. Partitiones idearum petitae ex perfectione repraesentationis 94—99 62

Articulus III. De ideis inter se relatis 65
Conceptus conexi et disparati 100, identici et diversi 101, sociabiles et repugnantes 102, oppositi 103 104.

SECTIO II.

De termini interni signo sive de termino externo . 68

Articulus I. De signo in genere et de ideae signo . 69

§ 1. De signo: quid sit 106, partitio 107 69

§ 2. De vocabulis (et scriptura) 108—112 70

Articulus II. De terminorum externorum partitionibus . . 74

§ 1. Partitiones secundum vim significandi 113 114 . . . 74

§ 2. Partitiones terminorum secundum comprehensionem 115—118 75

§ 3. Partitiones terminorum secundum extensionem 119 . . 78

Articulus III. De usu terminorum 78

§ 1. De suppositione terminorum 121—128 78

§ 2. De terminorum usu modificato 129—131 83

SECTIO III.

Pag.

De divisione et definitione (seu de ideis per ipsam primam operationem perficiendis) 85

Articulus I. De divisione 85

§ 1. Divisionis notio et species 85
Divisio, totum, pars 133, totum reale, metaphysicum, physicum, essentiale, integrale 134, totum logicum, potestativum 135; divisionis species 136 137.

§ 2. De divisionis legibus 89
Regulae 138; adnotatio historica de divisione 139.

Articulus II. De definitione 90

§ 1. Definitionis notio et species 90
Definitio quid 140; nominalis 141, realis, descriptiva, accidentalis, propria, causalis, genetica 142, essentialis, physica et metaphysica 143.

§ 2. Definitionis leges 144 145 93

§ 3. Definitionis usus et methodus 94
Usus 146 147; methodus 148, methodus divisionis synthetica 143, collectionis analytica 150 151; adnotatio historica de definitione 152.

CAPUT II.

De secunda mentis operatione, i. e. de iudicio . 98

SECTIO I.

De iudicio in genere et eius signo . . . 98

Articulus I. De iudicii natura 98
Iudicii notio 153, elementa 154, forma: assertio 155; idearum obiectiva identitas et diversitas 156; iudicium praedicativum et subsumptivum 157.

Articulus II. De iudicii signo sive de enuntiatione externa seu propositione 101
Oratio quid et quotuplex 158, enuntiativa 159, haec est iudicii signum 160; elementa propositionis tria essentialia 161; copula 162; propositionis dispositio naturalis 163.

SECTIO II.

De iudicii et propositionum partitionibus . . 106

Articulus I. De partitionibus propositionum communibus (propositionum simplicium et compositarum) 106

§ 1. De partitione propositionum secundum formam seu qualitatem, i. e. de affirmativis et negativis 106
Iudicium affirmativum et negativum 165, est divisio perfecta 166; qualitas propositionis qua ratione determinet quantitatem praedicati 167.

Pag.

§ 2. De partitione propositionum secundum quantitatem seu extensionem subiecti 168—170 109

Articulus II. De propositionibus compositis ratione materiae . . 111

§ 1. De propositionibus categoricis aperte compositis 171—174 111

§ 2. De propositionibus hypotheticis 175—177 113

§ 3. De propositionibus occulte compositis 178—182. . . 116

§ 4. De propositionibus complexis 183 184 118

Articulus III. De propositionibus modalibus (compositis ratione formae) 185—188 120

SECTIO III.

De propositionum usu et affectionibus relativis . . 122

Articulus I. De propositionum oppositione 122

§ 1. Oppositio propositionum quid sit et quotuplex 190—192 . 122

§ 2. De oppositione propositionum compositarum et complexarum 193—198 125

Articulus II. De aequipollentia 199—203 129

Articulus III. De conversione et contrapositione propositionum 204 ad 210 133

Articulus IV. De transitu ex una propositione ad alteram (illatio immediata) 211—216 136

CAPUT III.

De tertia mentis operatione, i. e. de ratiocinio . 139

Intellectus et ratio 217.

SECTIO I.

De ratiocinii eiusque signi notione et legibus generalibus 140

Articulus I. De notione ratiocinii eiusque signo 140

§ 1. De ratiocinio sive discursu interno 140

Ratiocinii definitio 218, rectitudo et veritas 219, rectitudinis principia 220, canones 221.

§ 2. De discursu externo sive de argumentatione . . . 142

Argumentationis definitio 222; syllogismus quid 223 224.

Articulus II. Leges octo omnis recti syllogismi 225—230 . . 145

Articulus III. De generalibus syllogismi figuris earumque modis et regulis 149

§ 1. De notione figurae et modi. 149

Figura quid 231, quot 232—334. Modus 235, quot possibiles 236.

§ 2. Regulae in singulis figuris servandae 237—241 . . 151

Articulus IV. Figurarum modorumque utilium conspectus et demonstratio 154

Pag.
§ 1. Figurarum modorumque conspectus 242 243 154
§ 2. De principiis et directa demonstratione trium priorum figurarum 244—249 155
§ 3. De demonstratione indirecta syllogismorum imperfectorum 159
Reductio ad primam figuram 250 251, reductio indirecta per deductionem ad impossibile 252, per expositionem 253.

SECTIO II.

De argumentorum divisionibus secundum formam . 162

Syllogismus simplex, compositus complexus 254.

Articulus I. De syllogismo hypothetico 255 163
§ 1. De syllogismo condicionali 256—258 164
§ 2. De syllogismo disiunctivo et coniunctivo 259 260 . . 166
§ 3. Syllogismi hypothetici ad categoricum reductio 261 . . 169
Articulus II. Aliae species syllogismi compositi earumque reductio 170
§ 1. De syllogismis categoricis, qui propositionem vel aperte vel occulte compositam continent 170
Syllogismi qui continent propositionem copulativam vel adversativam 262, correlativam 263, causalem 264, exclusivam, reduplicativam 265.
§ 2. De syllogismo complexo 266 171
§ 3. De syllogismo modali 173
Syllogismus modalis quid 267; de consequente necessario 268, impossibili 269; regulae pro singulis figuris 270; de consequente possibili et contingente 271; de mixtis exempla 272.
Articulus III. De argumentationibus secundum formam a syllogismo diversis 177
Enthymema 273. Epichirema 274. Polysyllogismus 275. Sorites 276. Dilemma 277 278.

SECTIO III.

De argumentorum divisionibus secundum materiam . 183

Ordo tractatus 279.

Articulus I. De argumentatione demonstrativa 184
§ 1. De demonstrationis natura et principiis 184
Demonstratio quid 280. Demonstrationis praecognitiones et praecognita 281 282, principia 283—285, divisio 286.
§ 2. De demonstratione directa (a priori et a posteriori) . . 190
Prius et posterius 287, propter quid et quod (vel quia) 288, demonstratio regressiva 289.
§ 3. De demonstratione deductiva 192
Deductio et inductio 290; deductionis vis et praestantia 291, principia 292.
§ 4. De demonstratione inductiva 194
Inductionis notio et divisio 293; differentia a syllogismo 294 295, num ad syllogismum revocetur 296 297; inductionis vis

demonstrativa 298 299. Observatio et experimentum 300. Inductionis principium generale 301, principia specialia 302. Inductio est strictum ratiocinium conclusivum 303. Pag.

§ 5. De demonstratione indirecta 204
Explicatur 304, praecipui modi 305 306.

Articulus II. De argumentatione probabili 207

§ 1. De analogia 307 308 207

§ 2. De hypothesi 208
Natura hypothesis 310—312; de usu hypothesis 313; regulae de formandis 314, de verificandis hypothesibus 315.

§ 3. De probabilitatis aestimatione 316—319 214

Articulus III. De argumentatione sophistica 216
Paralogismus, syllogismus pseudographus, sophisticus 320, praecipua verborum seu dictionis sophismata 321, sophismata rerum seu ratiocinii 322—323, modernorum conspectus 324, sophistarum fines 325, sophismatum solutio 326. Exempla 327.

CAPUT IV.

De methodo 225
Methodi notio 328, leges generales 329, divisio 330.

SECTIO I.

De methodo analytica et synthetica 331—337 . 227

SECTIO II.

De methodo rationali et experimentali . . 234
Methodus experimentalis 338, observatio et experimentum 339 340, classificatio rerum 341, lex naturalis 342. Methodus rationalis 343, utraque coniungenda 344. Scholion de methodo algorithmica 345 346.

SECTIO III.

De methodo inventionis et doctrinae . . . 247

Duplex via obtinendae veritatis 347 347

Articulus I. De methodo inventionis 247

§ 1. De quaestione 247
Quaestio quid et quotuplex 348, quaestionum ordo et selectus 349. Usus dubitationis 350—352. Usus historiae ad quaestiones dilucidandas 353—356.

§ 2. Argumentorum inventio sive inventio medii . . . 258
De fontibus et regulis inveniendi argumenta generatim 357 ad 360. Aristotelis loci seu topica 361—375.

§ 3. De methodo construendi systematis scientifici 376—381 . 270

Articulus II. De methodo doctrinae 382 276

§ 1. Methodus tradendi aliis veritates sive methodus docendi 383—386 277

§ 2. De discendo seu de quibusdam in studio (praesertim philosophiae) adiumentis 280

Pag

Generalis ratio 387—390. Vocabulorum usus 391. Recte instituendum studium privatum, lectio 392—394. Sententiae aliorum recte interpretandae 395 396. Systema philosophicum diiudicandi methodus 397 398. Errores quomodo cavendi 399 ad 402. Magistri auctoritas 403—406.

§ 3. De disputatione scholastica 407—413 296

LIBER II.

Critica.

(Philosophia fundamentalis.) . . . 305

Criticae obiectum, definitio, partitio 414 415. Varii status mentis: ignorantia et error 416, dubium et suspicio 417, opinio et probabilitas 418 419; certitudo 420, naturalis et philosophica 421.

DISPUTATIO I.

De certitudinis exsistentia . . . 309

CAPUT I.

De ipsius certitudinis negatione . . . 310

Scepticismi notio et ratio 423. Scepticismi historia 424—432; variae species 433. *Thesis 1.* Cum sceptico nulla disputatio possibilis 434. *Thesis 2.* Scepticismus vitae humanae repugnat 435—437. *Thesis 3.* Scepticismus universalis repugnat ut factum et ut doctrina 438—444. *Thesis 4.* De relativismo et psychologismo sceptico 445—455. Transformismus 451. Pragmatismus 452. *Thesis 5.* Subiectivismus absolutus et universalis incidit in scepticismum universalem 456—463. De somno et vigilia 463.

CAPUT II.

De primitivae certitudinis natura . . 336

Thesis 6. Prima certitudo est immediata, indemonstrabilis; dubitatio methodica absolute universalis repugnat 465—470. Dubitationis rectus usus 469 470. *Thesis 7.* Tres primitivae veritates 471—483. *Thesis 8.* Intellectus est per se infallibilis, per accidens fallibilis 484—487.

DISPUTATIO II.

De motivis sive mediis (fontibus) assequendae veritatis et certitudinis (Criteriologia) . 351

Disputationis finis 488. Medium seu fons cognitionis (condicio, criterium, motivum, fundamentum) 489: mediorum seu fontium divisio 490.

CAPUT I.

Pag.
De medio seu fonte primo, i. e. de experientia . 353

SECTIO I.

De experientia externa 353

Notiones praeviae de sensatione 492 493. Conspectus historicus 493—498. Opiniones diversae 499—501. *Thesis 9.* Sensuum veracitas et valor obiectivus generatim 502—515. Assimilatio intentionalis est de essentia cognitionis 511. *Thesis 10.* Idealismus acosmisticus subiectivus et obiectivus repugnat 516—528. *Thesis 11.* Sensus veraciter referunt sensibile proprium 529—534. *Thesis 12.* Et etiam sensibile commune 535—538. *Thesis 13.* Tum sensibile commune (extensio) tum sensibile proprium (qualitates) formaliter inest in ipsis rebus 539—562. Cognitio est assimilatio 545, cognitio causalis non explicat rem 560, species sensibilis non est medium quod vel in quo, sed medium quo 561 562. *Thesis 14.* De experientia immediata complexa seu realium syntheseon 563 ad 573. Finis cognitionis sensuum 573.

SECTIO II.

De conscientia sive de perceptione rerum subiectivarum (experientia interna) 417

Sensus internus 574. Conscientiae divisio 575—577, obiectum 578. *Thesis 15.* Conscientiae veracitas 579—582.

SECTIO III.

De phantasia et memoria 426

Phantasia 583 584. Memoria 585. *Thesis 16.* Memoria per se non errat 586—590.

CAPUT II.

De medio seu fonte cognitionis secundo, i. e. de intellegentia et ratione; seu de ideis, ut medium seu fontem cognitionis tum immediatae tum mediatae constituunt 432

SECTIO I.

De obiectivo valore idearum . . . 433

Articulus I. De obiectivo valore idearum in genere seu de absurditate idealismi transcendentalis 433

Thesis 17. Valor idearum obiectivus 592—598. *Thesis 18.* Kantii criticismus (idealismus transcendentalis) exponitur et refutatur 599—617.

Pag.

Articulus II. De obiectiva realitate conceptuum universalium . 457

Notiones praeviae; controversiae origo; nominalismus, realismus 618—623.

§ 1. Refutatur nominalismus 462

Thesis 19. Nominalismus purus 624—626. *Thesis 20.* Nominalismus moderatior seu conceptualismus purus 627—631.

§ 2. Refutatur realismus exaggeratus. 468

Thesis 21. Universale separatum platonicum repugnat 632 ad 634. *Thesis 22.* Refutatur universale formale in rebus 635—639.

§ 3. Statuitur realismus moderatus et verus 474

Thesis 23. Universale constituitur per intellectum cum fundamento in re et quidem per praecisionem et comparationem 640—659. Universale abstractum et concretum 646. Triplex essentiae consideratio 647. Praedicatio universalis 648. Triplex unitas 649. Variae opiniones minus accuratae de universalibus: P. Fonseca 650, scotistae 651, Mastrius 652, alii 653. Universale logicum et metaphysicum 656.

SECTIO II.

De ideis ut fontibus certorum iudiciorum . . 488

Articulus I. De iudiciis analyticis immediatis 488

Notiones praeviae 660 661. *Thesis 24.* Intellectus per se infallibilis est in iudiciis analyticis immediatis 662—668. De principiis 666. Quo sensu nova ita habeatur cognitio 668.

Articulus II. De iudicio intellectuali discursivo sive de ratiocinio 669 sq 494

§ 1. De ratiocinio in genere 495

Thesis 25. Ratiocinii veracitas et certitudo in genere 670 ad 677. De discursu subiectivo et obiectivo 674. Sitne actus simplex an compositus 673. *Thesis 26.* Ratiocinium est fons novae cognitionis 678—683.

§ 2. De inductione (incompleta sed perfecta) 507

Inductionis usus instinctivus et rationalis 684. Inductionis rationalis fundamentum 685. Diversae sententiae de valore inductionis 686. *Thesis 27.* Inductio innititur experientiae et principiis analyticis et gignit certitudinem physicam 687 ad 694.

§ 3. De analogia. 520

Thesis 28. Analogia gignit probabilitatem 695 696.

§ 4. De sensu naturae communi. 522

Explicatur: est inclinatio naturalis rationis ad cognoscendas et admittendas veritates maxime necessarias; variae hac de re sententiae 697—700. *Thesis 29.* Ea inclinatio adest, non quidem est novus fons, sed comprobat iudiciorum istorum veritatem 701—707.

CAPUT III.

Pag.

De fide et auctoritate testimonii (fonte tertio) . 532

Praenotanda 708. Vocis fidei significatio 709, differentia fidei et scientiae 710. Auctoritas testantis 711. Credendi principia 712, certitudo ex fide oriunda 713 714.

§ 1. De fidei necessitate et utilitate 537

Thesis 30. Fides humana in rebus historicis et scientificis est utilis et saepe necessaria 715—717.

§ 2. De testimonii certitudine 540

Thesis 31. Testimonium historicum tum immediatum tum mediatum veram certitudinem gignere potest 718—725. *Thesis 32.* Etiam testimonio historico scripto vera certitudo obtineri potest 726—743, de authentia et integritate constare potest 728 729 et de sensu testimonii 730 et de auctoritate scriptoris 731.

Scholia de argumento negativo 732, de monumentis 733; sitne historia scientia proprie dicta 734—737.

§ 3. De fidei veritate obiectiva 559

Thesis 33. Veritas fidei est eiusdem generis veritas theoretica (speculativa) sicuti ea fontium internorum; falsa est distinctio kantiana inter rationem theoreticam et practicam, et falsa omnis doctrina similis modernorum 744—757. Error modernismi 756.

CAPUT IV.

De fontium necessaria ad cognitionem humanam distinctione et coniunctione . . . 570

Capitis conexio cum prioribus 758 sq. *Thesis 34.* Necessaria ad humanam cognitionem fontium distinctio et coniunctio fundatur in ipsa natura humana et obiecto proprio singulorum fontium; et ex eius neglectu pessimi sequuntur errores 758 ad 776.

DISPUTATIO III.

De principio certitudinis sive de evidentia . 580

Quid sit certitudinis principium, criterium, motivum 777. De unitate principii 778 779. Distinctiones: principia subiectiva, obiectiva; logica et ontologica 780. Condiciones necessariae ad principium certitudinis 781. Sententiae diversae 782.

CAPUT I.

Reiiuntur criteria externa . . . 584

Thesis 35. Auctoritas neque humana neque divina potest esse principium primum et universale certitudinis 783 ad 787.

CAPUT II.

Pag.

Reiciuntur falsa criteria interna . . . 589

Articulus I. De falsis criteriis subiectivis 589

Adversariorum sententiae: Reidii instinctus; affectus fidei Jacobi; conscientia, idea clara et distincta Cartesii 788. *Thesis 36.* Reicitur instinctus caecus et affectus 789—791. *Thesis* 37. Reicitur ut criterium conscientia et idea clara Cartesii 792—795.

Articulus II. De falsis criteriis obiectivis 596

Thesis 38. Pragmatismus modernus et omnis doctrina reicitur, quae principium ultimum certitudinis ponit in utilitate practica 796—804. Pragmatismus (Peirce, James), humanismus (F. C. S. Schiller) 796, theoria Henrici Bergson 797.

CAPUT III.

De evidentia vero certitudinis principio . . 603

Thesis 39. Principium infallibile et ultimum certitudinis est evidentia obiectiva menti se ipsam manifestans 805—815; evidentiae notio 805, evidentia obiectiva et certitudo 806, evidentia subiectiva 807.

DISPUTATIO IV.

De veritate et certitudine . . . 611

CAPUT I.

De veritate et falsitate cognitionis . . 612

SECTIO I.

De veritate 612

Articulus I. Definitio veritatis logicae 612

Thesis 40. Veritas est conformitas (intentionalis) intellectus cum suo obiecto 817—821; veritas rei, locutionis, cognitionis 821.

Articulus II. In quonam actu mentis veritas logica insit . . 616

Thesis 41. Veritas in simplici apprehensione formaliter sed imperfecte inest 822—825. *Thesis 42.* Veritas perfecte inest in iudicio (inhaesive et obiective) 826—833. Veritas sermonis 832; in sensu 833.

Articulus III. De gradibus veritatis 626

Thesis 43. Veritas formaliter spectata non admittit gradus; materialiter et subiective spectata gradus admittit 834—838.

SECTIO II.

De falsitate 628

Falsitatis notio 839.

Articulus I. In quo actu mentis falsitas inesse possit . . . 629

Pag.

Thesis 44. In simplici apprehensione per se nulla inesse potest falsitas 840—843. *Thesis 45.* In iudicio falsitas inesse potest, sed sub specie veri 844—852. *Scholion* de errorum fontibus 846. Error materialis et formalis 847; vincibilis et invincibilis 848—850.

Articulus II. Possintne in falsitate gradus esse 637

Thesis 46. Falsitas et formaliter et materialiter et subiective spectata gradus admittit 853—854.

CAPUT II.

De certitudine 638

Certitudinis natura 855.

Articulus I. Definitio et essentia certitudinis (et opinionis) . . 640

Thesis 47. Definitur certitudo formalis assensus firmus in rem cognitam propter motivum infallibile ut tale cognitum 856 857. *Thesis 48.* Certitudo essentialiter differt ab opinione; ideo sola probabilitatum additio non gignit certitudinem; potest tamen probabilitatum coniunctio materiam certae demonstrationi praebere 858—865. De probabilitatum conflictu 861. Difficultates non tollunt certitudinem 865.

Articulus II. De certitudinis divisione seu gradibus essentialibus 647

Thesis 49. Certitudo essentialiter alia est metaphysica, physica, moralis; una altera per se praestantior 866—869. *Thesis 50.* Status certitudinis perfectae est certitudo absoluta; sola certitudo metaphysica est absoluta; physica et moralis ut talis est hypothetica et essentialiter dependens ab absoluta 870—883. Repugnat intellectus, qui nullam habeat certitudinem absolutam 876. An sint tres species univocae 877. Certitudo absoluta et respectiva 878.

Articulus III. De certitudinis gradibus accidentalibus . . . 658

Thesis 51. Sunt gradus accidentales tum firmitatis tum aestimationis 884 sq.

Scholia. De certitudine necessaria et libera quoad exercitium 889—891, quoad specificationem 892—894. Libertas fidei non praerequirit certitudinem liberam 895. Certitudinis perfectio 896.

INTRODUCTIO IN PHILOSOPHIAM UNIVERSAM ET IN LOGICAM.

CAPUT I.

Praenotiones generales de philosophia.

§ 1. De ipsa philosophia.

1. **Philosophiae notio.** Philosophus, vocabulum si spectes, a duabus vocibus graecis trahitur: *φίλος* et *σοφία*, et amantem sive studiosum scientiae vel sapientiae significat[1]. Sapientes *(σοφοί* sive *σοφισταί)* ante Pythagoram dicebantur, quicumque in arte aliqua vel cogitationibus suis bene conceptis et apte prolatis prae ceteris excellebant[2], velut legislatores, poetae, rhetores; maxime vero ii, qui in perscrutanda rerum natura studia ponebant, sapientes et habebantur et nominabantur.

Quodsi etiam *sapientiae* vocem interpretari velimus, ea a sapiendo ducta primo eam indolem significasse videtur, qua quis de rebus gustandis rectum iudicium ferre possit. Post alia ab aliis huic nomini subiecta est notio. Nonnumquam sapientia pro prudentia accipitur vel etiam quamlibet rei agendae peritiam dicit. Magis etiam consensum virtutum moralium indicat, quomodo antiquitus iam arta iustitiae et sanctitatis cum prudentia coniunctio sapientia appellata est. Maxime vero sapientia nobilissimum illud cognitionis genus indicat, quod circa res praeclarissimas et altissima rerum principia versatur; ex quibus cognitis nascitur omnium rerum recta notitia rectusque usus. „Cui sapiunt omnia, prout sunt, non ut dicuntur aut aestimantur, hic vere sapiens est.“[3] „Da mihi, Domine, caelestem sapientiam, ut discam te super omnia quaerere et invenire, super omnia sapere et diligere, et cetera secundum ordinem sapientiae tuae, prout sunt, intellegere.“[4]

---

[1] *Cic.*, De offic. 2, 2. *Aug.*, De civit. Dei 8, 1.

[2] Ita apud *Homerum* de fabrica materiaria: *ὅς ῥά τε πάσης εὖ εἰδῇ σοφίης* (Il. 15, 412); apud *Pindarum* de arte poetica: *σοφίαι αἰπειναί* (Ol. 9, 107). Videsis *H. Ritter* et *L. Preller*, Hist. philos. graecae[8], ed. Wellmann. Gothae 1898, Proleg. n. 1.

[3] *Thomas Kemp.*, De imit. Chr. 2, 1, 7.

[4] Ibid. 3, 27, 5.

2. Primus auctore Diogene Laërtio [1] *Pythagoras* philosophi nomen propter modestiam usurpavit. Interrogatus is a Leonte Phliasiorum principe, qua maxime arte confideret, respondisse fertur „artem quidem se scire nullam, sed esse φιλόσοφον“ [2]; neminem enim hominum aiebat sine temeritate *sapientem* dici posse, cum id solius Dei esset. Quod philosophiae nomen „ita deinceps posteris placuit, ut quantalibet de rebus ad sapientiam pertinentibus doctrina quisque vel sibi vel aliis videretur excellere, nonnisi philosophus vocaretur“ [3]. Et a sapientia differt philosophia, ut scite animadvertit *Fonseca* [4], „sicut sapientia incohata a perfecta et absoluta; propter quam nominum cognationem saepe alterum vocabulum pro altero usurpatur“.

Sicut nonnumquam accidit, ut post malum alicuius rei abusum nomen rei ad significandam culpam trahatur male utentium, ita non semel contigit, ut nomine philosophiae non ipsa philosophia, sed utentium pravitas indicaretur. Ita monet *S. Paulus,* ut videamus, „ne quis vos decipiat per philosophiam“ (Col 2, 8). Et *Tertullianus* „philosophos“ vocat patriarchas haereticorum [5]. Neque ignorat quisquam, cuius gregis fuerint „philosophi“ saeculi duodevigesimi.

Cum autem sciendi desiderium et studium sapientiae, quod omnibus hominibus natura insitum est, inter virtutes animi nostri praestantissimas, quibus nos a brutis animantibus longe secernimur, iure merito recenseatur, etiam nomen philosophiae apud probos quosque homines magno in honore habitum est. Et iam optima habenda est res illa, quae corrupta tantam perniciem in genere humano procreare potest, quantam ex corrupta philosophia ortam videmus.

3. Neque tamen ad easdem plane res significandas nomen philosophiae et sapientiae omni tempore extendebatur. Qua in re *tria* apte distinguuntur tempora. *Antiquiore* enim aetate ea voce scientiam omnem significaverunt. Ut enim est apud *Tullium:* Sapientiam „qui expetunt, philosophi nominantur. ... Sapientia autem est, ut a veteribus philosophis definitum est, rerum divinarum et humanarum causarumque quibus eae res continentur scientia“ [6]. *Altera* aetas medii aevi est, quo philosophia scientia universalis esse de-

[1] De vitis, dogm. philos. Prooem. 8; cf. 8, 1, 6.
[2] *Cic.,* Tuscul. 5, 3. Cf. *S. Thom.* in l. 1 met. lect. 3.
[3] *Aug.,* De Trinit. 14, 1, 2.
[4] In met. Arist. tom. 1, l. 1 (Prooem.), c. 4.
[5] De anima c. 3 (*Migne* 2, 651).
[6] De offic. 2, 2. Cf. *Clem. Alex.,* Strom. 1, 5; *Orig.,* C. Celsum 3, 72.

siit, et a scientia, quae *theologia* vocatur, distingui coepta est. Dum igitur theologia revelatione supernaturali nititur, philosophia medio aevo certa eorum, quae *naturali lumine* sciri possunt, comprehensio est habita sive scientia omnium rerum solo naturali lumine cognoscibilium. Quae philosophia dividebatur in partes quattuor: logicam, physicam, metaphysicam, ethicam. *Tertio* autem tempore, quo nos vivimus, nomen philosophiae ad significandam eam scientiam contractum est, quae res sensibiles considerat sub respectu supersensibili vel etiam ad considerandas res supersensibiles ascendit.

Atque his dictis, philosophiae quae sit notio sive „definitio *nominis*" indicavimus. Sed considerato *nomine* etiam ipsa *res,* quam ingressuri sumus, paulo accuratius definienda est.

4. Philosophiae secundum rem definitio. Philosophia, ut nostro tempore accipitur, recte definiri potest: *scientia rerum per causas supersensibiles sive metaphysicas naturali lumine comparata.*

Itaque philosophia circa *res* versari dicitur; est enim „in recto" de solis *rebus,* quae ex causis explicantur; de causis autem, ex quibus res explicantur, non est nisi indirecte sive „in obliquo".

Et nomine rerum hoc loco omnia intelleguntur, quibus utcumque *esse* attribuitur, vel *fieri,* vel *cognosci.*

Deinde quid sit *scientia* dicendum est. Quae cum in genere cognitionis sit[1], non eam cognitionem significat, quae sola experientia propria nitatur, vel nuda aliena auctoritate, sed eam, qua res ita firmiter et certo cognoscenti repraesentetur, ut reapse est. Est autem res ex suis causis. Res igitur obiecta, quae ex suis causis cognoscitur, *sciri* dicitur.

Causa, cuius in definitione fit mentio, vi vocis latissima accipi debet, idque omne significat, unde res est aut fit aut cognoscitur; vel ea omnia, unde res sive ut ens in rerum ordine extra nos, sive ut cognitum quid in cognitionis ordine intra nos dependet. Et quo perfectius hanc dependentiam secundum rei veritatem perspectam habemus, eo perfectius rem *scire* dicimur.

Verum non omnis rerum per causas notitia hodie ad philosophum, ut philosophus est, spectat, sed ea tantum, quae ex causis trahitur supersensibilibus, quae per se solo intellectu percipi possunt, et etiam *metaphysicae* (transnaturales), ab aliis *ultimae* vel ulteriores vocari solent.

---

[1] *Τὸ δ' ὅτι διαφέρει καὶ τὸ διότι ἐπίστασθαι· . . . ἡ δὲ τοῦ διότι ἐπιστήμη κατὰ τὸ πρῶτον αἴτιον* (*Arist.,* Anal. post. 1, 13 [78 a 22]). *Κυριώτατον γὰρ τοῦ εἰδέναι τὸ διότι θεωρεῖν* (ibid. 1, 14 [79 a 23]).

Causa metaphysica *ultima* potest esse aut absolute aut in certo quodam genere ultima. Et causa absolute ultima omnium rerum externa *Deus* est, interna ratio *entis*. Unde pars philosophiae illa, quae in contemplando *Deo* et generatim *ente* occupatur, merito *philosophia prima* est appellata, vel etiam *metaphysica pura* speciali ratione. At minime a philosopho alienum est, ne etiam res explicet per causas *relative* ultimas, ubi primum hae causae ordinem materialem sive phaenomenalem (sensibilem) egrediuntur. Ad philosophum igitur spectat, ulteriorem rationem investigare, quae subsit et *legibus cogitandi* in ordine operationum intellectus humani, et *legibus moralibus* in ordine operationum voluntatis humanae, et *legibus physicis* in ordine eorum, quae in hoc mundo aspectabili fieri sensu percipimus. Atque ita philosophus ipsas res physicas perscrutatur, ut eae subsunt rationibus metaphysicis. Immo uniuscuiusque artis vel disciplinae pars illa, quae de ultimis huius artis vel disciplinae causis agit, *philosophia* illius disciplinae vel artis hodie nuncupari solet, atque ita haud raro de philosophia historiae vel mathesis vel grammaticae incidit mentio.

Ultimo definitionis loco postulavimus, ut scientia, quam philosophiam dicamus, lumine comparetur, quod *naturale* sit. Quibus verbis dicere volumus, ea sola eaque omnia obiectum philosophiae esse posse, quae hac rerum natura et ex principiis intellectus nostri nobis sint manifesta. Praeter hoc lumen naturale aliud in revelatione christiana lumen apparuit, quod supernaturale est; ex quo alia scientia originem duxit, quam *theologiam* vocant. Quae a philosophia recte distincta esse dicitur.

Post explicatam philosophiae definitionem cognoscitur philosophiae rationem „sapientiae“ omnino competere. Cum enim propter sapientiam homo idoneus sit ad sanum de rebus ferendum iudicium, iudicium autem de inferioribus acquiratur ex causis altioribus, is certe sapiens erit in aliquo genere, qui causas altissimas illius generis perspectas habet; unde rerum originem, intimam naturam, finem, proprietates, potentias optime novit et res omnes optime iudicare atque disponere potest. „Et quia per causam iudicatur de effectu, et per causam superiorem de causis inferioribus, inde est, quod sapientia habet iudicium de omnibus virtutibus intellectualibus, et eius est ordinare omnes: et ipsa est quasi architectonica respectu omnium.“ [1]

5. ***Scholion 1.*** Multae sunt philosophiae definitiones, quae voce quamvis a data definitione diversae sint, re tamen omnino conveniunt. Ita philosophiam dicunt esse „scientiam, quae de ultimis rerum omnium rationibus universim disceptet“; in qua definitione „ratio“ id omne significat, quo ali-

[1] *S. Thom.*, S. th. 1, 2, q. 66, a. 5.

quid est vel fit vel intellegitur vel intellegi potest. Vel definiunt philosophiam, ut sit „scientia humani intellegibilis ex ratione immediata", i. e. ex ratione, qua iam non pendeat aliunde[1]. In aliis definitionibus incidit mentio *principiorum*[2], qua voce illud significatur, unde aliquid est vel fit vel cognoscitur. Ab aliis philosophia definitur: scientia, quae circa prima rerum principia versatur; vel: certa eorum, quae naturali lumine sciri possunt, comprehensio; vel: scientia supremorum principiorum sive supremarum causarum tum cognitionis tum rerum, quae ratione humana cognosci possunt; vel: cognitio scientifica et rationalis Dei et mundi et hominis, quae viribus rationis per altiores causas seu principia habetur.

6. ***Scholion 2.*** Nec raro definitiones philosophiae reperiuntur, quas a rectitudine vel saltem perfectione definitionis aliquid deficere quivis facile intelleget. Ita philosophiam definiunt: meditationem mortis, μελέτην θανάτου; vel: modum, quo assimilemur Deo, τὴν ὁμοίωσιν τῷ θεῷ; vel: notitiam entium, ut entia sunt, γνῶσιν τῶν ὄντων ᾗ ὄντα ἐστίν.

Secundum *Cartesium* (1596—1650) philosophia definitur: cognitio vel analysis subiecti cogitantis sive spiritus humani ex principiis evidentibus deducta[3]. A *sensualistis* definitur scientia sensus, a *materialistis* scientia corporum. A *leibnizianis* dicitur esse scientia rerum possibilium, quatenus eae esse possunt; qui per scientiam intellegunt habitum asserta demonstrandi[4]. — *Kant* cognitionem rationalem ex conceptibus ut sic dicit philosophicam. Unde philosophiam dixit esse scientiam legum et causarum activitatis primitivae sive spontaneitatis rationis; vel brevius: scientiam legum, secundum quas cognitio evolvatur[5]. — Philosophiam definit *J. G. Fichte:* ut sit doctrina de scientia[6]; *Schelling:* scientiam absoluti sive identitatis absolutae; vel etiam: scientiam de identitate absoluta realitatis et idealitatis[7]; *Hegel:* scientiam evolutionis ideae per tria sua momenta; vel etiam: scientiam rationis humanae comprehendentis se ipsam et adipiscentis perfectam sui ipsius conscientiam, i. e. conscientiam de se ipsa et de omni ente in „idea" contento[8]; *Herbart:* elaborationem conceptuum horumque ab erroribus purgationem; vel etiam: scientiam, qua conceptus quos habemus retractantur, ut a vitiis, contradictionibus, obscuritatibus, lacunis liberentur et depurentur[9]. — *Traditio-*

[1] Ita *Satolli,* Logica, Brunae 1884, 6.

[2] *Ueberweg:* „Philosophie läßt sich definieren als die Wissenschaft des Universums, nicht nach seinen Einzelheiten, sondern nach den alles Einzelne bedingenden Prinzipien; oder als die Wissenschaft der Prinzipien des durch die Spezialwissenschaften Erkennbaren" (System der Logik § 6).

[3] Cf. *Sanseverino,* Philosophia christiana, Neapoli 1862: Log. I 145.

[4] *Wolff,* Discursus praeliminaris. De phil. in genere c. 2, § 29.

[5] Kritik der reinen Vernunft. Methodenlehre, 3. Hauptst., ed. Acad. Berolin. 1904, tom. 3, p. 538 sqq; cf. Logik, Einleitung p. III.

[6] Über den Begriff der Wissenschaftslehre oder der sog. Philosophie § 1, in fine.

[7] Propädeutik der Philos.: Werke VI, Stuttgart 1860, 78.

[8] Enzykl. § 3 14 572 sq. [9] Einleitung in die Philos. § 4 sq.

rationalistae philosophiam dicunt esse demonstrationem sive enodationem scientificam veritatum naturalium, quae revelatione divina per traditionem nobis notae sunt. — *W. Windelband* philosophiam dicit scientiam criticam valorum absolutorum [1].

Quae omnes definitiones angustiores sunt. Definitio ultima est angustior, quia Windelband non admittit metaphysicam realem, criticam vero sensu Kantii intellegit, quare valores absoluti quos vocat apud ipsum sunt solum normae logicae, ethicae, aestheticae. Si vero intellegeretur valor absolutus et scientia critica hoc sensu, ut philosophia sit cognitio reflexa et vere scientifica veritatum certarum, definitio latior esset definito et esset definitio *scientiae* in genere.

Tot diversae sunt definitiones philosophiae [2], quot sunt systemata philosophica. Inde Windelband concludit impossibile esse per historicam analysin aliquam communem definitionem eruere. Concedimus veritatem non posse extrahi ex erroribus: sicuti vera religio non eruitur ex congestis omnibus systematis religiosis, ita nec philosophia vera ex omnibus systematis veris et falsis philosophicis. Attamen si attenditur, quid revera omni tempore serii philosophi inquisierint, negari vix poterit eos inquisivisse in ultimas rerum rationes. Quod nostram definitionem comprobat.

A *definitione* philosophiae *statuenda* sibi abstinendum esse etiam censuit *O. Külpe* [3]. Recte monet angustiorem esse definitionem, qua philosophia dicatur esse scientia experientiae internae, cum ita excludatur tum metaphysica tum logica; latiorem autem esse definitionem, quae philosophiam dicit esse complexum omnis cognitionis scientificae. Sed putat non inveniri *differentiam specificam*, qua *genus proximum* scil. scientia accurate determinetur, ita ut philosophiam ab omni alia specie scientiae discernat. Omissa igitur definitione, philosophiam determinare conatur enumerando eius fines, munera, partes. Triplicem finem seu triplex munus philosophiae assignat: 1° metaphysicae, ut formet *rerum* cognitionem vere scientificam (Weltansicht), 2° logicae et noeticae (theoriae cognitionis), ut inquirat in omnis scientiae principia et conditiones (Voraussetzungen), 3° philosophiae generatim ut finem tertium sed secundarium et accidentalem assignat, ut novas praeparet scientias partiales. — Essentiam philosophiae reponit in logica (vel theoria scientiae) et metaphysica [4]. Recte contra

[1] Präludien I 29.

[2] Alias definitiones multas videsis apud *Eisler*, Wörterbuch der philos. Begriffe.

[3] Einleitung in die Philos.[6] (1912) 352 sq.

[4] „Der bleibende Kern der Philosophie aber ruht hiernach in der Metaphysik und der Wissenschaftslehre. Sie sind, wie schon früher gesagt, das A und O aller Wissenschaften." Ita in editione priore quinta (1910) p. 348.

multos modernos philosophos metaphysicam et logicam ut partes essentiales philosophiae retinet; sed res complenda erat addita philosophia morali. Id vero in quo logica, metaphysica, ethica ut in communi ratione philosophiae ita conveniunt, ut simul ab omni alia scientia differant, recte in recepta nostra definitione exprimitur per „causas ultimas“ (cf. n. 21 sq et 53).

7. **Philosophiae excellentia, difficultas, utilitas**[1]. Quae sit philosophiae praestantia, ex eiusdem definitione praeclare elucet. Superatis enim difficultatibus, quae inveniuntur in contemplandis specialibus obiectis scientiarum, philosophiae munus est, primo contemplari conexionem, quae est inter omnes omnino veritates, quamvis hae primo aspectu videantur omnino disparatae. Deinde quaerere primam veritatem, quae sit radix et caput omnium aliarum. Tertio conatur per omnes veritates cognoscere id quod est optimum et perfectissimum. Praeterea cognito ipso ente, quod est optimum, tamquam capite et prima radice, conatur rationem reddere omnium aliarum veritatum; atque ita veritates praestantissimas contemplatur per ipsum ens optimum tamquam per altissimam causam. Quinto ordinat philosophia veritates in intellectu, ut sunt ordinatae ex rerum partibus. Cum perfectio cognitionis in eo cernatur, ut res ponantur in intellectu, ut secundum se sunt, philosophia quaerens cognitionem perfectissimam, conatur ponere eum ordinem in cognitionibus, qui est in rebus, ut, sicut una veritas est ratio alterius, ita cognitio unius veritatis sit ratio cognoscendi alteram[2]. Tandem, quod restat, philosophia instar ligaminis est, quo res omnes huius mundi, cum plurimae sint, in unitatem conectuntur. „Unde haec est ultima perfectio, ad quam anima potest pervenire secundum philosophos, ut in ea describatur totus ordo universi et causarum eius.“[3]

8. Qui vero quid sit philosophia diligentius considerare velit, eum praeterire non potest, philosophiam in hominibus absolute atque imprimis extensive perfectam esse non posse[4]. Ad philosophiam enim omnibus numeris absolutam requiritur, ut cognitio nostra a propriis plurimarum rerum rationibus ad supremas usque omnibusque rebus communes rationes ascendat, inde iterum usque ad singula quaeque, ut subsunt illis rationibus, descensura. At innumerabiles paene istiusmodi esse res a nobis ignoratas, nemo

[1] Cf. *S. Thom.* in l. 1 de anima lect. 1.
[2] Ita fere *Sylv. Maurus*, Quaestiones philosophicae l. 1, q. 18.
[3] *S. Thom.*, De veritate q. 2, a. 2.
[4] Cf. *Arist.*, Met. 11, 8 (1074 b 10); *S. Thom.* in l. 12 met. lect. 10.

prudens dubitare potest. Et res quas novimus sunt multiplices et admodum variae et nobis maximam partem imperviae. A quibus diligentius perscrutandis homines et vitae brevitate et multis vitae curis occupationibusque impediuntur.

9. Quamquam a sapiente quoque affirmatum esse legimus, philosophiam non obstante hac quam agnovimus imperfectione et difficultate generi humano summopere esse *necessariam*.

Cum enim homo natura *scire* desideret, philosophia nobili inclinationi humanae naturae convenit. *Πάντες ἄνθρωποι τοῦ εἰδέναι ὀρέγονται φύσει*[1]. Quod monuit *Seneca*, cum naturam nobis curiosum indidisse ingenium causas cognoscendi cupidum diceret. Ex quo fit, ut ingenium humanum quiescat numquam, donec ad percipiendas causas ultimas et supremas rerum rationes sit perventum[2].

Et philosophia, dum hominem ad hanc quietem naturalem adducit, simul *rationem* humanam mirum quantum perficit. Quo enim universaliores altioresque sunt rerum rationes, eo magis intellectuali humanae naturae conveniunt. Neque deesse potest, quin ipsae vires intellectuales hominis usu et exercitatione magnopere augeantur. Ad hoc scientiae omni et disciplinis omnibus ex perspectis in philosophia causis rerum ultimis lumen maius et certitudo nova oriri debet. Cum enim artes omnes et disciplinae suprema sua principia per philosophiam firmata et illustrata accipere debeant, haec a *Tullio* non immerito dicta est esse „laudandarum artium omnium procreatrix et quasi parens“[3].

Accedit, quod philosophia non intellectum solum, sed etiam *voluntatem* hominis multum perficere potest. Quia enim voluntas intellectui ut suadenti facile oboedit, perfectionem intellectus perfectio voluntatis sequitur; nec sine ratione illud vetus est, omnem peccantem ignorantem esse. Teste experientia aberratio a bono ut plurimum adiunctam habet aberrationem a vero sive antecedentem sive consequentem. Quinimmo vix quidpiam hominem adeo ad malum disponit, in malo retinet, quam errores, deceptiones, fallaciae, illusiones. Neque quis potest male agere nisi obtrudendo rationi suae fallacias.

Et ad ipsum etiam *statum civilem* et generatim *socialem* philosophia multum pertinet. Cum enim hominem omnium rerum ortum et finem doceat et scopum ostendat, ad quem vitae humanae cursus dirigendus

[1] *Arist.*, Met. 1, 1 (980 a 22).

[2] *Sanseverino*, Introductio ad philos. 11 sqq. *Alamannus* S. J., Summa philos. (adorn. Felchlin et Beringer), Parisiis 1885, tom. I, sect. 1: Logica I, q. 37, a. 2 et 3.

[3] De orat. 1, 3, 9.

sit, et rectas notiones tradat obligationis, iuris, ordinis, libertatis, humanae dignitatis, omnes regulas constituit, quibus mores hominum regantur. Non igitur mirum est, quaecumque mala in humana societate late vagata sint, quicumque motus civitates vehementer perturbarint, ea fere omnia ex erroribus philosophiae vel originem vel adiumentum duxisse. Et ex altera parte res aperta est, quantopere philosophia bene constituta ad salutem societatis et ordinem conservandum conducat. Recte igitur ille princeps ingenii et doctrinae *Plato,* ut est apud Tullium, tum denique fore beatas res publicas putavit, si aut docti et sapientes homines eas regere coepissent, aut ii qui regerent omne suum studium in doctrina et sapientia collocarent[1]. Et ipse *Cicero:* „O vitae philosophia dux! o virtutis indagatrix expultrixque vitiorum! quid non modo nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? Tu urbes peperisti; tu dissipatos homines in societatem vitae convocasti; tu eos inter se primo domiciliis, deinde coniugiis, tum litterarum et vocum communione iunxisti; tu inventrix legum, tu magistra morum et disciplinae fuisti. Ad te confugimus, a te opem petimus; tibi nos... penitus totosque tradimus. Est autem unus dies bene et ex praeceptis tuis actus peccanti immortalitati anteponendus.“[2] Atque haec praeclare a philosophia efficiuntur eo, quod mentem humanam maxime erigit et Deo, primo veritatis lumini, infinito bonitatis oceano, ultimo omnium rerum atque eventuum fini, intime coniungit.

10. Neque hanc praeclaram philosophiae excellentiam fractam vel imminutam esse putandum est, quod in revelatione christiana hominibus lumen illustrius et robur maius datum sit. Sed revelatione hac data, etiam philosophiae novae vires sunt additae, novi labores praestandi sunt.

Qua de re praeclare dictum est a *Pio IX* pontif. max.: „Vera et sana philosophia nobilissimum suum locum habet, cum eiusdem philosophiae sit, veritatem diligenter inquirere, humanamque rationem, licet peccato primi hominis obtenebratam, nullo tamen modo exstinctam, recte ac sedulo excolere, illustrare, eiusque cognitionis obiectum ac permultas veritates percipere, bene intellegere, promovere, earumque plurimas, uti *Dei exsistentiam, naturam, attributa,* quae etiam fides credenda proponit, per argumenta e suis principiis petita demonstrare, vindicare, defendere, atque hoc modo viam munire ad haec dogmata fidei rectius tenenda et ad illa etiam reconditiora dogmata, quae sola fide percipi primum possunt, ut illa aliquo modo a ratione intellegantur. Haec quidem agere atque in his versari debet severa et pulcherrima verae philosophiae scientia.“[3]

Atque haec omnia, quae in laudem philosophiae dicta sunt, *Leo* papa *XIII* eximiis verbis comprehendit[4]: „Si quis in acerbitatem

[1] Epist. ad Quint. fratrem 1, 10, 29. [2] Tuscul. 5, 2.

[3] In Brevi „Gravissimas inter“ d. 11 Dec. 1862 dat. ad archiepisc. Monaco-Frising. (*Denzinger-Bannwart,* Enchiridion n. 1670).

[4] Encyclica „Aeterni Patris“ d. 4 Aug. 1879.

nostrorum temporum animum intendat, earumque rerum rationem, quae publice et privatim geruntur, cogitatione complectatur, is profecto comperiet fecundam malorum causam, cum eorum, quae premunt, tum eorum, quae pertimescimus, in eo consistere, quod prava de divinis humanisque rebus scita, e scholis philosophorum iam pridem profecta, in omnes civitatis ordines irrepserint, communi plurimorum suffragio recepta. Cum enim insitum homini natura sit, ut in agendo rationem ducem sequatur, si quid intellegentia peccat, in id et voluntas facile labitur: atque ita contingit, ut pravitas opinionum, quarum est in intellegentia sedes, in humanas actiones influat, easque pervertat. Ex adverso, si sana mens hominum fuerit, et solidis verisque principiis firmiter insistat, tum vero in publicum privatumque commodum plurima beneficia progignet. — Equidem non tantam humanae philosophiae vim et auctoritatem tribuimus, ut cunctis omnino erroribus propulsandis vel evellendis parem esse iudicemus: sicut enim, cum primum est religio christiana constituta, per admirabile fidei lumen *non persuabilibus humanae sapientiae verbis* diffusum, sed *in ostensione spiritus et virtutis* (1 Cor 2, 4), orbi terrarum contigit, ut primaevae dignitati restitueretur; ita etiam in praesens ab omnipotenti potissimum virtute et auxilio Dei exspectandum est, ut mortalium mentes, sublatis errorum tenebris, resipiscant. Sed neque spernenda seu posthabenda sunt naturalia adiumenta, quae divinae sapientiae beneficio, fortiter suaviterque omnia disponentis, hominum generi suppetunt: quibus in adiumentis rectum philosophiae usum constat esse praecipuum. Non enim frustra rationis lumen humanae menti Deus inseruit; et tantum abest, ut superaddita fidei lux intellegentiae virtutem exstinguat, aut imminuat, ut potius perficiat, auctisque viribus habilem ad maiora reddat. — Igitur postulat ipsius divinae Providentiae ratio, ut in revocandis ad fidem et ad salutem populis etiam ab humana scientia praesidium quaeratur: quam industriam, probabilem ac sapientem, in more positam fuisse praeclarissimorum Ecclesiae Patrum, antiquitatis monumenta testantur. Illi scilicet neque paucas, neque tenues rationi partes dare consueverunt, quas omnes perbreviter complexus est magnus Augustinus, huic scientiae tribuens . . . illud quo fides saluberrima . . . gignitur, nutritur, defenditur, roboratur (De Trinit. l. 14, c. 1)."

Quibus ex rebus omnibus intellegitur, quantopere vituperandi sint illi altiorum rerum studiosi, qui ad disciplinas speciales accedunt philosophiae plane ignorantes; qua tamen nihil est in disciplinis a natura hominibus perviis utilius, nihil docili ingenio exoptatius.

Quid enim homini intellegenti et ad superiora in vita humana munera aspiranti magis est necessarium, quam ut gravissimis illis quaestionibus, quae de cognitionis humanae veritate et vi obiectiva, de sancta conscientiae obligatione, de animae humanae libertate, spiritualitate, immortalitate, de rebus ethicis, de principiis iuris naturalis et vitae socialis, de Dei exsistentia, de religionis veritate in philosophia uberrime tractari solent, haud perfunctorie imbutus sit: hac praesertim aetate, ubi nihil

quod sanctum est, quod non ab hominibus impiis voce et scriptis palam lacessatur. Cuinam quaeso in tanto errorum concursu non sit necessarium, ut ante per studia logica ingenium rite excolatur, habilitas quaedam et promptitudo recte ratiocinandi acquiratur et distinguendi verum a falso.

11. Philosophiae partitio. Prima, quae indicanda occurrit, est universalis philosophiae in *theoreticam* sive contemplativam et *practicam* sive operativam distinctio. Prior illa est, quae in obiecti sui sola contemplatione conquiescit: haec vero illa, quae obiecti sui contemplationem ad praxim sive opus refert. Inter illa igitur rerum genera, quae sapientis studio digna videntur, alia quaestionem movent, quid verum *sit,* alia, quid *agendum* sit. Unde recte *Aristoteles* finem theoreticae ait esse *veritatem,* practicae autem *opus*[1].

Et philosophia, quae *res* contemplatur, unde etiam nomen philosophiae *realis* traxit, in naturalem (physicam), mathematicam, metaphysicam antiquitus divisa erat.

„Tres sunt partes philosophiae theoreticae, mathematica, physica, theologia.“[2] „Haec [theologia] alio nomine dicitur *metaphysica,* i. e. transphysica, quia post physicam discenda occurrit nobis, quibus ex sensibilibus competit in insensibilia devenire. Dicitur etiam *philosophia prima,* in quantum scientiae aliae ab ea principia accipientes eam sequuntur.“[3] Et *theologia* vocabatur, quia potissimum in ea agebatur de *Deo.* Haec ultima est, quia „fere totius philosophiae consideratio ad Dei cognitionem ordinatur“[4]. Itaque metaphysica „circa ens et passiones entis atque etiam substantias separatas versatur[5], generatim res altiores et ab hominum sensu abstractas, spirituales et divinas contemplatur. „Metaphysica sive transnaturalis elevatur supra omnem naturam et considerat ens transnaturale sive immateriale et insensibile *praecisive,* quantum considerat rationes, quae possunt convenire tum entibus materialibus, tum immaterialibus, quales sunt ratio entis, substantiae, viventis, cognoscentis, boni, veri, unius, quae conveniunt tum rebus materialibus et sensibilibus, tum spiritualibus et insensibilibus. Considerat ens immateriale *negative,* in quantum considerat rationes, quae non possunt competere entibus materialibus, quales sunt ratio Dei, angeli.“[6]

Quo autem melius mens humana ad perspiciendas res metaphysicas disponeretur, metaphysicae praemiserunt *mathematicam,* quae elevata supra sensum et sensibilem mutabilitatem sibi ens externum contemplan-

[1] Min. met. 1, 1 (993 b 20). Cf. *S. Thom.* in l. Boethii de Trinit. q. 5, a. 1.
[2] *Arist.,* Met. 5, 1 (1026 a 18). [3] *S. Thom.* in l. Boethii l. c.
[4] *S. Thom.,* S. c. gent. 1, 4.
[5] *Silvester de Ferrara* (Ferrariensis) in l. 1 c. gent. c. 4, Dicendum ergo 1°.
[6] *Sylv. Maurus,* Quaest. philos. l. 1, q. 4.

dum proponit, ut extensum est et divisum in spatio. Atque ita mens in res mathematicas incumbens, omissa notitia rerum singularium, secundum leges fixas et universaliter veras res cognoscere et diiudicare facillime assuescit. Quam ob rem *Plato* in foribus Academiae illud Pythagorae scripsisse fertur: μηδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω. Nec ulli ignotum est, quantas partes pythagoraei res naturales perscrutantes mathesi attribuerint: Πλάτων ἀπεφήνατο ἀεὶ γεωμετρεῖν τὸν Θεόν[1].

Sed pro exordio philosophiae realis ea est scientia ab antiquis posita, quam *physicam* vocarunt, quae res naturales ut naturales sunt considerat: in qua rerum mobilium sive mutabilium consideratione mens humana, sensum ducem secuta, per multorum eventuum particularium collectionem ad statuendas certas leges universales ascendit, ex quibus permultae conclusiones inferri possunt. Res naturales mobiles sive mutabiles vocantur, cum propter nostrae cognitionis imperfectionem, qua fit, ut in multis rebus non id quod semper fiat, sed quod ut plurimum evenit, scire possimus, tum vero, quia a legibus naturalibus (velut a lege attractionis universalis) illa necessitas abest, quae ex conceptuum analysi oriunda, omnino est absoluta et in legibus metaphysicis vel mathematicis reperitur.

12. Succedente tempore studium disciplinarum naturalium extensive et intensive augebatur atque materia investigationi doctorum hominum exposita in ingentem molem excrevit. Quo factum est, ut disciplinis naturalibus a philosophia omnino seiunctis cura demandaretur observandorum magna cum diligentia eventuum naturalium modorumque constantium, secundum quos illi eventus contingerent. Immo etiam mathesis secundum speciales suos computos, quippe qui profundiores essent et non tam metaphysicis quam potius physicis considerationibus subservirent, ex philosophiae locis exulavit. Non quasi spernat philosophus has res, vel penitus omissas velit, sed eas potius ab aliis diligenter tractari gaudet, et libenter in usum proprium convertit, ipse solum in contemplandis rebus mentem intenturus, ut eae subsunt *rationibus metaphysicis*.

13. Quoniam autem in toto rerum naturalium ambitu summopere eminent res *viventes*, porro factum est, ut hae speciali tractatione dignae sint habitae, cui tractationi nomen *psychologiae* est inditum. Et quamvis *psychologiae pars prior*, quae de *corpore animato* agit, merito *philosophiae naturali* attribuatur, tamen *altera*, quae a contemplatione vitae *rationalis* in homine exordiens ad inquirendam vitam pure spiritualem ascendit, ad puram spectat metaphysicam. Haec disciplina, quam psychologiam rationalem vocant, propter vim et dignitatem sui obiecti, inter philosophiam naturalem et theologiam naturalem interponi potest.

[1] *Plutarch.*, Sympos. c. 8, q. 2.

Quibus rebus primo effectum est, ut hodie nomine *physicae* ea scientia intellegatur, quae mundum considerat solum, ut legibus *experientia* notis subest; illa autem scientia, quae rerum legumque naturalium causas ulteriores inquirit, sub nomine *philosophiae naturalis* in philosophia reali retineatur. Secundo effectum est, ut scientia, quae phaenomena vitalia speciali diligentia perscrutatur, sub nomine *physiologiae* a philosophia seiuncta sit, illa autem pars antiquae physicae, quae ad horum phaenomenorum causas *metaphysicas* progreditur, sub nomine *psychologiae* tamquam pars specialis philosophiae realis retineatur.

14. **Philosophia realis et metaphysica.** Etsi igitur omnino concedendum est, divisionem antiquitus datam naturae rerum contemplabilium et intellectus contemplantis conformem esse, tamen, cum philosophia naturalis et psychologia (philosophica) sua obiecta nunc considerent solum prout ea subsunt rationibus metaphysicis, recte nomen metaphysicae extenditur ad totam philosophiam realem. Philosophia igitur realis iam idem est ac metaphysica et recte dividitur in metaphysicam *generalem,* quae est de ente in communi et ideo vocatur *ontologia,* et metaphysicam *specialem,* quae secundum obiecta dividitur in *philosophiam naturalem, psychologiam, theologiam naturalem.*

15. Praeter philosophiam realem reperitur *logica,* quae intellectum dirigit ad inveniendam veritatem, et *ethica* sive moralis, quae voluntatem dirigit ad opus suum. Ethica ad philosophiam practicam pertinet. Logica, quamquam disciplinis speculativis a multis adnumeratur, habet tamen maximam cum philosophia practica affinitatem et cum ethica similitudinem. Logica enim humanae mentis actiones ad rectum cognoscendi modum determinat; ethica appetitionis humanae motus secundum rectae rationis normam ad honeste vivendum temperare et moderari docet. Illa ad dirigendam rationem, haec ad mores recte formandos pertinet. Illa ad veritatem, haec ad bonitatem spectat.

16. Ab hac quam dedimus philosophiae partitione vix differt illa, qua scientiam omnem ad realem sive naturalem, rationalem sive logicam, moralem sive ethicam reducunt; vel, ut alii dicunt, in regulativam, speculativam, operativam. Quae philosophandi ratio triplex iam a *Platone* vel potius a Platonis discipulo *Xenocrate* accepta fuit et potissimum a *stoicis* exculta[1]. Et maximos et

[1] *Cic.,* Acad. post. 1, 5, 19. *Sextus Empir.,* Adv. math. l. 7, ed. Col. Allobrogum 1621, p. 140 sq.

plurimos auctores dixisse has tres philosophiae partes esse: moralem, naturalem, rationalem, testatur *Seneca*[1]. Cuius divisionis haec ratio reddi potest: Cum sapientis sit ordinare, sapientia sive philosophia speciali ratione refertur ad ordinem.

„Ordo autem quadrupliciter ad rationem comparatur. Est enim quidam ordo, quem ratio non facit, sed solum considerat, sicut est ordo rerum naturalium. Alius autem est ordo, quem ratio considerando facit in proprio actu, puta cum ordinat conceptus suos ad invicem et signa conceptuum quae sunt voces significativae. Tertius autem est ordo, quem ratio considerando facit in operationibus voluntatis. Quartus autem est ordo, quem ratio considerando facit in exterioribus rebus, quarum ipsa est causa sicut in *arca* et *domo*. Et quia consideratio rationis per habitum perficitur secundum hos diversos ordines, quos proprie ratio considerat, sunt diversae scientiae. Nam ad philosophiam naturalem pertinet considerare ordinem rerum, quem ratio humana considerat, sed non facit; ita quod sub naturali philosophia comprehendamus et metaphysicam. Ordo autem, quem ratio considerando facit in proprio actu, pertinet ad rationalem philosophiam, cuius est considerare ordinem partium orationis ad invicem . . . et ad conclusiones. Ordo autem actionum voluntariarum pertinet ad considerationem moralis philosophiae. Ordo autem, quem ratio considerando facit in rebus exterioribus constitutis per rationem humanam, pertinet ad artes mechanicas.“[2]

Paulo aliter huius divisionis rationem indicavit *S. Augustinus*: „Philosophi sapientiae disciplinam tripartitam esse voluerunt. . . . Cum et de natura rerum et de ratione indagandae veritatis et de boni fine, ad quem cuncta quae agimus referre debemus, diversi diversa sentiant: in his tamen tribus magnis et generalibus quaestionibus omnis eorum versatur intentio. Ita cum in unaquaque earum quid quisque sectetur multiplex sit discrepantia opinionum, esse tamen aliquam naturae causam, scientiae formam, vitae summam, nemo cunctatur. Tria enim sunt, quae in unoquoque homine artifice spectantur, ut aliquid efficiat: natura, doctrina, usus: natura ingenio, doctrina scientia, usus fructu diiudicandus est. Nec ignoro, quod proprie fructus fruentis usus utentis sit, atque hoc interesse videatur, quod ea re *frui* dicimur, quae nos non ad aliud referenda, per se ipsam delectat; *uti* vero ea re, quam propter aliud quaerimus . . . verumtamen eo loquendi modo, quem plus obtinuit consuetudo, et fructibus utimur et usibus fruimur. . . . Hoc itaque more usum dixerim in his tribus, quae in homine spectanda commonui, quae sunt natura, doctrina, usus. Ex his propter beatam vitam obtinendam tripartita ut dixi a philosophis inventa est disciplina: naturalis propter naturam, rationalis propter doctrinam, moralis propter usum.“[3]

---

[1] Epist. 89 n. 7. *Arist.*, Topic. 1, 14 (105 b 20). *Cic.*, De fin. 4, 2, 4.

[2] *S. Thom.* in l. 1 ethic. Nicom. l. 1, initio.

[3] De civit. Dei 11, 25; cf. ibid. 8, 4. Extensior hac de re *S. Bonaventura* in opusc. De reductione artium ad theologiam, et in op. Itinerarium mentis in Deum c. 3, in fine.

17. Apud *Aristotelem* occurrit divisio in scientiam speculativam, activam, factivam[1]. „Differunt enim agere et facere; nam agere est secundum operationem manentem in ipso agente, sicut est *eligere, intellegere* et huiusmodi; unde scientiae activae dicuntur scientiae morales. Facere autem est secundum operationem, quae transit exterius ad materiae transmutationem.“[2] Cui divisioni finitima est distinctio, quae est inter considerationem veri, boni, pulchri. Sed sine negotio intellegitur eam divisionem aptam non esse, ex qua trahatur generalis philosophiae divisio[3].

Scholion 1. *Kant* dicit metaphysicam constitui *philosophia transcendentali* et *physiologia rationali;* illam *(ontologiam)* versari in contemplando systemate omnium conceptuum et principiorum, quae referantur ad obiecta, hanc in contemplandis ipsis naturis obiectorum. Physiologiam rationalem aut physicam esse sive immanentem, aut hyperphysicam sive transcendentem. *Physiologia physica* fertur in naturas, ut sunt obiectum nostrae experientiae; *hyperphysica* nexum obiectorum considerat, qui experientiam nostram supergreditur; qui nexus si est inter ipsa obiecta, consideratur a priore physiologiae hyperphysicae parte, quae est *cosmologia* transcendentalis; si ipsa obiecta coniungit cum uno ente, a quo omnes naturae pendent, ab altera huius physiologiae parte, quae est *theologia transcendentalis.*

Physiologia physica sive immanens aut considerat naturam corporalem, et est *scientia physica* sive *physica rationalis;* aut considerat naturam cogitantem, et est *psychologia rationalis.*

Id igitur esse totius metaphysicae systema, ut in prima parte ponatur ontologia, in altera physica rationalis et psychologia rationalis, in tertia parte cosmologia rationalis, in quarta parte theologia rationalis[4].

Scholion 2. *J. F. Herbart,* cum philosophiam omnem in expolitione emendationeque conceptuum posuisset, distinxit *logicam,* quae conceptus claros et distinctos efficeret; *metaphysicam,* quae conceptus ab omni contradictione purgaret, id quod fieret per psychologiam, philosophiam naturalem, theologiam; *aestheticam,* quae curaret speciali ratione conceptus omnes, qui ad ciendam in nobis complacentiam vel displicentiam apti essent.

18. **Ordo partium philosophiae.** Si quis ordinem quaerat, quo partes philosophiae disponendae sint, is principium praesto habeat necesse est, ex quo haec partium dispositio sit efficienda. Sunt

---

[1] *Πᾶσα διάνοια ἢ πρακτικὴ ἢ ποιητικὴ ἢ θεωρητική.* Met. 5 (6), 1 (1025 b 25; 1026 a 19; 1064 b 1); cf. Ethic. Nicom. 6, 2—5 (1139 sq).

[2] *S. Thom.* in l. 6 met. lect. 1.

[3] Cf. *Trendelenburg,* Log. Untersuchungen II[3] 456.

[4] Kritik der reinen Vernunft. Methodenlehre, 3. Hauptst., ed. Acad. Berolin. tom. 3, p. 538 sqq.

qui neglectis omnibus aliis rationibus ea praeire iubeant, quae faciliora videantur. Quod principium verum quidem est et maximopere observandum. Sed non est princeps. „In addiscendo incipimus ab eo, quod est magis facile, nisi necessitas aliud requirat. Quandoque enim necesse est in addiscendo non incipere ab eo, quod est facilius, sed ab eo, a cuius cognitione cognitio sequentium dependet.“ [1] Est facilius, in aedificio cubicula exornare et tectum absolvere, quam aedificii fundamenta iacere; nemo tamen quisquam domum superiorem aedificabit prius quam inferiorem. Quod si ita est, in addiscenda philosophia a logica incipere necesse est. Absurdum est enim, ut monet *Aristoteles,* simul scientiam et modum scientiae quaerere, cum neutrum facile accipere sit [2].

Ad quem locum *S. Thomas* animadvertens: „Prius, inquit, philosophus debet addiscere logicam quam alias scientias, quia logica tradit communem modum procedendi in omnibus aliis scientiis.“ [3] Quod ipsum *S. Augustinus* monuerat: „Quando, inquit, ratio transiret ad alia fabricanda, nisi ipsa sua prius quasi quaedam machinamenta et instrumenta distingueret, notaret, dirigeret, proderetque ipsam disciplinam, quam dialecticam vocant? Haec docet docere, haec docet discere, in hac se ipsam ratio demonstrat, atque aperit, quae sit, quid velit, quid valeat. Scit scire, sola scientes facere non solum vult, sed etiam potest.“ [4]

Et probe sciebat Aquinas, cum logica multo incipientibus maiorem difficultatem coniunctam esse quam cum mathesi et scientia naturali, cum hae in rebus cognitioni nostrae magis obviis versentur, illa in re a cognitione nostra remotiore. Nihilo tamen secius oportet, ut ipse affirmat, „in addiscendo a logica incipere, non quia ipsa sit facilior scientiis ceteris, habet enim maximam difficultatem, sed quia aliae scientiae ab ipsa dependent, in quantum ipsa docet modum procedendi in omnibus scientiis“ [5].

19. Quod si quis quaerat, quo ordine partes philosophiae *realis* addiscendae sint, ultimus locus *theologiae naturali* reservandus est. „Metaphysica“, inquit *Aquinas,* „quae circa divina versatur, inter omnes philosophiae partes ultima remanet addiscenda“ [6], et alio loco dicit „in doctrina philosophiae primam esse considerationem

[1] *S. Thom.* in l. Boethii de Trinit. q. 6, a. 1 secundo ad 3.
[2] Min. met. 1, 3 (995 a 12). [3] In l. 2 met. lect. 5.
[4] De ordine 2, 13, 38.
[5] In l. Boethii de Trinit. l. c. Si igitur *S. Thomas* alio loco docet, „in ordine doctrinae transeundum esse a facilioribus ad difficiliora“ (S. th. 2, 2, q. 189, a. 1 ad 4), nomine faciliorum ea imprimis intellegit, quae nobis facilem viam sternunt, ut a notioribus ad minus nota procedamus, tum „propter remotionem impedimenti“, tum „propter appositionem adiutorii“ (De verit. q. 24, a. 4 ad 1).
[6] S. c. gent. 1, 4.

de creaturis et ultimam de Deo“ [1]. „Deus enim non est primum, quod a nobis cognoscitur, sed magis per creaturas in Dei cognitionem pervenimus.“ [2] „Haec duo, scilicet temporalia et aeterna, comparantur ad cognitionem nostram hoc modo, quod unum eorum est medium ad cognoscendum alterum. Nam secundum viam inventionis per res temporales in cognitionem devenimus aeternorum. . . . In via vero iudicii per aeterna iam cognita de temporalibus iudicamus, et secundum rationes aeternorum temporalia disponimus.“ [3] Praeterea „apud philosophos prima philosophia utitur omnium scientiarum documentis ad suum propositum“ [4].

Et quia homo ex naturae ordine prius mundum externum contemplatur, quam ad sui ipsius considerationem reflectitur, necessarium est, ut psychologiae philosophia naturalis antecedat.

Iam igitur is in rebus philosophicis ordo esse debet, ut primo tractentur *res logicae,* atque ex simili ratione studium philosophiae realis incipi debet ab ontologia sive metaphysica generali. In metaphysica speciali primo de philosophia naturali agendum est, et de parte prima psychologiae; tertio demum loco ponatur altera pars psychologiae, quippe quae ordinem materiae penitus excedat, et deinde illa pars philosophiae realis, quae agit de Deo ultima omnium rerum causa. His autem rebus studium *ethicae* aptissime, ut disciplina separata, adiungi potest. Ethica enim, quae ad dirigendam voluntatem pertineat, multo commodius absolvitur, postquam de anima humana et de Deo est disputatum.

§ 2. De relatione philosophiae ad reliquas scientias ordinis naturalis.

20. Ratione obiecti philosophia prae omnibus scientiis excellit *extensive* et *intensive.*

Extensive seu quoad obiectum materiale philosophia est scientia omnium universalissima; ipsa enim sola est, ad cuius obiectum pertinet, quidquid homini naturaliter cognoscibile est; omnes aliae scientiae ad certum obiectorum ambitum restringuntur. *Intensive* seu quoad obiectum suum formale philosophia praestat aliis scientiis, quatenus res considerat secundum causas seu rationes ultimas (cf. n. 4).

21. Non tamen philosophia eo sensu dici debet scientia universalis (cf. n. 3), quasi ipsa sit unica scientia totalis, cui omnes aliae scientiae ut partes stricte subalternentur. Scientia totalis est systema conclusionum, quae in uno obiecto versantur.

[1] S. c. gent. 2, 4. [2] S. th. 1, q. 88, a. 3.
[3] S. th. 1, q. 79, a. 9. [4] S. c. gent. 2, 4.

Requirere solent, ut obiectum scientiae totalis 1° sit necessarium et universale quid vel singulare ut subest rationibus universalibus; 2° ut sit unum saltem unitate analoga; 3° ut sit reale quid et verum, i. e. ut de eo esse possit demonstratio et veritas propositionis; 4° ut sit id, cuius gratia cetera, quae in illa scientia traduntur, cognoscantur; 5° ut sit adaequatum, i. e. ut neque latius neque minus late pateat quam ipsa scientia.

Obiectum scientiae duplex distinguitur, unum materiale, formale alterum. Materiale quasi materia est, in qua scientia vertitur; formale est huius materiae determinatio sive illa ratio obiectiva, sub qua res a scientia consideratur.

„Cuiuslibet cognoscitivi habitus obiectum duo habet, scilicet id quod materialiter cognoscitur, quod est sicut materiale obiectum, et id per quod cognoscitur, quod est formalis ratio obiecti; sicut in scientia geometriae materialiter scita sunt conclusiones, formalis vero ratio sciendi sunt media demonstrationis, per quae conclusiones cognoscuntur.“ [1]

Unitatem et distinctionem scientiarum totalium trahere solent ex obiecto uno totali et adaequato, ita ut una sit scientia, cuius obiectum ut obiectum est unum et totale, ad quod referri possunt, quaecumque in ea scientia traduntur.

Et diversificantur quidem scientiae per se non secundum diversitatem obiecti materialis, sed secundum diversitatem obiecti formalis sive principiorum, quibus aliquid scitur. „Sicut ratio formalis visibilis sumitur ex lumine, per quod color videtur, ita ratio formalis scibilis accipitur secundum principia, ex quibus aliquid scitur. Et ideo quantumcumque sint diversa scibilia per suam naturam, dummodo per eadem principia sciantur, pertinent ad unam scientiam, quia non erunt iam diversa, in quantum sunt scibilia.“ [2]

22. Huiusmodi autem scientiae sunt complures; nam non exsistit pro humano intellectu principium *deductivum unum,* unde veritates omnes trahi possint. — Principium *reductivum,* ad quod per demonstrationem indirectam veritates omnes reduci possint, est principium contradictionis. Ut autem cognitio aliqua habeat rationem principii *deductivi,* requiritur, ut ita in se veritates omnes contineat, ut nos eas inde deducere possimus. Atqui nulla eius generis cognitio indicari potest. Eam enim poneretur reperiri aut in ordine ideali sive rationali, aut in ordine experimentali. At nullum est in ordine ideali principium, unde deduci possint ea, quae ad ordinem experimentalem spectant. Et multo minus est

[1] *S. Thom.,* S. th. 2, 2, q. 1, a. 1.
[2] *S. Thom.* in l. 1 anal. post. lect. 41.

in ordine experimentali, quod instar principii sit, nisi ope alicuius principii rationalis. Porro experientia teste inveniuntur plurimae veritates, quae ex nullis aliis deducuntur et ex quibus aliae legitime demonstrari possunt.

Exsistit quidem notio entis communissima, sed ex illa utpote abstractissima nullam veritatem determinatam deducere possumus. — Exsistit etiam unum ens supremum, scil. Deus, omnis perfectionis seu realitatis fons; ideo Deus ipse, se ipsum per unam simplicissimam cognitionem comprehendens, est actu omniscius et in sua comprehensione etiam accurate omnia intellegit, quae eminenter et virtualiter continet. At nos uti in nostro esse, ita etiam in nostra cognitione ab ista perfectione divina infinite deficimus, et cum naturaliter Deum imperfecte tantum et indirecte ex creatis cognoscamus, Deus pro nostro intellectu non est fons seu medium quod cognitum nos ducat in cognitionem omnium rerum. Ergo neque ex hac parte adest nobis unica scientia; sed tot pro nostro intellectu scientiae diversae distingui possunt, quot assignari possunt obiecta formalia inter se perfecte distincta.

23. Multiplex inter scientias relatio et subordinatio. Subordinatio sive subalternatio, si vi vocis latioris accipiatur, est quaelibet unius scientiae ab altera dependentia.

Tribus modis una scientia ab altera pendere potest: 1° ratione *finis,* cum obiectum unius refertur ad obiectum alterius tamquam medium; hoc modo scientia militaris subordinata est scientiae politicae, pharmaceutica medicinae. 2° ratione *obiecti,* cum obiectum unius scientiae continetur sub alterius obiecto. Duplici autem modo fieri potest, ut subiectum sive obiectum unius scientiae sit sub alterius obiecto, „uno quidem modo, quando subiectum unius scientiae est species superioris scientiae, sicut *animal* est species corporis naturalis. . . . Alio autem modo, quando subiectum inferioris scientiae non est species superioris scientiae . . . sicut *perspectiva* se habet ad geometriam; geometria enim est de linea . . . perspectiva autem est circa lineam visualem. . . ." [1] 3° ratione *principiorum,* cum principia alicuius scientiae demonstrantur in scientia superiore.

Duplicem distinguunt subalternationem, externam sive impropriam, et internam sive propriam. *Externa* est, cum scientia una refertur ad aliam aut per accidens tantum (ita per accidens contingit, ut in medicina considerentur figurae vulnerum), aut tamquam ad finem dumtaxat externum, ita ut ab ea obiectum et principia non accipiat (ita logica disciplinis reliquis subordinatur). Subalternatio autem *interna* sive propria ea est, qua una scientia pendet ab altera ratione obiecti et principiorum.

[1] *S. Thom.* in l. 1 anal. post. lect. 25.

Ad subalternationem propriam requiritur, ut obiectum inferioris sit quidem obiectum superioris, sed contractum ad specialem materiam et quidem per differentiam accidentalem (si contrahitur per differentiam essentialem, potius est pars ipsius superioris), et ut principia sua accipiat a superiore.

24. Inter quinque scientias primarias: mathematicam, physicam, metaphysicam, logicam, ethicam nulla est, quae proprie subalternetur reliquis. Nam unaquaeque earum obiectum habet plane diversum et principia propria, quae accipi non debent ab alia scientia[1]. De metaphysica *Suarez:* „Licet metaphysica demonstrare possit aliquo modo illa principia, illa tamen demonstratio non est simpliciter necessaria ad iudicium evidens talium principiorum, cum ex terminis possint evidenter cognosci et illa demonstratio non sit proprie a priori, sed per deductionem ad impossibile vel ad summum per aliquam extrinsecam causam.“ [2]

Si autem non agatur de subalternatione proprie dicta, sed de aliqua subordinatione latius accepta, scientia, cui ceterae subdantur, haberi potest sub diversa ratione tum logica, tum moralis, tum metaphysica.

Namque scientiae omnes a logica dependent, ut recte et ordinate evolvantur; a morali, ne in earum usu voluntas rectam viam relinquat; a metaphysica, ut mens cognoscat penitius naturam rerum intimam et rationes omnibus rebus communes et essentialem omnium rerum nexum cum primo principio et fine ultimo, qui est Deus O. M.

25. In ordine rationis humanae *metaphysica* est commune vinculum, quo scientiae omnes unitae sunt. Nam inter scientias dominatus illi scientiae competit, cuius obiectum latissime patet et sub se habet obiecta reliquarum, cuius praeterea principia fundamenta praebent principiis reliquarum. Atqui id de metaphysica est arbitrandum.

Eius enim obiectum est ens in communi, et ens absolutum. Ens in communi latissime patet: et quia in unaquaque scientia consideratur „aliqua pars entis divisa ab aliis“, omnia obiecta sub se comprehendit. Et fieri non potest, ut quis determinatum et peculiarem aliquem modum entis perfecte cognoscat, nisi universales eius rationes cognoscantur. Sicut singuli modi peculiares entis sunt quaedam determinationes entis in communi, ita notiones speciales scientiarum sunt determinationes notionum universalium entis. Ens autem absolutum sive Deus est obiectum supremum mentis, cuius notio omnino necessaria est ad illustrandas et per-

[1] *Sylv. Maurus,* Quaest. philos. l. 1, q. 22.
[2] Disput. met. disp. 1, sect. 5, n. 50.

ficiendas notiones omnium aliarum scientiarum. De principiis autem alio loco satis dicentur, ex quibus intellegetur non esse ullam rerum scientiam, quae non regatur principiis metaphysicis.

Recte igitur a peripateticis statutum est, metaphysicam esse maxime appetibilem ab homine, ut homo est, tam appetitu naturali quam rationabili optime ordinato[1].

26. *Metaphysica* omnibus scientiis *principia, logica* omnibus praestat *generalem methodum* secure perveniendi ad veras certasque conclusiones. Attamen tum quoad principia tum quoad methodum ea quae omni scientiae sunt necessaria, adeo facile natura duce ab omnibus cognoscuntur, ut non possit dici ante studium omnium aliarum scientiarum absolute *praerequiri* studium philosophiae (logicae et metaphysicae). Ad securitatem autem in progressu ulteriori et in conclusionibus difficilioribus omnium scientiarum requiritur philosophia. — Ex altera parte etiam philosophia aliis scientiis indiget, non quidem ad statuenda sua principia generalia neque ad eas conclusiones, quae ex ipsis principiis et obvia rerum experientia deduci possunt, sed ad ulteriorem progressum praesertim in metaphysica speciali materiam philosophus haurire debet ex scientiis particularibus.

27. Ex dictis elucet, quid sentiendum sit de *absoluta libertate* et *independentia* scientiae. Ratio humana nullo modo ea independentia gaudet, quam rationalistae et cuiuslibet generis subiectivistae ipsi ascribunt.

Subiectivistae rationem humanam ponunt efficere veritatem rerum eo fere modo, quo intellectus divinus est mensura omnium veritatum creatarum. Quinimmo ponunt rationi humanae licere, ut efficiat et construat veritatem puro arbitrio libidinis suae.

Atqui haec fundamenta falsa sunt. Nam inter cognitionem humanam et veritatem obiectivam ea est habitudo, ut veritas obiectiva mensura sit, a qua facultas cognoscitiva omnino pendeat. Unde ratio humana veritatem non creat, sed invenit et veritati inventae sese pro natura sua conformare debet.

In illis quidem rebus, in quibus cognita veritatis evidentia vim intellectui non infert, potest ratio voluntatis pondere in hanc potius quam in illam partem inclinari. Verum minime voluntati est licitum, ut hoc in negotio agat ex libero libidinis arbitrio.

28. Etenim non solum absurda est illa arbitrandi et dicendi licentia, quae ex scepticismo est consequens; sed neque in opinionibus solum

[1] *Suarez*, Disput. met. disp. 1, sect. 6, n. 31.

probabilibus ea esse potest effrenata philosophandi libido, quam adversarii fingunt. Dubia enim pro dubiis, probabilia pro probabilibus tenenda sunt; et in amplectendis variis sententiis certa semper prudentiae regula sequenda est. Neque obstat dictum illud: In dubiis libertas. Non enim, ut observat *Tongiorgi*[1], hoc effatum de libertate opinandi est, sed de libertate manifestandi receptas opiniones, et de libertate quidem non ethica sive „ab obligatione", sed de libertate „a coactione". Aequum est enim, ut in rebus vere dubiis sinamus unumquemque sequi opinionem illam, quae ipsi probabilior videatur. Intra quos autem limites honestum sit et hominibus utile, ut opiniones certo erroneas vulgari permittatur, id per scientiam ethicam et politicam et nostrorum praesertim temporum experientiam definiatur. Haec incredulis et rationalistis concessa libertas, ut placita quaeque non solum contra veritates a Deo revelatas, sed etiam contra alias, quae ordinis religiosi, ethici, socialis fundamenta sunt, haec, inquam, licentia ne confundatur cum rationabili aliqua libertate philosophandi, quae in multis rebus locum habere potest.

Certe autem obligatur primo unusquisque homo, ne dubitare velit de veritatibus vel in se evidentibus, vel quas evidenter credibiles esse sit demonstratum. Et iniuria est, si quis illi assensum detrectare velit, cuius scientia et veracitas nulli rationabili dubio subesse potest.

Secundo, etiamsi in permultis rebus non tenemur ad veritatis inquisitionem, in quibus igitur nobis liberum est, utrum inquirere velimus an non, tamen ea esse potest rerum circumstantia, ut ad inquirendam veritatem obligemur, atque etiam ad adhibendam eam attentionem et reflexionem, quae inveniendae veritati par sit.

29. Scientia igitur neque est res a libera voluntate et arbitrio hominis efficienda aut construenda neque lusus imaginationis poeticae, sed scientia est res *intellectus;* scire enim non est velle nec efficere sed est novisse, quid sit res, qualis sit, an sit, cur sit.

Pendet igitur omnis scientia 1° a rebus ipsis, et 2° consequenter etiam ab aliis scientiis; eo ipso enim quod omnis scientia vera sit cognitio rerum uti res sunt, quae ab aliqua scientia recte et vere cognita, probata, statuta sunt, necessario valent pro omni intellectu et omnibus aliis scientiis. Non solum impossibile est verum vero contradicere, sed etiam quod ex uno vero fonte certum est, admittendum est. Quod quidem generatim admitti solet in aliis scientiis; sed eodem iure valet etiam de theologia.

§ 3. De relatione philosophiae ad theologiam.

30. Inter omnes eventus, qui per historiam constant, nullus est, qui in clariore luce versetur quam factum revelationis divinae, qua patefactae sunt hominibus a Deo veritates summi momenti,

[1] Logica n. 745.

cum tales, ad quas etiam per solum lumen rationis homo pertingere possit, tum eiusmodi, quae omnem vim naturalem humani intellectus superant. Non licet ergo philosopho huius revelationis divinae esse ignoranti. Neque ignorare licet philosopho scientiam, quae in rebus per revelationem manifestatis versatur, quam theologiam vocant.

De ordine igitur, qui est inter philosophiam et theologiam, dicendum est philosophiam aliqua ratione esse a theologia independentem, alia ratione dependentem. Independens est ratione *obiecti* et *principii*. Est autem philosophia a theologia dependens, quatenus ordo naturalis ordini supernaturali subiectus est et quatenus lumen rationis humanae (finitae) directionem atque etiam correctionem ex parte luminis intellectus divini (infiniti) admittere debet. *Oppositio* nulla est, cum verum vero non obstet. Iam de singulis accuratius, atque primo *de obiecto*.

31. *Obiectum materiale philosophiae* seu ambitus rerum omnium de quibus philosophiae agendum est, est quidquid naturali lumine rationis humanae cognosci potest. Ex ipsa autem natura hominis finita et limitata sequitur, scientiam humanam ideoque etiam ipsam philosophiam esse limitatam quoad obiectum seu materiam. Nulla quidem veritas esse potest, quae sit *contra* rationem, non autem repugnat esse veritates, quae sint *supra* rationem. *Contra* rationem est assertio, in qua inesse repugnantiam inter subiectum et praedicatum evidenter percipimus; et talis assertio nequit esse vera. *Supra* rationem est veritas seu res, cuius vel exsistentiam vel intimam naturam vel ipsam possibilitatem solis viribus et mediis naturalibus ratio humana certo cognoscere non valet. Quoad *exsistentiam* nobis naturaliter ignota sunt e. g. actus liberi futuri creaturarum; quoad *intimam naturam* non perfecte cognoscere valemus Deum eiusque perfectiones, quamvis certo cognoscere possimus exsistentiam Dei ut infinite perfecti. Tandem ex revelatione cognoscimus veritates, quae sunt *mysteria stricte dicta*, i. e. quorum „neque exsistentiam ex naturalibus principiis invenire neque possibilitatem ex internis rationibus *positive* intellegere possumus in hac vita, ne tum quidem cum a Deo nobis revelata sunt“ [1].

Neque ipsa haec mysteria stricte dicta sunt *contra* rationem, nam ratio non videt in iis repugnantiam; sed sunt maxime *supra* rationem, quae neque eorum exsistentiam neque eorum possibilitatem viribus suis positive cognoscere valet.

Esse autem mysteria latius dicta ex allatis exemplis constat. De futura exsistentia actuum liberorum non possumus mediis natu-

[1] *Chr. Pesch*, Compend. theol. dogm. I n. 69.

ralibus certitudinem habere. Dei cognitionem viribus naturae non habemus intuitivam sed discursivam ex creaturis. Atqui ex cognitione effectus a virtute et perfectione causae tantopere deficientis non possunt cognosci omnia intellegibilia, quae pertinent ad perfectionem causae. Ergo per ipsum rationis humanae lumen non solum non videmus repugnantiam veritatum, sed etiam positive videmus esse veritates, quae vel quoad exsistentiam vel quoad intimam naturam humanae rationis captum excedant.

Et confirmatur 1° ex discrimine, quod est inter intellectum humanum et divinum. „Duorum, quorum unus alio rem aliquam intellectu subtilius intuetur, ille, cuius intellectus est elevatior, multa intellegit, quae alius omnino capere non potest, sicut patet in rustico, qui nullo modo philosophiae subtiles considerationes capere potest. . . . Ipse enim intellectus divinus sua capacitate substantiam suam adaequat et ideo perfecte de se intellegit, quid est, et omnia cognoscit, quae de se ipso intellegibilia sunt. [Intellectus humanus nonnisi ex rebus sensibilibus et etiam ex ipsa anima in Dei cognitionem ascendit.] ... Unde non ad omnia, ... quae in se ipso Deus intellegit, . . . humana ratio sufficit capienda. Sicut igitur maximae amentiae esset idiota qui ea, quae a philosopho proponuntur, falsa esse assereret, propter hoc, quod ea capere non potest; ita et multo amplius nimiae stultitiae esset homo, si ea quae divinitus . . . revelantur, falsa esse suspicaretur ex hoc, quod ratione investigari non possunt.“ [1]

Confirmatur id 2° ex mentis humanae infirmitate. Nam de rebus sensibilibus aliqua cognoscimus, unde concludimus multa esse in ipso hoc rerum sensibilium ordine, quae a nullo adhuc sint cognita, et multa praeterea, quae vix umquam ab humano ingenio perspecta erunt. Quanto igitur plura erunt in substantia divina, ad quae cognoscenda nullum humanum ingenium ex natura sua sufficit!

Haec de obiecto materiali philosophiae eiusque ambitu et limitatione.

32. *Obiectum materiale theologiae* est omnis veritas a Deo revelata et omnis conclusio ex veritate revelata.

De facto Deus revelavit non solum mysteria, sed etiam sat multa, quae ratio humana (historice vel philosophice) investigare et cognoscere valet, fide tenenda proposuit, quo facilius et certius omnes homines ea cognoscerent.

33. Ex dictis elucet obiectum materiale philosophiae et theologiae partim commune, partim diversum esse.

1. Ad solius philosophiae obiectum materiale pertinet omnis ea veritas, quam lumine rationis homo cognoscere potest, et quam

[1] *S. Thom.*, S. c. gent. 1, 3.

Deus non revelavit (neque explicite neque implicite, neque formaliter neque virtualiter).

2. Theologiae solius obiectum materiale sunt mysteria et quaecumque ex sola revelatione (sive directe sive per conclusionem) nota sunt.

Errant igitur vehementer qui dicunt, omnes veritates revelatas ex nativa humanae rationis vi deducendas esse, et omnia indiscriminatim dogmata religionis christianae esse obiectum philosophiae.

3. Ad obiectum materiale tum philosophiae tum theologiae pertinent eae veritates, quae tum ex ratione (vel experientia historice) tum ex revelatione constant; v. g. exsistentia Dei, facta historice certa in sacra Scriptura narrata etc.

34. Differunt philosophia et theologia obiecto *formali*. Obiectum formale philosophiae sunt res consideratae sub rationibus ultimis sive metaphysicis; obiectum formale theologiae sunt veritates qua revelatae.

Differunt tandem *principio*. Principium philosophiae est lumen naturale rationis humanae; principium theologiae est lumen revelationis divinae (supernaturalis).

Ergo post factam revelationem duplex est ordo cognitionis tum obiecto tum principio distinctus.

Ex dictis de obiecto et principio philosophiae et theologiae de *relatione* inter utramque scientiam sequitur:

35. I. Nulla potest esse vera *oppositio* seu contradictio inter eas.

1. *Quae ex revelatione divina per fidem tenentur, non possunt naturali rationi esse contraria.* Nam „illud idem, quod inducitur in animam discipuli a docente, doctoris scientia continet, nisi doceat ficte; quod de Deo nefas est dicere. Principiorum autem naturaliter notorum cognitio nobis divinitus est indita, cum ipse Deus sit auctor nostrae naturae. Haec ergo principia etiam divina sapientia continet. Quidquid igitur principiis huiusmodi contrarium est, est divinae sapientiae contrarium“ [1]. „Homo dum credit, rationem non abnegat, quasi contra eam faciens, sed eam transcendit, altiori dirigenti innixus, scilicet veritati primae, quia ea quae fidei sunt, etsi supra rationem sint, tamen non sunt contra rationem. Ea autem quae supra hominem sunt quaerere, non est vituperabile sed laudabile: quia homo debet se erigere ad divina, quantumcumque potest.“ [2] — Externam autem myste-

[1] *S. Thom.*, S. c. gent. 1, 7. Cf. *Conc. Vatic.* sess. 3, de fide catholica (*Denz.-Bannw.* n. 1797 sq).

[2] *S. Thom.* in 3 dist. 24, q. 1, a. 3, sol. 2 ad 2.

riorum veritatem ratio humana cognoscere potest, modo homo ne amet plus tenebras quam lucem et motiva credibilitatis diligenter examinare velit. — Neque id exspectatur a ratione humana, ut admittat revelatam doctrinam, quin cum vera certitudine respectiva sibi constet Deum revera locutum esse.

36. 2. *Neque ex altera parte quae philosophice certo constant, revelationi contradicere possunt.* Neque inscite ab *Aquinate* statutum est, „probationes, quae contra fidem inducuntur, non esse demonstrationes, sed solubilia argumenta“ [1]. Ita mathematicum videmus, cum perspexerit, id quod evenerit ex computis mathematicis, falsum esse, vel observationes astronomicas non convenire cum principiis mathematicis, novas inquisitiones instituere, non quod principia mathematica vel leges observationis astronomicae in dubium vocet, sed quia se aliqua in re errasse sumit. Atque id prudenter quidem. Et quamvis forte errorem a se commissum detegere non possit, firmiter tamen tenet, quidquid dicatur contrarium principiis mathematicis adnumerandum esse „solubilibus argumentis“.

Si quae autem opponantur difficultates vere insolubiles, his impeti certum est non ipsam veritatem revelatam, sed modum concipiendae vel explicandae revelationis ab hominibus ipsi revelationi additum. Unde sapienter est monitum, „ne, quidquid verum aliquis esse crediderit, statim velit asserere, hoc ad veritatem fidei pertinere“ [2].

37. II. *Recte statuitur: philosophiam esse a theologia dependentem intrinsecus, sed tamquam a norma extrinseca et per se negativa.*

1. *Vere* dependet. a) Cum doctrina de duplici veritate, quam iam saeculo XIII quidam philosophi Lutetiae Parisiorum et neoperipatetici saeculo XVI, inter quos Pomponatius, statuerant, absurda sit, nec minus absurda sententia modernistarum, cum omnis veritas tum scientiae tum fidei consistat in conformitate mentis cognoscentis cum re quam scit vel credit, iam inde constat nullam scientiam ab aliis eo sensu esse independentem, ut adsit illimitata opinandi libertas. Eo ipso igitur quod veritas omnis cognitionis ideoque omnis scientia respicere debet res, etiam respicere debet certam veramque manifestationem veri, haec autem evidenter habetur in revelatione divinitus facta.

38. b) Specialis ratio est in absoluta infallibilitate revelationis divinae et suprema dignitate ipsius.

---

[1] S. th. 1, q. 1, a. 8; cf. S. c. gent. 1, 7, 4.

[2] *S. Thom.*, De pot. q. 4, a. 1.

Ratio humana ideoque omnis scientia naturalis est quidem capax verae certitudinis, estque solum fallibilis per accidens. Revelatio autem et auctoritas Dei est absolute infallibilis. Iam sub hoc respectu dignitas revelationis est infinita. Dignitas revelationis autem etiam ex ipsius fine profluit; qui finis est tum supremus tum homini maxime necessarius.

Ergo recte damnata est a *Pio IX* propositio (14 Syllabi): „Philosophia tractanda est nulla supernaturalis revelationis habita ratione.“ [1]

Absurda est ergo illa „libertas cogitandi“, quae a multis nostrae aetatis incredulis pro ordine religioso et ethico statuitur. Haec non potiore iure habetur in ordine religionis et morum quam in ordine mathematico et physico. In nullo enim ordine homini licet esset mendaci.

39. 2. Dependentia est *intrinseca,* quatenus non solum ob rationes philosophiae extrinsecas, sed ex natura ipsius philosophiae consequitur. Philosophia enim ipsa eam dependentiam ex suis principiis postulat; docet enim vero verum necessario consentire; Deo infinite sapienti et veraci credendum esse. Inde elucet, quam falsa et cur falsa sit propos. 10 Syllabo *Pii IX* damnata: „Cum alius sit philosophus et aliud philosophia, ille ius et officium habet se submittendi auctoritati, quam veram ipse probaverit; at philosophia neque potest neque debet ulli se submittere auctoritati.“ Etiam philosophia et philosophus qua philosophus revelationi se submittere debent.

40. 3. Revelatio tamen utpote norma philosophiae *extrinseca* per se non est norma positiva, sed *negativa.* Non est norma positiva, i. e. nihil a philosopho ut tali per se vel affirmandum vel negandum est, nisi quod ex principiis *rationis* verum aut falsum esse intellegitur. Est norma negativa, i. e. ne quid philosophia audeat docere, quod doctrinae fidei contradicit, ne quid audeat negare, quod a doctrina fidei affirmatur.

41. Cum *Aristoteles* dixisset scientiam metaphysicam esse „principalissimam et honorabilissimam, et cui *ceteras scientias* tamquam *ancillas* non contradicere deceret“ [2], non sine ratione a philosophis christianis similis dicendi forma est adhibita, cum de relatione inter theologiam et scientias reliquas dicerent.

Illa enim scientia, quae est ex principiis revelationis divinae, scientias reliquas superat tum propter excellentiam sui obiecti, tum propter effectum, quem in animis discentium producit, tum propter nobilitatem finis, ad

[1] *Denz.-Bannw.* n. 1714. [2] Met. 2, 2 (996 b 11).

quem homines adducit [1]. Et praeclara quidem et nobilissima sunt, quae theologia a suis ancillis exspectat. Fides enim per scientiam gignitur (propter praecedentem persuasionem de praeambulis fidei), nutritur, roboratur (per momenta rationis, ex quibus quodammodo declaratur et intellegitur), defenditur (per confutationem adversariarum cavillationum) [2]. Certe hoc famulatu philosophia nihil dignitatis amittit, quia nihil in se recipit, quod argumentis e ratione petitis non probetur. Et illud quoque hac in re omittendum non est, theologiam, scholasticorum iudicio, philosophiae non dominari in *omnibus* controversiis, sed in illis tantum, quae ad *fidem* quodammodo spectant. Innumerabilia autem in philosophia et disciplinis aliis (quae nomine philosophiae a scholasticis comprehendi solent) tractantur, quae quoad modum tractationis pro rebus theologicis nullum plane momentum habent [3].

42. Philosophia theologiae triplici potissimum modo inservit.

1. *Primo* fidei fundamenta demonstrat et ea quae sunt *praeambula fidei*, quae ad evidentem fidei christianae credibilitatem tam multa, tam mira divinitus sunt disposita; velut ea quae naturalibus rationibus de Deo probantur, ut Deum esse, Deum esse unum; vel relationem de facto revelationis historicam ab omni errore et mendacio immunem esse: has igitur vel illas veritates credibiles esse atque credendas propter testimonium divinum. In hac scientifica demonstratione praeambulorum fidei veritas ipsius revelationis non assumitur in ipsis praemissis argumentorum, secus committeretur circulus vitiosus. Non tamen negatur vel positive et realiter in dubium vocatur veritas revelationis, sed ab ea tantum abstrahitur. Si autem dubitaverit fortasse quispiam, liceatne ante philosophiam revelationem ponere esse veram, is sibi responsum referet: de veritate revelationis christianae prudenti cuique homini omnino constare posse etiam ante institutionem philosophicam. Exclusum igitur manet omne dubium reale seu non mere methodicum de revelationis veritate.

43. 2. *Secundo* multa ex iis, quae divina revelatione traduntur, naturalibus argumentis *confirmari* possunt, ita ut faciliore negotio etiam ad illa manuducamur, quae omnino supra rationem sunt posita. „Ratio manuducta per fidem excrescit in hoc, ut ipsa credibilia plenius comprehendat, et tunc ipsa quodammodo intellegit.“ [4] Quapropter non sine magna utilitate est, ex iis, quae per rationis naturalis usum nobis nota sunt, quaerere analogias, quibus ad illa, quae rationem humanam excedunt, utcumque intellegenda

[1] Ita *S. Thom.*, S. th. 1, q. 1, a. 5. [2] *Aug.*, De Trinit. 14, 1, 3.
[3] Cf. *Sanseverino*, Philos. christ. I 107 sq.
[4] *S. Thom.* 1 dist. Prolog. a. 3, sol. 3.

iuvemur. Quam externam sapientiam *S. Basilius* amictui comparat, qui veritati revelatae induatur „tamquam si folia quaedam fructui et umbraculum et aspectum non inamoenum praebent“ [1].

44. 3. *Tertius* rationis usus frequens et necessarius est ad „resistendum his, quae contra fidem dicuntur, sive ostendendo esse falsa, sive ostendendo non esse necessaria“ [2]. „Est quidem“, ut monuit *Clemens Alex.*, „perfecta et nullius indigens doctrina Servatoris nostri, cum sit Dei virtus et sapientia. Accedens autem graeca philosophia non veritatem facit potentiorem, sed debilem adversus eam efficit sophisticam argumentationem.“ [3]

Recte igitur a *S. Bonaventura* dictum est: „Scientia ista valet ad fidei introductionem et introductae provectionem et provectae defensionem et defensae confirmationem.“ [4]

CAPUT II.

Praenotiones de logica.

§ 1. De obiecto logicae.

45. Cum scientiae secundum diversitatem obiecti distinguantur, de obiecto logicae primum dicimus.

Obiectum logicae est cognitio humana.

Cognitionis notio. Cognitionum tota fere vita hominis plena est: et cognitio quid sit, experiendo cuique satis notum est. Solet enim mens nostra, dum cognoscit, apud se manendo etiam pervenire ad aliquid, quod extra est, idque ut obiectivum quiddam sibi cum quadam sui ipsius conscientia intime praesens sistere, atque ita in se quodammodo reproducere id quod est extra. Quare recte dicunt cognitionem esse alicuius subiecti actionem ab intra procedentem et perfectionem in subiecto immanentem, qua subiectum obiectivum quiddam sibi repraesentat. Et ubicumque est cognitio, ibi necessario est ens, quod cognoscitur. In qua oppositione, quae fissurae instar est inter cognitionis subiectum et obiectum, mira illa cognitionis indoles cernitur [5].

46. **Cognitio sensitiva.** Cognitionem intellectivam, quae hominis in hoc rerum ordine propria est, antecedit sensitiva, qua etiam

[1] Homil. de legendis libris gentilium (*Migne* 31, 567 C).
[2] *S. Thom.* in l. Boethii de Trinit. q. 2, a. 3.
[3] Strom. 1, 20 (*Migne* 8, 818).
[4] In 3 dist. 35, dub. 2.
[5] *Trendelenburg,* Log. Untersuchungen I [3] 132.

bruta animalia praedita sunt. Cognitio sensitiva sensatione absolvitur. Sensationem efficit et in se recipit organum ad sentiendum destinatum; unde sensatione non exprimuntur similitudines (imagines) nisi materialium rerum et singularium.

Cognitio sensitiva in externam et internam dividitur. Externa est, quae a sentiente elicita in obiectum externum dirigitur, ut id actu praesens est, et sentientem ad percipiendum excitat. Interna aliquid, quod in ipso sentiente est, pro obiecto habet.

Et cognitio sensitiva, quam externam dicimus, primo quidem et per se in rem externam fertur, quam experientia teste percipit esse, et esse sic vel aliter. Notio enim, quam ex sensationibus nostris haurimus, primo et per se de rebus est, quae sunt extra nos, et non de speciebus intentionalibus, quae sunt in nobis.

Verum haec rerum externarum perceptio minime obstat, quominus in cognitione externa etiam passiones subiectivae a nobis percipiantur secundario et concomitanter; non quidem ex adverso, sed oblique. Qua de re *Suarez:* „Omnis sensus percipit aliquo modo actum suum non per reflexionem, sed imperfecto modo quasi in actu exercito." [1]

Ex iis quae breviter indicavimus, iam satis apparet duas in omni cognitione perceptiones distingui posse, unam principem in obiectum directam, quod cognoscatur, ut est in circumstantia condicionum naturalium; alteram secundariam et concomitantem, qua ipsum subiectum, cui manifestatur obiectum, in exercitio suae activitatis percipitur. In recto igitur, ut aiunt, cognoscitur res obiecta, in obliquo autem subiectum, ut subest impressionibus ab obiecto venientibus.

47. Cognitio intellectiva omissis notis materialibus et singularibus rationes immateriales et universales percipere potest atque ita efformare rerum conceptus, iudicare, ratiocinari. Manifestum est cognitionem intellectivam ab omni sensatione probe distinguendam esse non solum ab externa sed etiam ab interna. Omnis cognitio sensitiva absolvitur imagine, quae rem repraesentat externis accidentibus concretam et individualem, a qua individualitate sensus vere praescindere non potest; quamquam ea imago ideo potest esse aliqua ratione *communis,* quia res aliae similes rei in imagine depictae exsistere possunt. Sed cognitio intellectualis ab hac individualitate omnino praescindere potest, et omnia accidentia sensibilia, immo ipsam quantitatem omittere.

In cognitione intellectiva imagines sunt, quae universalia et immaterialia exhibent vel saltem ad haec immediate referuntur.

[1] De anima 3, 11, 5.

Ita viso hoc homine, vel visa hac triangulari figura in re materiali, intellectus concipit humanam naturam vel figuram triangularem a singularitate abstractam.

48. Communis est in philosophia sententia, omnes mentis humanae operationes cognoscitivas reduci ad tres: *apprehensionem, iudicium, discursum* (ratiocinium). Etenim tot sunt mentis operationes, quot sunt modi inter se diversi, quibus intellectus circa rem intellegibilem versari potest. At eius generis modi tres sunt. Aut enim intellectus simplici intuitu in obiectum fertur non ferendo sententiam, aut ferendo sententiam per actum simplicem, qui habitis apprehensionibus additur. Si primum, exercet actionem, quae *apprehensio* dicitur. Si secundum, aut fert sententiam immediatam, et est *iudicium simplex;* aut fert sententiam mediatam, i. e. ut tractam ex aliis iudiciis, et est *discursus.* Neque ulla praeterea operatio, quae sit quarta, indicari potest.

49. Cum in homine cognitio sensitiva omnino subordinetur et subserviat cognitioni intellectivae, cognitio autem intellectiva istis tribus operationibus absolvatur, recte statuitur istas tres operationes mentis constituere obiectum materiale logicae primarium et adaequatum.

Nota. Quaecumque praeterea ad logicae obiectum trahi possunt vel debent, id habent ex conexione cum istis operationibus mentis. Nominalistae, qui solas voces, non conceptus universales admiserunt, obiectum logicae esse *voces ipsas* sive sermonem vocalem docuerunt. Hos secuti sunt sensualistae, inter quos Condillac, qui dixit artem ratiocinandi non aliam esse quam artem recte loquendi. Fundamenta horum errorum postea refutabimus. — Voces in logica tractantur non propter se, sed propter conceptus, ideoque non pertinent ad obiectum materiale logicae primarium, sed ad secundarium.

„Propter quod", inquit *Albertus Magnus*, „logicus et ad se et ad alterum utitur sermone *per accidens*, et non per se, quia sine sermone designativo procedere non potest ad notitiam eius, quod ignotum est. Ratiocinatione autem utitur *per se* ad notitiam faciendam eius, quod declaratum est. Propter quod, cum logici intentio sit docere ea, per quae per se venitur in notitiam ignoti, per quod notum est, logicae subiectum est argumentatio, quia per argumentationem efficitur id quod intenditur." [1]

Cognitio sensitiva eatenus pertinet ad obiectum logicae, quatenus homini est unus ex uberrimis fontibus cognitionis intellectivae. *Res ipsae* quodammodo possunt dici obiectum logicae remotum et indirectum; directe pertinent ad obiectum philosophiae realis.

[1] De praedicabilibus tract. 1, c. 4.

50. ***Scholion.*** Nata est hoc loco quaestio, utrum omnes tres operationes mentis ex sese et seorsum consideratae sint obiectum materiale logicae, an tertia tantum, ita ut duae priores a logico attendantur tantum propter tertiam.

Nonnulli censent verum et proprium obiectum logicae per se *omnes tres* operationes mentis comprehendere eo, quod in unaquaque per se verum et proprium instrumentum sciendi positum sit. — Alii obiectum illud *sola tertia* operatione constitui dicunt, ita ut logicus alias operationes eatenus tantum consideret, quatenus elementa sint argumentationis[1]. Cum enim, inquiunt, finis logicae sit, viam tradere, qua quis recte et tuto ab iis quae nota sunt, proficiscens ad notitiam ignotorum perveniat, iam obiectum unicum logicae in ratiocinatione est positum, quippe quae sola ex notis mentem ducat ad incognita.

Qui autem ita arbitrantur, iterum in diversas sententias dividuntur. Sunt qui putent non argumentationem quamlibet, sed eam tantum, quae *demonstratio* vocetur et ex sese vere scientiam gignat, obiectum proprium logicae dici posse, ita ut argumentatio dialectica et sophistica per se non proprie ad logicae obiectum pertineat. In qua sententia videtur esse *Scotus*[2]. — Alii *argumentationem quamlibet*, cuiuscumque naturae sit, logicae quasi materiam, quam per se et proprie tractet et in qua versetur, subiectam esse dicunt, eo quod in multis disciplinis de rebus multis scientia acquiratur, neque tamen ea vis, quae syllogismi demonstrativi propria est, adhiberi possit[3].

Alii demum argumentationem re omni et vi obiectiva evacuari volunt, ut tamquam obiectum logicae proponi possit. Qui obiectum logicae eatenus reperiri in legibus cogitandi dicunt, quatenus hae ad formam syllogismi *puri* pertineant: eas igitur syllogismi leges, quae ad *materiam* eius pertineant, e logicae finibus eiciendas esse. Idcirco Stagiritam reprehendunt kantiani, quod in logica non solum leges syllogismi puri sive ab omni materia circa quam versetur abstracti, sed etiam leges posuerit syllogismi secundum materiam sive necessariam sive probabilem.

51. De variis istis sententiis haec dicenda:

1. Certum est apprehensionem et iudicium a logico non solum ut sunt elementa ratiocinationis, sed etiam ut iam in ipsis solis mens veritatem adipiscatur, considerari. Nisi enim quis logicam vi vocis arctiore accipere velit, logicus non solum facilitatem, securitatem, rectitudinem curat in ulteriore processu, sed in omni actu cognoscitivo mentis.

2. Certum tamen est in obiecto logicae ratiocinium et argumentationem imprimis demonstrativam esse partem principem.

3. Certum denique logicam non solum considerare debere actuum mentalium formam seu rectitudinem, sed etiam eorum relationem seu respectum ad materiam, i. e. cognitionis veritatem et certitudinem. Cognitio est non merus lusus subiectivus sed intentionalis expressio et

[1] Cf. *Aug.*, De doctr. christ. 2, 37. [2] De universal. q. 3.
[3] Cf. *Albertus M.*, De praedicab. tract. 1, c. 4.

possessio rei, et ideo leges cogitandi non sunt mere subiectivae, sed supponunt leges essendi in rebus exsistere. Ordo logicus ordinatur ad ontologicum ordinem cognoscendum (cf. n. 65).

52. *Obiectum formale logicae.* Operationes intellectus duplici modo considerari possunt: aut secundum propriam naturam seu secundum quod sunt entia naturae — et ita non ad logicam spectant sed ad psychologiam[1] (ubi v. g. quaeritur de natura actuum simplici, spirituali, de idearum origine et ortu) —, aut considerari possunt secundum ordinem, secundum quem *recte* fiunt, ita ut sint *vera* rei cognitio, et hoc modo ad logicam spectant.

Obiectum igitur formale logicae sunt tres operationes mentis consideratae secundum rectam relationem ad verum repraesentandum seu *obiectum formale logicae est cognitionis nostrae intellectualis rectitudo et veritas.*

§ 2. Logicae natura et definitio.

53. Vi vocis seu *definitione nominali* logica est scientia et ars rationis *(λόγος*, ratio; *λογικὴ ἐπιστήμη καὶ τέχνη).* Distinguitur:

Logica naturalis et artificialis. Cum homini a natura datum non sit, ut res omnes directe nec ulla alia re interveniente intueatur atque perspiciat, vis quaedam ei collata est, qua a rebus sensu perceptis proficiscens ex uno cognito atque intellecto ad aliud intellegendum procedere possit, et ita ad earum rerum cognitionem progredi, quarum notitia humanae naturae convenit. Itaque homo *λόγῳ* sive ratione instructus est, qua *διαλέγεσθαι*, i. e. colloqui secum vel cum aliis possit sive de veritate discurrere. Quae facultas *λογική* sive *διαλεκτική* homini plane *naturalis* est.

Iam vero ea est humanae naturae imbecillitas, ut in nullo fere vivendi genere ad perfectionem plenam et sibi congruentem pervenire possit, nisi arte et industria iuvetur.

„Et inde est, quod ad actus humanos faciliter et ordinate perficiendos diversae artes deserviunt. Nihil enim aliud ars esse videtur quam certa ordinatio rationis, qua per determinata media ad debitum finem actus humani perveniunt. Ratio autem non solum dirigere potest inferiorum partium actus, sed etiam actus sui directiva est. Hoc enim est proprium intellectivae partis, ut in se ipsa reflectatur. Nam intellectus intellegit se ipsum et similiter ratio de suo actu ratiocinari potest. Sicut igitur ex

[1] De hac re conferri potest *Külpe,* Einleitung in die Philosophie § 5, n. 7 et § 6, n. 5 sq, et *Husserl,* Logische Untersuchungen I (1900) 51 et per totum; suo iure pugnant contra eos modernos, qui logicam ad psychologiam trahere conantur. Cf. etiam *Geyser,* Grundlagen der Logik und Erkenntnis lehre (1909) n. 8 sq, et *Rickert* in Logos III (1912) 230 sq.

hoc, quod ratio de actu *manus* ratiocinatur, adinventa est ars aedificatoria vel fabrilis, per quas homo faciliter et ordinate huius actus exercere potest; eadem ratione ars quaedam necessaria est, *quae sit directiva ipsius actus rationis; per quam scilicet homo in ipso actu rationis ordinate et faciliter et sine errore procedat.*“ [1]

Non mirum igitur, antiquitus iam eiusmodi artem inventam esse, qua ratio sciendi cupida ad recte discurrendum instituatur perficiaturque. Quae in oppositione ad logicam naturalem nomine logicae artificialis seu scientificae insignitur et in initio philosophiae tradi solet (cf. n. 18).

54. Logicae artificialis seu scientificae definitio. Quae S. Thomas (loco modo citato) docet, enucleatius ita exprimi possunt, ut logica dicatur: *scientia et ars liberalis per experientiam reflexam parta, quae versatur circa orationem logicam ex praeceptis conficiendam, ut ea adhibita scientiae reliquae comparentur.* Vel: scientia et ars dirigens actum rationis, ut ordinate, cum facilitate, sine errore ad cognitionem veritatis procedat. Vel etiam, ut placet *Alberto Lepidi,* definiri potest, ut „sit scientia, qua cognoscuntur condiciones formales, secundum quas mens evolvi debet, ut assequatur veritatem“; et „simul instrumentum, quo mens in cognitionem veri dirigitur“ [2].

Albertus Magnus dixit, logicam esse sapientiam contemplativam, quae doceat, qualiter et per quae deveniatur per notum ad ignoti notitiam [3]. Ab aliis dicta est: ars et scientia, qua actus rationis ad verum ex ordine, sine errore, facile assequendum diriguntur.

Quibus constitutis facile iudicari potest, quid de his logicae definitionibus arbitrandum sit: Definit *Uberweg* logicam: expositionem criteriorum veritatis [4]. — *Christ. Wolff:* Logica est scientia dirigendi facultatem cognoscitivam in cognoscenda veritate [5]. — *Kant* logicam dicit esse scientiam de necessariis cogitandi legibus sive de vacuis cogitandi formis universe acceptis [6]. — *Herbart* definit logicam, ut sit scientia,

[1] *S. Thom.* in l. 1 anal. post. lect. 1.

[2] Elementa philosophiae 1 (1875) 48.

[3] De praedicab. tract. 1, c. 1.

[4] System der Logik § 1. Ibid. § 3: „In Hinsicht auf den Zweck des Erkennens ist die Logik die wissenschaftliche Lösung der Frage nach den Kriterien der Wahrheit; oder: die Lehre von den normativen Gesetzen, auf deren Befolgung die Realisierung der Idee der Wahrheit in der theoretischen Vernunfttätigkeit der Menschen beruht.“

[5] Log. discurs. praelimin. § 61; proleg. § 10.

[6] „Logik ist eine Vernunftwissenschaft ... von den notwendigen Gesetzen des Denkens, aber nicht in Ansehung besonderer Gegenstände, sondern aller Gegenstände überhaupt; ... eine Wissenschaft des richtigen Verstandes- und

quae doceat, qua ratione notiones conspicuae acquirendae et ad iudicia et argumenta componendae sint [1]. — *Erdmann* dicit logicam esse scientiam universalem formalem et normativam de methodicis condicionibus cogitationis scientificae („von den methodischen Voraussetzungen des wissenschaftlichen Denkens") [2].

Logicae igitur *officium* est, ut ratio ad recte iudicandum et ad inveniendam veritatem dirigatur. Ex quo manifesto apparet logicae *finem* in eo situm esse, ut ratio in perscrutandis veritatibus ordinate procedat et expedite et sine errandi periculo.

Quapropter a *Seneca* et *Quintiliano* logica vocata est „rationalis philosophia". „Ratio enim", ut est apud *Aquinatem* [3], „de suo actu ratiocinari potest.... Et haec est ars logica, i. e. rationalis scientia. Quae non solum rationalis est ex hoc, quod est secundum rationem, quod est omnibus artibus commune, sed etiam in hoc, quod est circa ipsam artem rationis sicut circa propriam materiam."

55. Logicae artificialis *Aristoteles* inventor esse existimatur. Qui enim ante Aristotelem fuerunt, regulas definiendi, dividendi, argumentandi tradebant occasione data; praecipue in rebus mathematicis. Sed Aristoteles primus praecepta logicae a rebus separavit separatasque maiore cum diligentia in ordinem composuit. A quo multa praeclare scripta nobis sunt tradita.

Et ipse quidem *Aristoteles* ante se artem syllogisticam excultam non fuisse testatur: „Nam eorum, inquit, qui in litigiosis disputationibus quaestum faciebant, institutio quaedam erat similis Gorgiae tractationi. Alii enim rationes rhetoricas, alii vero ad interrogandum comparatas tradebant ediscendas, in quas utrique putabant mutuos sermones plerumque intercidere. Idcirco celeriter quidem, sed citra artem discipulos suos docebant; non enim artem, sed quae ab arte efficiuntur, tradendo putabant se recte instituere.... At de rhetoricis quidem multa et antiqua dicta exstabant. De syllogismis vero conficiendis nihil aliud habebamus omnino antea, quod diceremus, sed per exercitationem quaerendo multum temporis laboravimus." [4]

Aristoteles in libro περὶ κατηγοριῶν *res ipsas* generibus illustrat, cum eae sint obiectum remotum, circa quod logica versari debeat. Cui libro

Vernunftgebrauches ... nach Prinzipien a priori, wie er [der Verstand] denken soll" (Logik, Einleitung I, ad finem).

[1] „Logik ist die Wissenschaft, welche die Deutlichkeit in Begriffen und die daraus entspringende Zusammensetzung der letzteren zu Urteilen und Schlüssen im allgemeinen betrachtet" (Lehrbuch zur Einleitung in die Philos. 48 77 sqq).

[2] Logik², Halle 1907, 25. [3] In l. 1 anal. post. lect. 1.

[4] De sophist. elench. c. 34 (183 b 38).

in schola ille praemitti solet, qui non habet Aristotelem auctorem, sed *Porphyrium*, et „Isagoge“ appellatur, quia de quinque praedicabilibus tractans, revera aptissima disciplinae logicae exordia praebet. Haec igitur ad apprehensionem pertinent. Deinde Aristoteles in libro, quem περὶ ἑρμηνείας scripsit, de propositione et iudicio praecipit. In iis quae vocantur ἀναλυτικὰ πρότερα, de syllogismo secundum formam agitur; sed ἀναλυτικὰ ὕστερα syllogismum (demonstrativum) spectant secundum materiam. In libris octo, quae sunt τοπικά, de probabilitate dicitur et rebus dialecticis. De fallaciis est liber περὶ σωφιστικῶν ἐλέγχων.

Sed logica, quae ab *Aristotele* tradebatur, magis statutis regulis ad veritatis demonstrationem continebatur. Ex quo tempore autem ipsa veracitas rationis nostrae in dubium est vocata et vis omnis realis cognitionum nostrarum obiectiva fluctuare coepit, ex logica antiquitus tradita inquisitiones illae, quae ad stabiliendam veritatem etiam *materialem* cognitionum nostrarum pertinent, extractae in unam partem separatam arte et industria componi solent, cui parti nomen „logicae criticae“ est inditum. Quam criticam aliqui logicam *materialem* vocant, logicam illam veterem et usitatam appellantes *formalem*. Haec critica, quae, ut vim obiectivam cognitionis nostrae statuat, fontes et media cognitionis diligenter et ordinatim perquirit, etiam *noëtica* ab aliquibus nominatur. Verum haec vox latius patet; noëtica enim, quae est de cognitione doctrinae, ad logicam partim spectat, partim ad psychologiam.

At priusquam de istis logicae partibus agimus, de logicae natura accuratius haec addamus.

56. 1. Logica est *scientia* proprie dicta. — Nam disciplina, quae proprietates de aliquo subiecto demonstrat, veram habet scientiae indolem. Atqui logica multum occupatur in proponendis demonstrationibus.

Non enim leges tantum tradit definiendi, argumentandi, sed etiam *demonstrat*, cur recta definitio vel argumentatio has condiciones et proprietates requirat, ita ut per logicam vere sciamus, quid sit vera demonstratio, et cur his principiis et hac ratiocinandi forma constare debeat. Demonstrat igitur, syllogismum demonstrativum gignere scientiam, ex probabili nasci opinionem.

Et debet quidem logica esse scientia, ut *fini suo* satisfacere possit. Nam logicam ante alias disciplinas acquirendam esse docent, quia, cum modum sciendi doceat, ad efficiendam scientiam sit necessaria. Numquam autem acquiritur vera scientia, „nisi quis sciat se scire“ [1]. Si igitur logica obiter tantum praecepta proponeret, neque curaret demonstrationes eorum, quae demonstrationis indigent, ad efficiendam ullam scientiam minime sufficeret.

[1] *Suarez*, Disp. met. disp. 1, sect. 4, n. 26.

Dubitabis: Sunt tamen in logica partes, quibus ratio scientiae neganda est, ut est dialectica, in qua agitur de conclusione probabili. *Resp.:* Dialectica docet „modum, quo . . . procedi possit ad conclusiones in singulis scientiis probabiliter ostendendas; et hoc demonstrative facit, et secundum hoc est scientia“ [1].

57. 2. Logica est scientia *practica,* si scientia speculativa vi vocis pressiore accipitur. — Namque scientia speculativa et artius et latius intellegi potest. Si *artius* accipitur, ea erit scientia speculativa, quae in obiecti sui cognitione conquiescit. Et practica est ea, quae obiecti sui cognitionem adhibet ad dirigendam ulteriorem operationem, sive haec est intra intellectum ad cognoscendam veritatem destinata, sive extra intellectum extenditur ad agendum per liberum voluntatis arbitrium vel ad efficiendum quidpiam secundum certas regulas.

Si scientia speculativa *latius* accipitur, ea est, quae in cognoscenda veritate conquiescit, sive ea in ipso scientiae obiecto conspicitur, sive praeter ipsum scientiae obiectum, ita ut huius obiecti cognitio adhibeatur ad cognoscendam veritatem tantum. Et practica est ea, quae veritatis cognitionem adhibet ad dirigendam ulteriorem operationem, quae extra intellectum sita est.

Quibus ex dictis apparet non errare eos, qui logicam ducunt esse scientiam practicam. Namque logica obiecti sui cognitionem dirigit ad cognitiones alias debita cum perfectione acquirendas; unde de methodo, argumentatione, divisione, definitione praecepta dat.

58. 3. Si scientia speculativa accipiatur latius, recte dicunt logicam esse scientiam *speculativam.* — Namque logica, etsi praecepta dat, his tamen praeceptis ambitum intellectus non praetergreditur, sed praecepta tradit, quibus observatis veritas facilius et tutius cognoscatur. Non enim inquirit veritatem, ut conficiantur definitiones, argumentationes, sed tradit praecepta definiendi, argumentandi, ut veritas cognosci possit. Itaque in veritatis cognitione tamquam suo fine conquiescit.

59. 4. Neque ratio *artis* a logica est aliena. — Nam logica docet, qua ratione effici debeant definitiones, divisiones, argumentationes: praeterea ostendit, quae sint vera certitudinis motiva, quidnam sit veritatis criterium, similia. Et haec omnia docet, ut efficiantur actus intellectuales, quibus tuto, facile, cum reflexione debita veritatem adipiscamur. Ergo recte dicunt logicam esse rationem rectam factibilium.

[1] *S. Thom.* in l. 4 met. lect. 4.

Logica ut ars, sicut omnis ars, in docentem et utentem distingui potest. Sic logica docens est complexio regularum seu praeceptorum, quae recte cogitandi modum determinant. Logica utens est habitus rationis seu acquisita facultas dirigendi mentis operationes iuxta normas praescriptas.

60. 5. Logica recte habetur ut *pars ipsius philosophiae* interna. — Cum enim philosophia definiatur, ut sit scientia rerum per causas suprasensibiles sive metaphysicas, id omne ut pars interna ipsius philosophiae haberi debet, quo ad res per eiusmodi causas cognoscendas ducimur. Atqui in logica cognitionem omnium earum rerum adipiscimur, quae animo praesto sunt, ut a notis ad cognoscenda ignota procedere possimus, atque id quidem ita, ut simul, quantum fieri possit, causas rationesve perspiciamus, cur sic vel aliter sit procedendum. Ergo merito logica inter ipsas philosophiae partes internas collocatur.

Neque ex eo quod philosophia realis omnes res et psychologia omnes res psychicas sub obiecto suo continet (cf. n. 52), ullo modo consequitur logicam (formalem) esse scientiam inanem, quae obiecto reali careat et qua nihil discatur, ut contendit *F. C. S. Schiller*[1]. Ipsam enim naturam cognitionis intellectualis consequitur ordo logicus. Quare revera debet inter philosophiae partes esse aliqua, cuius intentio sit, ut dicit *Albertus Magnus*, „comprehendere veritatem eius, quod rationis ductu via est in omnem cognitionem omnium eorum, quorum cognitio fit in nobis per ea, quae cognita sunt apud nos, ex quibus nos proficiscimur ad scientiam incognitorum. Erit igitur de intentione philosophiae etiam logica scientia, quae est rationalis“[2].

61. **De logicae necessitate.** Graviter quidem errant, qui, cum negent ullam cognitionem per causas metaphysicas fieri posse, philosophiae tamquam unicum subiectum assignant inquisitionem cognitionis humanae, ita ut tota et integra philosophia a logica quasi absorbeatur[3]. Cuius opinionis levitas nullam refutationem meretur.

Errant quoque, qui logicam tenent esse philosophiae partem potissimam, ad quam partes reliquae tamquam ad finem referan-

[1] Formal logic, London 1912.

[2] De praedicab. tract. 1, c. 2.

[3] „Bei aller Verschiedenheit [in den Bestimmungen des Begriffs der Philosophie] ist von jeher mehr oder weniger ausdrücklich anerkannt worden, daß sie, vorzugsweise Bearbeitung der Begriffe als solcher, die letzten Gründe des Erkennens und Handelns, daher auch die allgemeinen und notwendigen Formen des Denkens auszumitteln und jene Gründe auf den unbedingten Grund der Dinge zurückzuführen habe“ (*Brandis*, Handbuch der Geschichte der griechisch-römischen Philosophie I 6).

tur. „Dicendum enim, quod scientiae speculativae sunt de illis, quorum cognitio quaeritur propter se ipsa. Res autem, de quibus est logica, non quaeruntur ad cognoscendum propter se ipsas, sed ut adminiculum quoddam ad alias scientias. Et ideo logica non continetur sub philosophia speculativa quasi principalis pars, sed quasi quiddam reductum ad eam, prout ministrat speculationi sua instrumenta, scilicet syllogismos et definitiones et alia huiusmodi, quibus in speculativis scientiis indigemus.“ [1]

Sed reiectis istis exaggeratis sententiis, tamen revera logica artificialis ad scientiam perfecte comparandam homini simpliciter est necessaria. Duobus modis aliquid necessarium esse potest, uno absolute, neque ulla habita ratione alterius, quo pacto solus Deus necessarius est; altero ex suppositione alicuius causae, propter quam aliquid necessarium esse potest. Quae causa aut est efficiens aut finalis. Hoc loco finalem attendimus, propter quam illud est necessarium, quod ad illam consequendam exigitur, ut *navis* ad transmittendum mare. Potest aliquid ad aliquem finem necessarium esse *simpliciter* (necessarium ad esse), sine quo finis nullo modo obtineri potest; ita *cibus* ad conservandam naturaliter vitam simpliciter est necessarius. Aut etiam *secundum quid* (necessarium ad „melius-esse“), sine quo finis obtineri quidem potest, non tamen bene et commode; ita *carnes* ad conservandam vitam sunt necessariae, vel *equus* ad faciendum iter. Quod etiam *utile* dicitur.

Vix necesse est, ut probetur logicam artificialem esse saltem necessariam secundum quid, vel utilem ad scientiam perfecte comparandam. Sed videndum est, sitne etiam ad scientiam in statu perfecto comparandam necessaria simpliciter.

Igitur concedimus logicam artificialem non esse simpliciter necessariam, ut disciplinae reliquae quocumque modo comparentur. Ut enim quis scientiam aliqua ratione comparet, satis est, ut principia perspecta habeat indeque per aptas disserendi formas conclusiones deducat. Sed hoc etiam sine logicae artificialis praeceptis praestare quis potest. Ad principia enim per se nota cognoscendum nulla arte opus est, cum haec ideo per se nota appellentur, quod sine alterius ope intellectui innotescunt. Formae autem disserendi, cum in ratione ut in germine praesto sint, sine dubio ab ingenio vel aliquid perspicaci rudes saltem et incohatae inveniri possunt: atque ita scientia utcumque potest comparari. Sed nunc dicimus, logicam artificialem ad scientiam in statu perfecto comparandam simpliciter esse necessariam.

62. Necessitas logicae patet ex iis, quae ad scientiam perfecte consequendam requiruntur. Ut quis scientiam perfecte acquirat,

[1] *S. Thom.* in l. Boethii de Trinit. q. 5, a. 1 ad 2.

certo scire debet se scire, i. e. debet sibi scientiae suae rationem reddere posse. Si enim se scire nesciat, vacillabit et facile a vero abduci fallique poterit. Atqui id certo scire ut plurimum non potest, nisi sciat se recte processisse in sua scientia; non potest autem scire se recte procedere in sua scientia, nisi noverit, quomodo procedendum sit; non potest nosse, quomodo procedendum sit, nisi naturam cognitionis humanae attentiore animo consideraverit, noveritque, quomodo sit definiendum, dividendum, argumentandum, ordinandum, quomodo inducenda principia et ex principiis deducendae conclusiones. Id autem scire est idem atque callere logicam. Ut igitur aliquis sit perfecte sciens, necessarium est omnino, ut habeat logicam artificialem.

Confirmatur 1° (ex paritate cum aliis artibus). Ceterae artes ad opera sua perfecte conficienda sunt simpliciter necessariae, ut *arithmetica* ad numeros, *ars musica* ad perfectum cantum. Et sicut fieri non potest, ut *mercator*, qui numquam studuerit rebus arithmeticis, certo et ordinate sciat computos in negotiis suis efficere, ita fieri nullo modo potest, ut logicae ignarus praemeditatos habeat omnes disserendi modos, quibus ad bene obtinendam scientiam opus est. Ne igitur illorum defectu in sciendo laboret, et in eos similesve errores labatur, in quos propter neglectam logicam saepissime inciderunt viri ceteroquin doctissimi, ante omnes disciplinas logicae ut det operam oportet.

Confirmatur 2° (ex historia). Ubi primum homines philosophari coeperunt, etiam logica constitui coepta est. Et progrediente philosophia non sine multo labore regulae logicae confectae sunt. Et quotiens logica contemptui tradebatur, etiam philosophos in funestissimos errores lapsos esse videmus.

Quam ob rem merito in logicae laudem trahuntur haec *Hugonis a S. Victore:* „Maxime me movet et dignum quaestione videtur, unde hoc accidit, quod duo pari ingenio et aequali studio uni lectioni intendunt, nec tamen simili effectu eius intellegentiam consequuuntur. Alter cito quod quaerit apprehendit, alter diu laborat et parum proficit. Sed sciendum est, quod in quolibet negotio duo sunt necessaria: opus videlicet et ratio operis, quae ita sibi connexa sunt, ut alterum sine altero aut inutile sit aut minus efficax. Verumtamen melior, ut dicitur, prudentia est fortitudine, quia et pondera aliquando, quae viribus movere non possumus, arte levamus. Sic nimirum est in omni studio; qui sine discretione operatur, laborat quidem, sed non proficit, et quasi aëra verberans, vires in ventum fundit.“ [1]

§ 3. Logicae divisio.

63. Logica (artificialis seu scientifica) dividitur recte in dialecticam et criticam.

[1] Erudit. didascal. 5, 5.

1. *Dialectica* (logica formalis). Ut operationes mentis veram nobis praebeant rerum cognitionem, requiritur ut *recte* fiant, ut in apprehensione, reflexione, distinctione, comparatione adhibeatur debita cura et attentio, quo caveantur falsa et formentur vera iudicia, ut observatae regulae legitimi ratiocinii mentem a conclusione falsa servent. Operationes mentis consideratae secundum hanc internam suam perfectionem, *rectitudinem* dico, constituunt obiectum formale *dialecticae.*

2. *Critica.* Actus cognoscitivi ex natura sua sunt repraesentatio rerum; considerandi igitur sunt etiam secundum relationem ad obiecta, id est secundum *veritatem,* et ita consideratae sunt obiectum formale *criticae.* Critica, quae etiam vocatur logica applicata, agit de verae certaeque cognitionis exsistentia et natura, fontibus, criteriis.

64. Ratio divisionis est haec: Intime quidem cohaerent cognitionis rectitudo et veritas; non tamen simpliciter identificantur; quod facile patet in operationibus compositis, v. g. ratiocinio. Potest ratiocinium secundum formam esse legitimum seu rectum, et nihilominus erroneum, si scil. quacumque ratione in praemissas error irrepsit. Cum igitur dialectica vocetur logica formalis, cavendum est, ne id intellegatur secundum mentem eorum modernorum philosophorum, qui subiectivismum profitentur, quorum princeps est Kant. Cogitationes nostrae non sunt vanae, sed ex rebus ipsis hauriuntur. Falsitatem subiectivismi in critica ex professo ostendemus.

65. Atque *Aristoteles* in tractandis rebus logicis semper formas cogitandi ut re plenas consideravit[1], neque umquam statuit veritatem harum formarum esse in ipsarum inter se convenientia vel cohaerentia quaerendam; et sescenties rationem habuit rerum metaphysicarum et psychologicarum.

At enimvero in logica praecipuam curam ad id recte adhibuit, ut non rerum externarum vel internorum eventuum, sed illarum cogitandi formarum recta compararetur notitia[2]. Quas inter formas locum praecipuum syllogismus tenet, cuius leges formales a Stagirita cum diligentia, qua maior esse non potest,

[1] Cf. Anal. post. 1, 33; 1. 2 per totum; ex Topicis praecipue libros 1 6 7. Alios locos citat *Trendelenburg,* Log. Untersuchungen I 32. Cf. *Ritter,* Geschichte der Philosophie III 117 sqq.

[2] Cf. *Brandis,* Handbuch der Geschichte der griechisch-römischen Philosophie II 2 a, 373 sqq; *Zeller,* Philosophie der Griechen II 2 [2], 130 sqq; *Ueberweg,* System der Logik [5] § 16, p. 27; *Prantl,* Geschichte der Logik I 87 104 135.

excultas habemus. Sed non opus est, ut multis moneamus etiam in reliquis logicae partibus ab Aristotele praecepta tradita esse secundum normam formalem et leges cogitandi intellectui insitas.

Atque ex indole formali logicae aristotelicae etiam illa nata est consuetudo, ut Stagirita eiusque discipuli omnes ad illustranda praecepta dialecticae exempla ponerent huiusmodi, ut, si rem spectes et materiam, in qua exempla illa versentur, nulla sint utilitate. Quem morem aliqui quidem ex recentioribus, inter quos *Ueberweg*, relinquendum esse censuerunt, alii vero ut rectum probarunt[1]. Quinimmo missis exemplis omnibus aristotelicos saepenumero solas litteras usurpasse scimus, praecipue in demonstrandis syllogismi legibus. „Nos enim", ut est apud *Albertum Magnum*, „non quaerimus hic nisi generationem syllogismi secundum formale suum esse, secundum quod syllogismus est; et ideo oportet tales terminos ponere, in quibus non significetur nisi forma syllogisimi: quia si aliquid significarent determinate, non denotaretur in iis forma omnibus applicabilis."[2] Et ob hunc finem etiam figuras geometricas in schola Aristotelis adhibitas videmus, ut figurae et modi syllogismi facilius intellegerentur.

66. Cum autem veritas cognitionis imprimis ab ipsa rectitudine operationis mentis dependeat, moveri potest quaestio, rectene agatur separatim de logica *critica*, quae a logica dialectica, quam formalem vocant, diversa sit.

Videtur enim haec separatio esse contra morem aristotelicorum, qui et de logica formali et de critica dixerunt una simul in unaquaque parte logicae. Et magis etiam separatio ista in

[1] Inter quos *F. A. Lange:* „Die Wahl solcher nichtssagenden Beispiele hat vom Standpunkte der Technik einen Vorzug. ... Das alte triviale Beispiel: ‚Alle Menschen sind sterblich, Caius ist ein Mensch, also ist Caius sterblich', hat in der Geschichte der Wissenschaften keine Rolle gespielt, wenn nicht eben die Rolle des abgehetzten Schulbeispiels für einen Subsumptionsschluß. Beispiele dieser Art . . . haben in rein formaler Hinsicht gerade durch ihre Leere den Vorteil völliger Durchsichtigkeit. Man sieht hier gleich, daß man im Grunde nichts in Händen hat als den gleichsam schwach kolorierten Umriß von *Begriffen überhaupt*. Während bei den inhaltreichen Beispielen das Bewußtsein zu stark von der Sache ergriffen wird, um mitten in der Überzeugung noch den formalen Grund der Überzeugung rein zu erfassen, läßt das nichtssagende Schulbeispiel unmittelbar das Schema der Subsumption erkennen und bewirkt daher weit leichter und schlagender die Überzeugung, daß es sich nicht nur in diesem Falle so verhalte, sondern daß es mit Begriffen überhaupt, wähle man, welche man wolle, ebenso sein werde, sobald sie sich hinsichtlich ihrer Über- und Unterordnung ebenso verhalten. Mit einem Worte: das nichtssagende Schulbeispiel erfüllt annähernd dieselbe Aufgabe wie die geometrische Figur und wie die Sphärenzeichnung in der Technik der Logik" (Logische Studien, Iserlohn 1877, 22—23).

[2] L. 1 anal. prior. tract. 2, c. 1.

suspicionem perversae novitatis venire videtur, quod Kant primus id posuit discriminis, ut logica formalis ageret de normis cogitationis analyticae (subiectivae), a qua separanda esset critica rationis, quae inquireret in vim obiectivam cognitionis syntheticae. Dicit *Ueberweg:* Logica, in quantum inquirit, an et quo gradu conformitas cognitionis cum rebus realibus acquiri possit, est critica; in quantum docet normas, secundum quas ista conformitas obtineatur, est logica sensu strictiore; atque utramque quaestionem in unaquaque logicae parte simul tractandam esse censet[1].

Verum non sine solida ratione a nostrae aetatis peripateticis mos receptus est, ut separatim tractetur critica. Nam hodie de his rebus summa accuratione dicendum est propter adversarios recentiorum temporum, qui omnia fundamenta cognitionis humanae in dubium vocarunt. Id autem fieri non potest nisi de rebus criticis, quae in ipsa logica formali non tanguntur, nisi obiter specialis habeatur tractatio. Itaque non propter rationes internas, sed ratione tantum maioris utilitatis etiam separatim dicetur de logica critica, quae a nonnullis vocata est „philosophia fundamentalis".

67. Sunt qui logicam dividant in logicam generalem et specialem; generalis ea tractat, quae respiciunt rectitudinem et veritatem cognitionis in genere. Haec logica generalis necessario constituit primam partem philosophiae.

Sed praeter methodum generalem, quae scientiam universe respicit, sunt methodi *speciales*, quibus id, quod universe constitutum est, ad singulas scientias pro uniuscuiusque indole applicatur. Et logica quidem generalis methodo illa *generali* contenta esse debet, relinquens singulis scientiis, ut ipsae sibi applicent, quae in logica sunt statuta. Qua de re *Aquinas:* „Quia, inquit, diversi secundum diversos modos veritatem inquirunt, ideo oportet, quod homo instruatur, per quem modum in singulis scientiis sint recipienda ea quae dicuntur. Et quia non est facile, quod homo simul duo capiat, sed dum ad duo attendit, neutrum capere potest, absurdum est, quod homo simul quaerat scientiam et modum, qui convenit scientiae. Et propter hoc debet prius addiscere logicam quam alias scientias; quia logica tradit communem modum procedendi in omnibus aliis scientiis. Modus autem proprius singularium scientiarum in scientiis singulis circa principium tradi debet."[2] Et tradi quidem debet secundum regulas in logica acceptas.

Quam ob rem logica illa specialis, quam *applicatam* hodie vocant, quae dividitur in logicam chimiae, physicae, mathesis, physiologiae atque ita deinceps, non est proprie pars philosophiae. Generatim enim multiplex alicuius scientiae applicatio non putanda est esse pars illius scientiae

[1] System der Logik § 3. [2] In l. 2 met. lect. 5.

interna[1]. Id eo magis attendi debet, quo universalior est aliqua scientia. Philosophia autem et etiam logica sunt scientiae maxime universales, et applicandae sunt in omni scientia, et quidem constanter et in omnibus inquisitionibus, conclusionibus. Potest quidem facile occasione data in expositione logicae generalis aliqua ratione breviter indicari, qua ratione eius applicatio ad hanc vel illam scientiam fieri possit et debeat, sed accuratior et enucleata applicatio tradenda est in introductione ad scientiam illam specialem.

Logicae igitur generalis, quae est prima philosophiae pars, duo sunt libri: dialectica et critica.

---

[1] Logicam applicatam reicit *Ulrici* ob has rationes: „Die Anwendung einer Wissenschaft und ihrer Resultate gehört offenbar nicht in die Darstellung der Wissenschaft selbst. Sowenig die Mathematik zu lehren hat, wie ihre Sätze in der Feldmesserkunst, der Astronomie, Physik etc. anzuwenden sind, so wenig hat die Logik Regeln aufzustellen über die Art und Weise, wie die von ihr aufgestellten allgemeinen Formen (des Begriffes, des Urteiles und Schlusses) mit dem entsprechenden konkreten Inhalte sich erfüllen, oder aus dem gegebenen Inhalte unserer Perzeptionen und Einzelvorstellungen sich *materialiter* richtige Begriffe, Urteile und Schlüsse bilden lassen. Ja eine angewandte Logik ist unausführbar, unmöglich, weil die Logik schlechthin überall, in allen Wissenschaften, in allem Denken Anwendung findet" (Kompendium der Logik 300).

LIBER I.

Dialectica.

68. **Dialectica** ex nomine suo est disserendi et disputandi ars et scientia. Principio apud philosophos mos erat, de rebus agere per colloquia sive per interrogationes responsionesve. Atque ita ipso usu orta est dialectica sive ars disputandi, qua aliquid aut probemus aut reprobemus per interrogata et responsa. Et *Socrates* quidem artem hanc ad statuendas rerum definitiones adhibuit; *Plato* per dialecticam res secundum ideas sive species recte dividendas curavit. *Aristoteles* autem, cum definitioni et divisioni adderet demonstrationem ut praecipuum sciendi instrumentum, dialecticam adhiberi voluit ad quaerendas de re proposita in utramque partem rationes probabiles, quibus animus ad inveniendam per demonstrationes veritatem disponeretur et in inventa veritate confirmaretur. Unde apud Aristotelem ea pars logicae est, quae probabilia sectatur et apparentes contradictiones colligit et locos indicat, unde argumenta trahi possint. A stoicis autem res hoc nomine indicata omissa est, sed nomen retentum. Cum enim philosopho curam omnem rerum probabilium interdicerent, nomen dialecticae ad significandam artem demonstrationis translatum est. Ex quo paulatim mos invaluit, ut logica integra hoc nomine insigniretur.

Rem si spectes, dialecticam dicere debes corpus regularum ad scientiae normam compositarum, quibus intellectus humanus adducatur, ut in suis operationibus *rectum ordinem* ponat. Contemplatur igitur operationes intellectivas; unde hae *obiectum materiale* dialecticae esse recte dicuntur. In his autem operationibus solum ordinem considerat, quem ratio in operationibus suis secundum rectitudinis normam ponere debet; unde hic ordo seu cognitionis *rectitudo* dialecticae *obiectum formale* constituit.

69. **Dialecticae divisio.** Si tres mentis operationes attendimus, in dialectica tres partes insunt: apprehensiva, enuntiativa, discursiva. Nam triplici cognitionis gradu mens humana ad eam rerum notitiam pervenit, quae facultati humanae naturae respondet.

Primo enim mens per simplicem quasi visum res apprehendit sine ullo assensu dissensuve. Deinde aliquid esse vel fieri experiens, id esse vel fieri affirmat vel negat eo, quod iudicis instar decernit rem ita esse, sicut est cognita, id quod in iudiciis nostris facere solemus. Per complura tandem discurrendo ex multis rebus inter se collatis ratiocinando diversum quid ab his rebus inferre potest. Et intendimus quidem bene apprehendere, quia intendimus bene iudicare: et intendimus bene iudicare, quia intendimus bene ratiocinari. Et iterum bene ratiocinari intendimus, quia intendimus bene iudicare; et bene iudicare intendimus, quia intendimus bene apprehendere. Incipientes igitur ab imperfecta apprehensione, per iudicia ad ratiocinandum usque progredimur, inde per iudicia iterum ad apprehensionem perfectam regressuri. Unde ratiocinium est cardo operationum mentalium atque obiectum primarium dialecticae.

Hanc divisionem antiquitus traditam habemus. „Oportet logicae partes", inquit *Aquinas*, „accipere secundum diversitatem actuum rationis. Sunt autem rationis tres actus, quorum primi duo sunt rationis, secundum quod est intellectus quidam. Una enim actio intellectus est intellegentia indivisibilium sive incomplexorum, secundum quam concipit, quid est res. Et haec operatio a quibusdam dicitur informatio intellectus (sive imaginatio per intellectum). Et ad hanc operationem ordinatur doctrina, quam tradit Aristoteles in libro praedicamentorum. Secunda vero operatio intellectus est compositio vel divisio intellectus, in qua est iam verum vel falsum. Et huic rationis actui deservit doctrina, quam tradit Aristoteles in libro perihermenias. Tertius vero actus rationis est secundum id, quod est proprium rationis, scilicet discurrere ab uno in aliud, ut per id, quod est notum, deveniat in cognitionem ignoti. Et huic actui deserviunt reliqui libri logicae." [1]

70. Quoniam autem scientia ut plurimum ex argumentationum serie et dispositione efficitur, videtur esse necessarium, ut in logica formali etiam doceatur, quae sit in disponendis his ratiocinationibus recta via et ratio. Unde factum est, ut multi tribus quas diximus disputationibus addant quartam, quae dicitur de *methodo*.

De qua etiam *Aristoteles* videtur dixisse in libro, quem μεθοδικά inscripsit, qui tamen liber amissus est [2]. Verum permulta ab Aristotele ad hanc rem quae spectant occasione data praecepta sunt, quae a scholasticis medii aevi ea diligentia tractabantur, ut fere nihil, quod ad absolutam de methodo doctrinam requiratur, in operibus logicis scholasticorum desideretur; quamquam hi, cum sese in interpretandis libris

[1] In l. 1 anal. post. lect. 1.

[2] Cuius mentionem fecit Rhetor. 1, 2 (1356 b 19).

Aristotelis continerent, de methodo ut speciali parte logicae non disputarunt. Etiamsi scholastici, ut recte *Sanseverino*[1], pronuntiata methodologica Stagiritae in unum corpus non congesserunt, nihil tamen iis magis cordi fuit, quam ut ea in medium proferrent diligenterque explicarent.

Itaque dialectica absolvetur capitibus quattuor, quorum tria priora de tribus mentis operationibus ex ordine tractant, quartum de methodica operationum mentalium dispositione agit.

CAPUT I.

De prima mentis operatione, i. e. de apprehensione.

SECTIO I.

De termino mentali seu de idea.

ARTICULUS I.

De apprehensionis et ideae notione.

§ 1. De praecipuis actibus apprehensivis.

71. **Apprehensio**, vi vocis latissime accepta, qualemcumque mentis cognoscentis operationem significat. Pressius sumpta solum actum significat, quo mens obiectum repraesentat sine ulla affirmatione vel negatione. Idem fere est atque perceptio. *Perceptio* est actus, quo mens immediate obiectum reale apprehendit. Apprehensionem *Aquinas* vocat „intellegentiam indivisibilium et incomplexorum“ (in oppositione ad compositionem, quae est in iudicio). Huius apprehensionis proprium est, ut affirmatione et negatione careat. Quae carentia est propter perfectionis defectum. Propter perfectionis excessum Deus omnia apprehendit actu simplici, qui perfectionem iudicii iam continet; quae apprehensio *intuitus simplex* vocari solet. Propter imperfectionem autem affirmatione negationeque caret illa apprehensio, quae apud homines habetur tamquam cognitionis humanae initium. Hominis proprium est, ut operatio intellectualis ab apprehensione imperfecta incipiat et per iudicia et discursus tendat ad apprehensionem perfectam. Unde inter apprehensionem initialem et finalem distingui potest. Apprehensione initiali obiecta obscuro et confuso modo percipiuntur, eaque illam cognitionis perfectionem nondum habet, quam homo distinguendo, iudicando, discurrendo acquirere potest. Et de hac apprehensione in philosophia agi solet; quae igitur manca quodammodo et incohata cognitio est, si nullum iudicium consequatur.

[1] Logicae prolegomena 210.

Scholion 1. Scalam perfectionis, quam in cognitione animalis, hominis, angeli, Dei reperis, his *Aquinatis* verbis indicatam habes: „Quae sunt in rebus infima, non possunt consequi perfectam bonitatem, sed aliquam imperfectam assequuntur paucis motibus. Superiora vero his adipiscuntur perfectam bonitatem motibus multis. His autem superiora sunt, quae adipiscuntur perfectam bonitatem motibus paucis. Summa vero perfectio invenitur in his, quae absque motu perfectam possident bonitatem.“ [1]

Scholion 2. Apprehensio, quae in vitae consuetudine deprehenditur, adiunctum habet iudicium quoddam, quod non est iudicium proprie dictum, sed iudicii umbra tantum et quasi resonantia. Apprehensione enim mens non solum res percipit, sed etiam res, ut sunt: quae est quaedam affirmationis similitudo, et affirmationis perfectae in iudicio proprio postea secuturae germen et materia.

72. Actus apprehensivi distinguuntur potissimum sequentes.

1. **Attentio** *est actus, quo mens se convertit ad unam rem prae ceteris, quas simul percipit, considerandam.*

2. **Abstractio** *est actus, quo mens ex duobus vel pluribus natura sua coniunctis unum considerat, aliis omissis.* Reliqua in re non negantur, sed aut non percipiuntur aut saltem non attenduntur. Hinc illud: „Abstrahentium non est mendacium.“ Abstractio non supponit in re divisionem, sed saltem veram aliquam *distinctionem.*

Distinctio et divisio in eo conveniunt, quod negent extremorum *identitatem,* differunt eo quod distinctio non negat *unionem.* De variis gradibus identitatis et distinctionis et abstractionis postea suo loco agetur.

73. 3. **Reflexio** *est attentio mentis ad proprios actus.* Proprie ea dicitur reflexio, quae ad ipsos actus nostros refertur; et haec etiam *psychologica* vocatur. Est praeterea reflexio minus propria, quae non ipsos actus respicit, sed eorum obiecta, quae diligenter considerat; et haec reflexio *ontologica* dicitur.

Reflexio psychologica, quam posteriore tempore nonnulli etiam *conscientiam* vocarunt, aut perfecta est aut imperfecta.

Perfecta est, si cogitantis mentis in se reversio non solum fit in actus tamquam in obiectum directum et immediatum, sed praeterea etiam in ipsam substantiam, quae ut causa et subiectum actuum ab his distinguitur.

Imperfecta est, si cognoscentis reversio haeret in actibus et affectionibus, nec ulla ratione actus affectionesque a substantia distinguit.

Ab hac conscientia reflexa, quae est proprie conscientia, differt conscientia aliqua directa vel concomitans, qua subiectum omne,

[1] S. th. 1. q. 77. a. 2.

aliquid obiectum actu cognoscens, ipso exercitio hunc actum atque etiam seipsum cum actu concretum indirecte et confuse experitur. Hanc aliqui „sensum intimum“ vocant.

74. 4. **Comparatio** *est operatio mentis, qua ad multas sive res sive ideas attendens illas simul considerat, earum inter se habitudinem sive ordinem inquirens.* Quoniam enim potentiae attentio latitudinem habet, ea aut totaliter ad unum obiectum converti potest, aut etiam ad unum ex parte, ita ut simul applicetur ex aliis partibus aliis obiectis. Qua in re illud valet: pluribus intentus minor est ad singula sensus.

Comparatio locum habet, cum v. g. individua multa comparamus conferimusque habitudinem individuorum similium, et hac occasione naturam, in qua res similes sunt, abstrahimus, cum deinde iterum hos conceptus abstractos cum singulis subiectis individuis comparamus, et ea comparatione conceptum speciei, generis, differentiae, proprietatis, accidentis cognoscimus. Et generatim quidem apprehensionem comparativam adhibemus, cum identitatem diversitatemve conceptuum vel rerum percipimus.

5. **Synthesis.** Comparatione conceptuum non solum eorum vel identitatem vel diversitatem, sed saepe facillime etiam eorum in una eademque re sociabilitatem apprehendimus, et sic oritur *synthesis,* quae est actus, quo mens plures ideas in unam componit, non quidem aliquid affirmando, sed per modum unius repraesentando, v. g. mons aureus.

75. Omnes denique actus apprehensivi communi nomine etiam appellantur, scil. apprehensio omnis est *intentio.* Intentio dicitur, quatenus est actus, quo mens in aliquid tendit, vel etiam, quatenus mens „id quod apprehendit, ordinat ad aliquid aliud cognoscendum“ [1].

Non solum actus ipse tendens, sed etiam res, in quam tendit sive cui attendit actus, intentio vocari solet; hinc duplex intentio: formalis et obiectiva.

Primo intellectus in rem se intendit, sed deinde etiam in ipsam suam intentionem primam intendere potest; quam ob rem *intentionem primam* (directam) et *secundam* (reflexam) distinguunt.

§ 2. De idea (seu conceptu).

76. Apprehensione mens rei similitudinem in se exprimit. Ipsa haec intellectualis obiecti expressio (in facto esse) vocatur species, conceptus, idea, verbum mentis, notio, terminus (mentalis).

[1] *S. Thom.,* S. th. 1, q. 79, a. 10 ad 3.

Species vocatur, quia est similitudo sive imago obiectum repraesentans. Addi solet: intellectualis, ut a specie sensibili distinguatur.

Conceptus vocatur, quatenus res hac specie capitur, vel etiam quatenus illa obiecti repraesentatio ab obiecto et facultate ita producitur, ut fiat quasi partus quidam; fecundatur enim quodammodo mens ab obiecto.

Conceptus *obiectivus* dicitur, si illud esse ideale attenditur, quod percipiente actu mentis exhibetur; actus ipse percipiens vocari solet conceptus *formalis* (subiectivus).

Conceptus acquisitus ex re materiali, quamdiu repraesentationem sensibilitatis aliqua ratione retinet, *sensualis* vocatur; si haeret tantum in extensionis repraesentatione, relictis reliquis affectionibus sensibilibus, conceptus *geometricus* est; si omnia omittit, quae sensu repraesentari possunt, conceptus *purus* est.

Idea dicitur mentalis illa mentis expressio, quatenus est forma rerum praeter ipsas res exsistens.

Secundum nostrum dicendi modum idea generatim intellegitur actualis similitudo rei intellectae. Verum apud antiquos vis huius vocis erat angustior et ad solam pertinebat scientiam practicam, et definiebatur: rei factibilis exemplar expressum in intellectu artificis, quod intuens operatur.

Verbum mentis vocant, quatenus illa similitudine res ipsa mente profertur, ad eum fere modum, quo etiam ore vel phantasia edicitur.

Notio dicitur, quatenus est ratio, qua ipsa res menti innotescit. A qua differt *nota*. Notam enim id omne dicunt, quo res aliqua cognoscitur et ab aliis discernitur; estque vel constans (essentialis, necessaria), quae numquam a re abesse potest, vel mutabilis (contingens), quae adesse vel abesse potest.

Terminus est, quatenus est ultimum elementum, in quod complexae mentis operationes resolvuntur.

77. **Ideae seu conceptus obiectum: comprehensio, extensio.** Id quod terminus mentalis (conceptus) menti repraesentat, perceptionis sive conceptus *obiectum* dicitur. Obiecti determinatio, qua id menti innotescit, *nota* (*τεκμήριον*) vocatur. Eo igitur res omnis cognoscitur, quod aliquae ex obiecti notis menti manifestantur. Res quatenus secundum eas solas notas consideratur, quibus hic et nunc a mente percipitur, vocatur obiectum *formale* conceptus; quatenus vero non solum secundum aliquas notas a mente perceptas consideratur, sed, ut est in se cum omnibus suis affectionibus, obiectum *materiale* conceptus constituit.

Collectio illarum notarum, quas conceptus rei continet, complexus vel *comprehensio* conceptus appellatur[1]. A qua comprehensione distinguitur *ambitus* vel *extensio* conceptus[2], quae est maior minorve numerus subiectorum, quibus aliquis conceptus applicari potest. Ita conceptus *hominis* comprehendit notas has: ens, subsistens, corporeum, vivens, animal, rationale; extenditur autem ad inferiora sive subiecta tot, quot sunt humana individua. Quoniam autem, quo maior notarum numerus in aliquo conceptu latet, eo minor est numerus inferiorum seu subiectorum, ad quae terminus extendi potest, iam comprehensionem esse in ratione inversa extensionis patet. Ita in conceptu substantiae comprehensio minor est quam in conceptu hominis. Et conceptus, cuius extensio maior est respectu eorum, quae complectitur *(περιέχει)*, vocatur superior *(πρότερον φύσει)*, et inferior particeps esse *(μετέχειν)* dicitur superioris.

Scholion. Non desunt inter recentis aetatis logicos[3], qui ostendere conentur, secundum quam proportionem mathematicam crescente conceptus comprehensione decrescat extensio, et contra. Quae tamen res ab aliis[4] vituperata est et reiecta. Namque totus ille calculus, quamvis ad delectanda ingenia mathematica et etiam acuenda utilis sit, a fine tamen logicae omnino alienus est. Quid enim iuvat logicum, quod comprehensionem conceptus fingat esse numerum notarum, comprehensionem specierum dicat esse numerum unitate maiorem quam generis? quod extensionem ducat esse numerum specierum infimarum, et horum numerorum inquirat proportionem arithmeticam? Accedit, quod calculus iste subdivisionem specierum coordinatarum eandem esse ponit usque ad species quasdam, quae dicuntur esse infimae. Quae res in rerum natura vix umquam reperitur. Restat igitur, ut systemata artificialia fingantur, quibus calculus iste commode applicari possit.

ARTICULUS II.

De idearum partitionibus.

§ 1. Partitio idearum ratione originis.

78. 1. Cum ideas *innatas* nullas esse in psychologia demonstretur, ideae nostrae omnes secundum originem dividuntur in *primitivas* et *factícias*.

a) Idea *primitiva*, quae a nonnullis etiam *intuitiva* vocatur, est idea, quam mens primo ab ipso obiecto praesente haurit.

[1] Inhalt; *ἐν τῷ λόγῳ τῷ λέγοντι τί ἐστι ἐνυπάρχει. Arist.*, Anal. post. 1, 4 (73 a 36).

[2] Umfang, sphaera. [3] Cf. *Drobisch*, Neue Darstellung der Logik 220.

[4] *Ueberweg*, System der Logik § 54.

b) Idea *facticia* est, quam mens ipsa sibi format aut *synthesi* plures conceptus intuitivos coniungendo aut *abstractione* vel analysi aut denique per *discursum*.

Conceptus facticius iterum distinguitur duplex: *arbitrarius* et *discursivus*. *Arbitrarius* est, cum ad arbitrium elementa componuntur (v. g. equus volans, mons aureus); supponit notarum consociabilitatem. *Discursivus* oritur ex ratiocinio.

Nota. Alii conceptum primitivum seu intuitivum vocant *proprium*, sed vox propria ambigua est; proprius enim conceptus etiam passim opponitur conceptui communi, vel etiam conceptui analogo; ad tollendam deinde istam ambiguitatem addunt distinctiones: stricte proprium vel proprium ex propriis, proprium ex communibus, ex analogis.

79. 2. Distinguitur idea *directa* seu primae intentionis et idea *reflexa* seu secundae intentionis; quae idearum divisio imprimis attendenda erit, cum de ideis universalibus agetur. Interim recole quae dicta sunt n. 73 et 75.

§ 2. Partitiones idearum ratione obiecti.

80. I. Ratione *comprehensionis* ideae distinguuntur:

1. In ideas *simplices* et *compositas*.

Idea *simplex* est, quae pluribus notis non constat ideoque non potest ulterius in plures dissolvi (v. g. idea entis).

Idea *composita* est, quae pluribus notis constat et ideo in plures dissolvi potest.

Idea simplex non est confundenda cum idea *entis simplicis*. Obiecta enim in se simplicissima (Deus, spiritus) a nostra mente idea composita repraesentari possunt, immo debent, cum non valeamus positivam perfectionem, v. g. Dei, simplici uno conceptu exhaurire.

Neque idea composita confundenda est cum idea facticia. Ex una parte idea composita potest esse primitiva (intuitiva), cum facile possit mens unico actu apprehendere rem compositam. Ex altera parte per abstractionem et discursum mens acquirere potest ideam simplicem.

Aliqui interdum ita distinguunt, ut *simplicem* dicant ideam, quae exhibeat unam essentiam (v. g. homo), *compositam*, quae aliquid simul praeter essentiam (v. g. legens, scriba). Sensu tamen proprio ea sola et omnis idea simplex est, quae exprimit unam notam non ulterius in plures dissolubilem.

81. Specialis ratio compositionis habetur in comprehensione ideae *collectivae*. Idea enim collectiva in sua comprehensione non solum

continet *plures notas* eiusdem rei, sed plura *entia* divisa complectitur, ita ut simul sumpta obiectum ideae constituant, v. g. exercitus, familia, urbs, grex.

82. 2. In ideas *concretas* et *abstractas*.

Idea *concreta* est, quae rem simul cum forma seu rem prouti determinatione aliqua afficitur exhibet, v. g. homo, sapiens, rotundum, album.

Idea *abstracta* est, quae solam formam (seu determinationem) exhibet veluti separatam ab omni subiecto, v. g. humanitas, sapientia, rotunditas, albedo.

83. II. Ratione *extensionis* ideae sunt aut singulares aut universales aut particulares.

1. Idea *singularis* ea est, quae exhibet obiectum ita determinatum, ut omnes eius notae seu determinationes simul sumptae uni tantum rei convenire possint. Tale obiectum dicitur *individuum*, quatenus dividi non potest in plura talia, quale ipsum est (v. g. idea Alexandri Magni, huius equi vel huius arboris).

Si de individuis substantiae materialis agitur et speciatim de individuis *humanis*, numerari solent notae quaedam sensibiles, quibus individua cognoscere cognitione propria atque inter se discernere solemus, quas idcirco notas *individuantes* vocant et hoc versiculo complectuntur:

> Forma, figura, locus, tempus, stirps, patria, nomen.
> Haec ea sunt septem, quae non habet unus et alter.

Notae istae tamen non sunt notae individui *constitutivae* sed solum *manifestativae*.

Et huiusmodi notas attendens dixit *Porphyrius* individuum id esse, quod ex proprietatibus consistat, quarum collectio in nullo alio reperiatur.

In isto autem versiculo voce figurae dispositionem partium et membrorum significant, voce formae qualitatem quamlibet figurae inhaerentem.

Potest quidem nomen per se ad rem singularem pertinens, velut *Petri*, de multis proferri secundum communionem vocis, non tamen secundum ullam communem rationem significatam; nam isto nomine homines significantur, qui omnino alias individualitates habent; unde vox aequivoca est.

84. 2. Idea *universalis* id exprimit, quod in individuis a mente abstrahente inventum est identicum et apprehenditur ut unum. Quare exhibet unum aliquid, quod totum in compluribus individuis multiplicatum inesse et de compluribus singillatim praedicari potest (v. g. homo, equus, arbor).

Eo igitur notio universalis et collectiva (n. 81) conveniunt, quod ambae quandam unitatem habent. Eo differunt, quod in notione universali

unitas est principium multitudinis; namque secundum unam formam internam, quae tota in unoquoque subiecto distributive accepto inest, constituuntur complura. Contra in notione collectiva multitudo est principium unitatis; namque complura simul accepta unum constituunt sive unam formam externam, quae in unoquoque subiecto non inest nisi secundum aliquam sui partem.

3. Idea *particularis* individuum indeterminate significat, vel est terminus universalis ad unam partem suae extensionis eamque indeterminatam coarctatus, velut cum de *aliquo homine* agitur[1] (cf. n. 198).

Scholion. Ut idea sit *stricte universalis*, requiritur ut notio per ipsam expressa pluribus perfecte eodem modo seu univoce conveniat. In metaphysica autem ostendetur esse aliquot notiones omni quidem rei, non tamen univoce communes; quae suprema genera entis transcendunt ideoque vocantur transcendentales. Enumerantur sex: ens, res, aliquid, unum, verum, bonum. Ab his in logica nunc abstrahimus et solum agimus de ideis stricte universalibus. De his autem ulteriores divisiones attendendae sunt.

85. III. Idea universalis distinguitur in universale *directum* (primae intentionis) et universale *reflexum* (secundae intentionis). Intentione mentis *prima* quidditas rei vel una notio consideratur, quae in singulis individuis inest, praecisa ab individuis, velut cum in Socrate et Platone et aliis unam eandemque rationem humanitatis vel animalitatis vel sapientiae intellego. Atque hoc universale *directum* vel *metaphysicum* vocatur. Intentione mentis *secunda* quidditas rei vel una illa notio concipitur ut una et apta inesse multis inferioribus et in hac sua relatione ad inferiora consideratur, ut cum dico: *Paulus est specie homo* (homo est species), *Paulus est genere animal* (animal est genus). Et sic universale habemus, quod *reflexum* vel *logicum* vocatur.

Itaque universale *metaphysicum* sive *directum* est una natura vel notio sine individuis considerata, in quibus inest et a quibus abstracta est. Universale autem *logicum* sive *reflexum* est unum complura respi-

[1] Recentioris aetatis philosophi non *aliquis homo* dicunt, sed *aliqui homines*. Hac de re *F. A. Lange:* „Es wäre von großem Interesse, genau zu wissen, wann und wie das induktive und durchaus dem modernen Geiste entsprechende ‚Einige' und ‚Mindestens einige' statt des scholastischen ‚Irgend ein' in neueren Darstellungen der Logik eingedrungen ist. . . . Bei Wolff finden wir als Ausdruck des Partikularen ‚Etliche'. Des nämlichen Ausdrucks bedient sich Lambert . . .; Kant ersetzte ihn durch das gleichbedeutende ‚Einige'. Lambert erkannte auch schon klar, daß der Ausdruck ‚Etliche' nicht vollständig genüge, und zeigt (Organon I, § 124), daß man ‚Etliche' im Sinne von ‚Wenigstens etliche' nehmen müsse" (Logische Studien, Iserlohn 1876, 70).

ciens et ad complura comparatum. Relationem universalitatis „ratio adinvenit, considerando ordinem eius, quod est in intellectu ad res, quae sunt extra" intellectum [1].

His dictis intellegitur universale reflexum neque esse solum fictum quendam respectum ad multa sive relationem rationis neque esse rem intellectam absolute, sed esse aliquid mente conceptum et secunda intentione relatum ad plura. Universale logicum sive reflexum in universali metaphysico fundatur, et universale metaphysicum est quasi medium inter individua et universale logicum. Et ordo actuum nostrorum is est, ut primo percipiantur singularia; deinde natura communis abstracta a notis individuantibus menti obiciatur ut universale metaphysicum; tertio natura communis comparetur ad individua percipiaturque eo ipso ut superior et participata ab illis; quarto tandem ponatur ut praedicatum in aliqua sententia.

Iam accuratius de utroque universali agendum.

A. De ideis universalibus reflexis seu ex intentione secunda.

86. Praedicabilia. Universalia logica quinque modis ad sua inferiora sive partes vel subiecta referuntur: aut ut species, aut ut genus, aut ut differentia, aut ut proprium, aut ut accidens. Quae quinque praedicabilia hoc modo definiuntur:

Species est unum quidpiam, quatenus de compluribus numero distinctis univoce praedicatur essentialiter et complete. Itaque species totam et completam significat essentiam sive quidditatem rei, de qua agitur.

Genus est unum quidpiam, quatenus de compluribus specie differentibus univoce praedicatur tamquam sola pars determinabilis eorum essentiae. Itaque genus partem tantum essentiae sive quidditatis rei, de qua agitur, significat eamque determinabilem et quae per se latius patet quam ipsa species.

Differentia est unum quidpiam, quatenus de compluribus numero distinctis univoce praedicatur tamquam altera pars eorum essentiae, quae genericam partem eiusdem essentiae determinat.

Itaque differentia eandem extensionem habet atque species, sed minorem comprehensionem. Genus maiorem extensionem habet quam species et minorem comprehensionem. Differentia genus contrahit speciesque sub genere constituit constitutasque inter se distinguit. Quocirca species duas quasi partes in se continet: determinabilem sive materialem et determinantem sive formalem. Differentia etsi actu in genere non continetur, continetur tamen in ipso secundum potentiam, simili fere modo, sicut forma continetur secundum potentiam in materia.

[1] *S. Thom.*, De pot. q. 7, a. 11.

Proprium est unum quidpiam, quatenus de compluribus univoce praedicatur, non quidem ut nota constitutiva essentiae sed tamquam necessario conexum cum eorum essentia. Et hoc loco proprium id dicitur, quod convenit „omni, soli, semper", i. e. id quod soli speciei omnibusque eius individuis convenit ita, ut cum essentia necessario coniunctum sit, quomodo *homini* competit *ridere posse.*

Accidens (logicum) est unum quidpiam, quatenus de compluribus univoce praedicatur tamquam contingenter conexum cum eorum essentia. Itaque accidens significat omne id, quod ad essentiam sive quidditatem advenire videmus ita, ut inesse possit et non inesse sine subiecti corruptione[1].

Scholion. Accidens, de quo hoc loco agitur, accidens *logicum* vocari solet. Accidens generatim tribus modis dici potest. Accidens *physicum* est, quod substantiae accidit et veram entitatem habet. Accidens *metaphysicum* sive praedicamentale (categoricum) est, quod substantiae opponitur secundum nostrum concipiendi modum. Accidens *logicum* sive praedicabile est, quod essentiae rei accidit, ut ea salva adesse et abesse possit.

Aliis etiam verbis quinque praedicabilia in schola definiri solent:

Genus est unum aptum inesse compluribus specie differentibus et praedicari de illis in quid incomplete.

Species est unum aptum inesse compluribus numero differentibus et praedicari de illis in quid complete.

Differentia est unum aptum inesse compluribus et praedicari de illis in quale quid.

Proprium est unum aptum inesse compluribus et praedicari de illis in quale necessario.

Accidens est unum aptum inesse compluribus et praedicari de illis in quale contingenter.

87. **Et recte haec in quinque praedicabilia facta est divisio.** Namque notio omnis universalis aut aliquid significat, quod ad rei de qua agitur essentiam pertinet, aut aliquid, quod ad essentiam accedit. Id autem, quod ad ipsam rei essentiam pertinet, aut totam essentiam constituit aut partem tantum. Si totam, est *species* sive ratio communis, quae multis competere solet tamquam constituens totam essentiam. Sin partem tantum, aut partem determinabilem exprimit aut partem determinantem. Si partem determinabilem, est *genus* sive ratio communis, quae competere solet multis tamquam determinabilis pars essentiae. Sin partem

[1] *S. Thom.*, Opusc. 44. De tot. log. summ. tract. 1, c. 8.

determinantem, est *differentia* sive ratio communis, quae multis competere solet tamquam determinans pars essentiae.

Quodsi notio universalis aliquid significat, quod ad ipsam rei essentiam accedit, id aut ita cum essentia conexum est, ut abesse non possit, aut ita, ut possit abesse. Si prius, est *proprium* sive ratio communis, quae multis competere solet tamquam aliquid consequens eorum essentiam. Si autem non necessario cum essentia conectitur, est *accidens* sive ratio communis, quae multis competere solet tamquam contingenter eorum essentiae adveniens; contingenter inquam, i. e. ita, ut salva ipsa rei essentia abesse possit.

88. **Generum specierumque respectus** ut melius perspiciatur, observandum est, tum in genere, tum in differentia, tum in specie rationem supremam, intermediam, proximam distingui posse.

Genus *supremum* ita est genus, ut non sit species, sive supra quod nullum est aliud genus; cuiusmodi est *substantia,* quae supra se altius genus non habet, sed solum notionem entis et reliquorum transcendentium, quae notiones analogae sunt.

Genus *subalternum* sive intermedium illud est, quod ipsum est altioris generis species, cuiusmodi est *vivens,* quod supra se habet genus *substantiae,* infra se genera *animalis* et *plantae.*

Genus *infimum* illud genus subalternum est, quod infra se non habet aliud genus sed tantum species, cuiusmodi est *animal* respectu *hominis,* non tamen respectu *brutorum animantium.*

Distinguunt quoque genus remotum et proximum. *Remotum* est, inter quod et speciem aliud genus intercedit, eo modo quo inter genus *viventis* et speciem *hominis* intercedit genus *animalis. Proximum* illud est, inter quod et speciem nullum aliud genus interiacet.

Similiter species *suprema* ea est, quae supremo generi immediate succedit, cuiusmodi est notio *corporis* et *spiritus.*

Species *subalterna* illa est, quae ita est species respectu superioris, ut sit genus inferiorum. Itaque species subalterna et genus subalternum non differt gradu sed respectu tantum; idem enim gradus, qui ad inferiora refertur ut genus, ad superius se habet ut species.

Species *infima* sive ultima et specialissima ea est, quae infra se nullam aliam speciem habet, sive quae ita species est, ut non sit genus, sive quae dividi non potest in alias species, sive quae praedicatur in quid de multis solo numero diversis. Quae sola apud peripateticos in numero praedicabilium habetur, et speciali ratione „species praedicabilis“ dicitur.

Et differentia *suprema* illa est, quae supremo generi copulata supremam speciem exhibet.

Differentia *subalterna* ea est, quae species subalternas constituit sive intermedias.

Differentia *ultima* sive infima, quae simpliciter *specifica* dici solet, ea est, quae speciem ultimam constituit, quam diximus simpliciter vocari „speciem".

Scholion 1. Illa, quae in nullo genere conveniunt, sed sub conceptu entis tantum continentur, vocantur *primo diversa* sive *toto genere diversa,* velut *piscis* et *voluntas* vel *rotunditas* et *angelus. Genere differre* dicuntur, quae eodem genere proximo non continentur, velut *animalia, plantae, mineralia* vel *Petrus* et *gladius. Specie differunt,* quae sub eodem genere proximo constituta, discrepant tamen in aliquo, quod essentiale est, ut *Tobias* et *canis.* Differunt *solo numero,* quae individua sunt eiusdem speciei, ut *Petrus* et *Paulus.* Differunt *entitative,* quae saltem sunt partes inter se diversae unius individui compositi, ut est *pars dextra* et *pars sinistra unius lineae.*

Scholion 2. *Contrahere* genus vel speciem est determinare et veluti applicare genus ad aliquam speciem vel speciem ad aliquod individuum. Ita *hominem* dicunt contrahere genus animalitatis, et *Petrum* contrahere speciem humanitatis.

Scholion 3. Transitus a termino communiore ad alium minus communem et tandem ad individuum *descensus* terminorum appellatur. *Ascensus* autem ille dicitur transitus, quo ab infima ratione individui per varios gradus metaphysicos sive formalitates ad supremam usque rationem entis ascendimus.

89. **Arbor porphyriana** appellatur schema quoddam, quod *Porphyrius* de generum specierumque rationibus disserens, in sua Isagoge exempli gratia proposuit res attendens, quae in genere substantiae sunt.

	Substantia	
corporea		(incorporea);
	Corpus	
animatum		(inanimatum);
	Vivens	
sensitivum		(insensitivum);
	Animal	
rationale		(irrationale);
	Homo	
individuus A		individuus B.

In quo schemata „substantia" genus supremum est, quod extensione est amplissimum, comprehensione maxime angustum. Addita nota *corporea* ad genus *corporis* contrahitur, atque ita additis identidem differentiis

specificis ad *hominem* tandem pervenitur. Similes series in categoriis reliquis constitui possunt. Ita peripatetici quantitatem latissime acceptam diviserunt in continuam et discretam; continuam in permanentem et successivam: permanentem in corpus, superficiem, lineam; successivam in motum et tempus; discretam in numerum parem et imparem. Qualitatem diviserunt in habitum et dispositionem, potentiam et imbecillitatem, passionem et patibilem qualitatem, formam et figuram. Relationis categoriam diviserunt in mutuam et non mutuam, mutuam in relationem aequiparantiae, ut est *similitudo, aequalitas*, et disquiparantiae, ut est *paternitas*, cui respondet filiatio. Atque ita deinceps.

B. De ideis universalibus directis seu ex intentione prima.

90. Categoria quid sit. Sicut universalia, quae secundis intentionibus subsunt, in praedicabilia dividuntur, ita ea quae subsunt primis intentionibus, in certis *categoriis* collocantur. Et ab *Aristotele* quidem ens distributum est in categorias decem, quae a *Boethio* vocata sunt *praedicamenta*. Itaque categoriae sive praedicamenta nihil aliud sunt nisi quaedam schemata sive classes a philosophis institutae ad distinctiorem rerum cognitionem. Definitur categoria: series naturalis generum, specierum, individuorum, quae in aliquo supremo genere continentur. Non enim confuse et promiscue, sed naturaliter res in categoria poni debent, ita ut superiora loco superiore ponantur, inferiora inferiore. Etsi proxime termini in categoriis haud raro ponuntur, proprie tamen categoriae sunt series *rerum*, non *terminorum*. Eo igitur praedicamenta a praedicabilibus differunt, quod praedicabilia dicuntur secundum ordinem, quem mens nostra in rebus ponit, praedicamenta autem res sunt secundum essendi modum, quem in ipsis mens contemplans cognoscit [1].

Categoriae per se quidem ad metaphysicam spectant, sed tamen etiam a logico considerandae sunt, cum sint obiectiva fundamenta, in quibus conceptus universales innituntur.

91. Categoriarum numerus. Proxime duo sunt supremi rerum ordines: *substantia* et *accidens*. Ens enim aut ex natura sua est activitatis proprium principium ideoque in se subsistit, aut natu-

[1] Ab Aristotele vocantur *τὰ γένη* vel *τὰ σχήματα τῶν κατηγοριῶν* vel *τῆς κατηγορίας*, i. e. genera praedicatorum vel praedicati, vel etiam *κατηγορίαι τοῦ ὄντος* vel *τῶν ὄντων*. Itaque Aristoteles non quamlibet, sed eam in mente habet orationem, cuius subiectum sit: *τοῦτο τὸ ὄν* vel *τὸ προκείμενον* vel *τὸ ἐκκείμενον* (cf. Top. 1, 5 [102 a 34]; 1, 9 [103 b 30]), et praedicatum sit *τὸ ὄν*, vi huius vocis latissime accepta, quod igitur esse possit aut *οὐσία* aut *ποσόν* aut *ποιόν* aut quidpiam eiusmodi, quod in alia ex decem categoriis sit ponendum.

raliter indiget aliquo subiecto, cui adiacet sive inhaeret. Id quod, ut sit, non indiget aliquo cui inhaereat subiecto, substantia vocatur, i. e. ens per se stans. Id vero, quod naturaliter indiget subiecto inhaesionis, est accidens[1].

Scholion. Cum accidens etiam inter praedicabilia numeratum sit, distinctio, quae est inter accidens, quod praedicamento substantiae opponitur, et accidens praedicabile (n. 86), accurate retinenda est. Accidens *praedicabile* rem dicit, quae ab aliquo abesse vel in eo inesse potest, salva eius essentia, ut est in homine *habere album colorem cutis, pileum, simum nasum, calceos.* In accidente *praedicamentali* modus attenditur, quo ens, ut inhaerendo insit rei alteri, a natura sua ordinatum est; eiusmodi accidentia sunt in homine *intellectus, sensus, intellectio, sensatio.* Quam diversitatem *S. Thomas* tetigit, cum diceret: „Si accidens accipiatur, secundum quod dividitur contra substantiam, sic nihil potest esse medium inter substantiam et accidens, quia dividuntur secundum affirmationem et negationem, scilicet secundum ‚esse in subiecto' et ‚non esse in subiecto'. . . . Si vero accipiatur accidens, secundum quod ponitur unum quinque universalium, sic aliquid est medium inter substantiam et accidens; quia ad substantiam pertinet, quidquid est essentiale rei; non autem quidquid est extra essentiam, potest sic dici accidens, sed solum id, quod non causatur ex principiis essentialibus speciei. Proprium enim non est de essentia rei, sed ex principiis essentialibus speciei causatur; unde medium est inter essentiam et accidens.“[2]

Sed contemplanti rerum naturas et accidentia a substantia distinguenti simul ingens accidentium varietas in oculos incurrit. Quo factum est, ut utilitatis gratia ens non in duas, sed in plures categorias actutum divisum sit. *Aristoteles* illas decem posuerat[3], quas iuvandae memoriae gratia veteres his versiculis expresserunt:

[1] Haec distinctio inter substantiam et *τὰ συμβεβηκότα* passim ab *Aristotele* est posita. Qui aliquotiens etiam distinxit tria: *οὐσίας, πάθη, πρός τι* (Met. 13, 2 [1089 b 23]).

[2] S. th. 1, q. 77, a. 1 ad 5.

[3] *Τῶν κατὰ μηδεμίαν συμπλοκὴν λεγομένων ἕκαστον ἤτοι οὐσίαν σημαίνει ἢ ποσὸν ἢ ποιὸν ἢ πρός τι ἢ ποῦ ἢ ποτὲ ἢ κεῖσθαι ἢ ἔχειν ἢ ποιεῖν ἢ πάσχειν. Ἔστι δὲ οὐσία μὲν ὡς τύπῳ εἰπεῖν οἷον ἄνθρωπος, ἵππος· ποσὸν δὲ οἷον δίπηχυ, τρίπηχυ· ποιὸν δὲ οἷον λευκόν, γραμματικόν· πρός τι δὲ οἷον διπλάσιον, ἥμισυ, μεῖζον· ποῦ δὲ οἷον ἐν Λυκείῳ, ἐν ἀγορᾷ· ποτὲ δὲ οἷον ἐχθές, πέρυσιν· κεῖσθαι δὲ οἷον ἀνάκειται, κάθηται· ἔχειν δὲ οἷον ὑποδέδεται, ὥπλισται· ποιεῖν δὲ οἷον τέμνει, καίει· πάσχειν δὲ οἷον τέμνεται, καίεται* (Categ. c. 4 [1 b 25]). Cf. Top. 1, 9 (103 b 20), quo loco categoria prima *τί ἐστι* vocatur; aliis locis *κεῖσθαι* et *ἔχειν* omissa sunt: cf. Anal. post. 1, 22. Alio loco (Met. 13, 2 [1089 b 20]) tres tantum categoriae indicari videntur: *οὐσίαι, πάθη, πρός τι.* Nihilominus ex consueto dicendi modo, qui est apud Stagiritam, luculenter apparet eum in mente habuisse, ut certus categoriarum numerus statueretur.

Arbor	sex	servos	ardore	refrigerat	ustos.
substantia	quantitas	relatio	qualitas	actio	passio.

Ruri	cras	stabo,	sed tunicatus ero.
ubi	quando	situs	habitus.

His igitur ad decem interrogationes respondetur, quae de substantia singulari, praecipue vero de homine, poni possunt: quid sit, quantus, qualis, cuius, quid agat, quid recipiat, ubi sit, quando, quomodo sit in loco, quas alias substantias gerat ad utilitatem suam, i. e. quarum gestatio ut gestatio ad ipsius utilitatem ex se destinata sit.

92. Exponuntur categoriae singulae. Substantia sive ens per se (in se), quod non inhaereat alteri, in natura non reperitur, nisi singularis et individua, a qua universalis notio subtantiae virtute mentis abstrahentis comparatur. Quoniam igitur substantia individua ante omnia reliqua adest, est subiectum *primum* omnis attributionis, ipsa autem de re nulla proprie praedicari potest *(πρώτη οὐσία)*. Substantia specifica, quae de substantia prima potest praedicari, vocatur substantia *secunda (δευτέρα οὐσία)*. Quo loco observandum est, cum dico: *Petrus est homo,* substantiam primam non esse subiectum *inhaesionis* sive physicum, sed subiectum *attributionis* sive logicum. Homo enim Petro non inhaeret ut accidens, sed de eo effertur ut praedicatum.

In substantiis naturalibus distinguit *Aristoteles* materiam (ὑποκείμενον vel ὕλην), formam sive qualitatem substantialem (εἶδος vel μορφήν vel τὸ τί ἦν εἶναι vel τὴν κατὰ λόγον οὐσίαν) et totum ut rem tertiam ex materia et forma compositam (τὸ σύνολον vel τὸ ἐκ τούτων ἀμφοῖν).

Quantitas est accidens ratione materiae, cuius effectus apparet in speciali illa extensione, qua subiectum secundum leges continuitatis mathematicae extenditur impenetrabiliter. Quodsi ex divisione quantitatis *continuae* nascitur multitudo, quantitas *discreta* est.

Qualitas est accidens ratione formae, qua substantia determinatur, disponitur vel in se ipsa vel quoad operationem.

Relatio est ordo sive habitudo unius ad aliud, ut *paternitas, aequalitas, dominium.*

Actio est accidens, quo effectus aliquis constituitur actu dependens a subiecto ut a causa efficiente.

Passio est accidens, quo subiectum constituitur actu recipiens effectum aliquem ab aliqua causa efficiente.

Ubi est accidens, quo subiectum in certo loco praesens formaliter sistitur.

Quando est accidens, quo subiectum in certo tempore formaliter constituitur.

Situs est accidens disponens partes subiecti secundum earum positionem in loco.

Habitus est denominatio quaedam deducta ex indumentis seu tegumentis corporis.

93. **Factae distributionis ratio.** Non est dubium, quin pro arbitrio quisque ad plures paucioresve ordines varias res revocare possit. Verum sicut is, qui annum in pauciores pluresve menses, hebdomades dividere vellet, quam vetus fert consuetudo, sane reprehendendus esset, ita non sine vituperatione quis a denario numero categoriarum recederet, qui a multis saeculis apud philosophos plurimos in usu est. Cum enim pro omni vitae genere praecipiendum sit, „non esse mutanda sollemnia in practicis", praecipue in rebus philosophicis urgendum est, ne unusquisque tradita pervertat et novitate creet perturbationem. Accedit, quod non sine ratione categoriae ab *Aristotele* constitutae sunt.

Omne enim ens aut in se subsistit aut accidit alteri; ergo aut *substantia* est aut accidens. Accidens autem eam rem, cui adiacet, aut absolute in se determinat aut cum respectu ad aliud. Si prius, aut materiam sequitur, et est *quantitas;* aut formam, et est *qualitas.* Si posterius, aut solo respectu ad terminum constituitur, et est *relatio;* aut praeter merum respectum involvit peculiarem rationem. Quod sit ita est, aut respicit aliquid ut suum principium, aut ut suam mensuram, aut ut ambiens utile vel eius generis aliud quidpiam. Si principium respiciat, aut passivum attendit, et est *actio;* aut activum, et est *passio.* Si mensuram respicit, aut indicat id, quo res est certo tempore, et dicitur *quando;* aut indicat id, quo res est potius hic in spatio quam alibi, et vocatur *ubi;* aut indicat ordinem partium certo modo in loco dispositarum, et est *situs.* Si refertur ad rem, quae adiacet extrinsecus ut utilis, est *habitus.*

§ 3. Partitiones idearum petitae ex perfectione repraesentationis.

94. 1. Conceptus *clarus* aut *obscurus.* *Clarus* est, qui tot ac talibus rei notis constat, ut res facile ab omni alia re discerni possit, v. g. animal rationale = homo. *Obscurus* est, qui notis ad obiectum ab omni alio discernendum non sufficientibus constat, v. g. idea entis vel bipedis relate ad hominem.

Sunt qui putent notiones nostras non in se esse posse positivas, determinatas, claras nisi propter relationem factam ad notiones alias,

quae ab illa notione diversae sint [1]. Quibus concedendum est, nos in habendis notionibus claris et determinatis multum quidem iuvari propter istam relationem vel oppositionem. Certum tamen est, notiones nostras etiam ante omnem relationem, comparationem, oppositionem positivas, claras, determinatas esse posse.

95. 2. *Conceptus clarus* est aut *distinctus* aut *indistinctus* aut *confusus*. *Distincte* concipimus rem, cum eam non solum ab omni alia re distingere possumus, sed etiam notas aliquas indicare, quibus ab aliis rebus differt. Ob defectum distinctionis conceptus *indistinctus* dicitur, si de re simplici agitur, quae non habet multas notas; *confusus*, si sunt quidem notae multae in re, quae tamen a mente non distinguuntur ut multae.

Conceptus distinctus conceptibus claris earum notarum constat, quibus obiectum discernitur. Unde conceptus quidem clarus esse potest, qui distinctus non est; neque tamen ullus conceptus distinctus esse potest, quin clarus sit.

Scholion. Ex recentioribus nonnulli claritatem et distinctionem conceptuum una voce „aspectabilitatis" solent comprehendere; id tamen minus recte, nam aspectabilitas per se non ad intellectum, sed ad sensum refertur. Obscuritas et confusio multis ex causis oritur: imprimis ab imbecillitate luminis intellectualis, ab imperfectione sensuum horumque minus accurata ad res ipsas applicatione, ex manca et incohata tantum rerum contemplatione. Fugienda est igitur in rebus contemplandis levis illa praecipitantia, qua homo omnia uno obtutu exhauriri posse opinatur. Adhibenda contra est attentio et accurata singularum notarum investigatio. Comparanda res est cum aliis rebus similibus, quas iam distincte percepimus.

96. 3. *Conceptus distinctus* aut *completus* est aut *incompletus*. Completus est, quo notas omnes, quibus una res ab aliis discernitur, distinguimus; incompletus, si non omnes vel saltem si non omnes distincte. Conceptus igitur completus est conceptus totius. Incompletus est alicuius partis totum componentis. Ita conceptus repraesentans *animam* est conceptus incompletus hominis. Vel

[1] Ita inter alios *Ulrici:* „Nur weil Rot eben als Rot zugleich nicht Blau, nicht Gelb etc. ist, nur *darum* ist es diese bestimmte Farbe, die wir Rot nennen; ohne den Unterschied von Blau etc. wäre es ohne alle Bestimmtheit, nur Farbe-überhaupt, ein schlechthin Unbestimmtes, von dem wir nichts wissen würden, weil, wie gezeigt, die Farbe als Farbe nur durch die Unterschiedenheit der Farben uns zum Bewußtsein kommt. Ist die Bestimmtheit als solche nur der gesetzte Unterschied, und hat oder erhält also etwas eine Bestimmtheit nur durch seine Unterschiedenheit von anderem, so ist es auch nur dadurch *positiv* etwas" (Kompendium der Logik [2], Leipzig 1872, 60).

est conceptus totius ita, ut eius alia pars exhibeatur distincte, alia confuse.

97. 4. *Conceptus completus* est aut *adaequatus* aut *inadaequatus*.

Sed haec divisio ab aliis aliter intellegitur. Aliqui adaequationem conceptuum ad intellectum repraesentantem referunt; apud quos conceptus adaequatus ille est, cuius obiectum capacitatem intellectus explet, ut est conceptus entis vel veritatis in communi. Verum vix non semper adaequatio conceptuum ad obiecta repraesentata refertur: quod si fit, aliqui conceptus omnes completos adaequatos vocant, incompletos inadaequatos. Alii illos tantum conceptus completos dicunt esse adaequatos, qui rem totam non solum quoad notas essentiales, sed etiam quoad notas integrales, i. e. eas exhibent, quae naturaliter ad integritatem alicuius rei pertinent. Quae quidem opiniones non falsae, tamen minus utiles esse videntur, unde aliam huius divisionis descriptionem praeferendam esse ducimus.

Conceptus adaequatus ille est, qui rei ita adaequatur, ut eius notas omnes et singulas distincte exhibeat, seu ita, ut hae notae ulterius resolvi non possint; quod si non fit, conceptus erit inadaequatus.

98. 5. *Conceptus adaequatus* aut est *apprehensivus tantum* aut etiam *comprehensivus*. Comprehensivus totam obiecti intellegibilitatem ita exhaurit, ut non solum extensive rei toti adaequetur, verum etiam intensive omnes perfectionis gradus, relationes omnes, quidquid aliqua ratione cum re cohaereat, clara repraesentatione manifestet, ita ut *in ea re* vel *ex ea re* cognosci possit.

Aliis verbis: Idea comprehensiva totam rei realitatem seu perfectionem clare, distincte, complete, adaequate exprimit.

Nimium exigunt, qui ad comprehensionem rei requirunt, ut etiam cognoscatur, quidquid de re cognosci, v. g. de ipsa cogitari, dici, quovis modo fieri possit. Talis cognitio dicenda esset *supercomprehensio*.

99. 6. Denique secundum perfectionem repraesentationis distinguitur idea *propria* et *analoga*.

Idea seu conceptus *proprius* est, qui obiectum secundum naturam et rationem propriam exhibet.

Idea seu conceptus *analogus* est, qui obiectum non repraesentat secundum naturam et rationem propriam, sed secundum naturam et rationem alterius rei per conceptum proprium cognitae, quae cum isto obiecto habeat similitudinem imperfectam seu analogam (v. g. noster conceptus Dei). — Fusiorem explicationem et divisiones analogiae vide in ontologia.

Notandum: Conceptum proprium interdum etiam intellegunt conceptum correspondentem nomini proprio, ita ut significet idem ac conceptus sin-

gularis. Atque hoc sensu conceptum proprium opponunt conceptui communi (i. e. aut proprie universali aut transcendentali). Patet nos hoc sensu posse formare conceptum proprium Dei — proprium in oppositione ad communem —, licet non possimus de ipso Deo habere conceptum proprium in oppositione ad analogum.

ARTICULUS III.

De ideis inter se relatis.

100. Partitiones ex comparatione inter complures conceptus profectae. 1. *Conceptus conexi* et *disparati.* Conexi vel associati (pertinentes) sunt, quorum alius alium necessario aut includit aut excludit, ut sunt *pater* et *filius, lux* et *tenebrae.* Disparati (impertinentes) sunt, qui neque deductione neque repugnantia inter se referuntur, ut *sapiens* et *niger, iustitia* et *doctrina.*

Scholion 1. Nexus, cuius facta est mentio, aut *obiectivus* est aut *subiectivus,* prout coniungit aut conceptuum obiecta aut obiectorum perceptiones. Nexus obiectivus constituitur similitudine, oppositione, causalitate, rebus eius generis aliis. Nexus solum subiectivus est, si perceptiones fuerunt simultaneae, vel inter se exceperunt, vel fuerunt habitae in condicionibus similibus, vel similem dissimilemve effectum in percipiente produxerunt, vel si alia eiusmodi habuerunt locum.

Scholion 2. Conceptus conexi possunt *inter se pendentes* esse, ut *culpa* et *poena, causa* et *effectus, conceptus* et *vocabulum;* inter se *subordinati,* ut *homo* et *animal;* inter se *coordinati,* ut *homo* et *animal brutum.*

Si sunt coordinati, esse possunt *disiuncti,* ut *rubrum* et *caeruleum, sonus* et *strepitus; correlati,* ut *mons* et *vallis, terra marique.*

101. 2. *Conceptus identici* aut *diversi* sunt, prout aut iisdem aut diversis notis constant.

Identitas diversitasque, si ipsos conceptus afficit, *interna* dicitur; si autem in rebus reperitur, ad quos conceptus referuntur, *externa* est vel obiectiva. Ita conceptus *hominis* et *animalis rationalis* sunt conceptus intrinsecus identici; *animalis* et *albedinis* intrinsecus diversi sunt. Conceptus *lapidis* et conceptus *viventis* obiective diversi sunt. Conceptus *albi* et *frigidi* intrinsecus quidem diversi sunt; si tamen ad unam rem, quae alba simul est et frigida, ut est *nix,* referuntur, obiective identici sunt; sub diversis enim formis exhibent rem eandem.

Scholion 1. Conceptuum identitas diversitasve interna, si omnes notas respicit, *totalis* dicitur; si ad aliquas tantum notas refertur, *partialis* est. Ex quo sequitur esse posse conceptus, qui ex parte intrinsecus identici sint, ex parte intrinsecus diversi, velut *homo* et *animal.*

Quodsi uterque conceptus partem habet, quae eadem est in utroque, et praeterea partem, quae est extra alterum, conceptus vocantur contigui (contingentes) sive *interferentes*, velut *domus antiqua* et *domus pulchra*, vel *aurum* et *pecunia*; est enim res, quae et pecunia est et aurum; et res, quae est pecunia, non tamen aurum; et res, quae est aurum, non tamen pecunia.

Scholion 2. Conceptus, quibus idem diversa ratione exprimitur, nonnumquam *aequipollentes* vocantur; verba, quibus idem conceptus exhibetur, *synonyma* dicuntur.

102. 3. *Conceptus* sunt aut *sociabiles* aut *repugnantes*. Sociabiles sunt, qui secundum id quod exprimunt uni eidemque naturae convenire atque in unum conceptum coniungi possunt; repugnantes autem sive insociabiles, qui exprimunt obiecta, quorum unum vel directe vel indirecte continet negationem alterius sive ex parte sive ex toto; quae igitur ita inter se sunt opposita, ut in conceptum unum coniungi non possint.

Oppositio duplex esse potest. *Positiva* est, quae est inter duo entia; *negativa* est, quae est inter ens et non-ens. Si oppositio positiva intercedit inter duas res absolutas, appellatur contraria; si inter duas res relativas, dicitur relativa. Si oppositio negativa est inter ens et non-ens simpliciter, vocatur contradictoria; si inter ens et non-ens secundum quid, est privativa[1]. Sed hac de re diligentius dicendum est.

103. *Conceptus oppositi* aut sunt *contradictorii* aut *privativi* aut *contrarii* aut *relativi*. Quae distributio ex diversitate oppositionis nata est; opposita enim in genera quattuor dividuntur: contradictoria, privativa, contraria, relativa.

Contradictoria sunt, quorum unum negationem alterius significat, ut *ens* et *non-ens*; vel nota quaevis realis positiva (forma) et eius negatio, ut *videns* et *non-videns*, *homo* et *non-homo*. Ut sit contradictio, idem concipi et negari debet eodem plane modo, quo concipitur. Unde patet alterutrum ex contradictoriis necessario verum esse de subiecto quolibet, alterum falsum; inter contradictoria igitur medium esse non posse[2].

[1] Ἀντικεῖσθαι μὲν οὖν κατάφασιν ἀποφάσει λέγω ἀντιφατικῶς τὴν τὸ καθόλου σημαίνουσαν τῷ αὐτῷ ὅτι οὐ καθόλου, οἷον πᾶς ἄνθρωπος λευκός — οὐ πᾶς ἄνθρωπος λευκός, οὐδεὶς ἄνθρωπος λευκός — ἔστι τις ἄνθρωπος λευκός· ἐναντίως δὲ τὴν τοῦ καθόλου κατάφασιν καὶ τὴν τοῦ καθόλου ἀπόφασιν, οἷον πᾶς ἄνθρωπος λευκός — οὐδεὶς ἄνθρωπος λευκός, πᾶς ἄνθρωπος δίκαιος — οὐδεὶς ἄνθρωπος δίκαιος· διὸ ταύτας μὲν οὐχ οἷόν τε ἅμα ἀληθεῖς εἶναι. *Arist*, De interpr. c. 7 (17 b 16).

[2] Ἀντιφάσεως δὲ μηθέν ἐστι μεταξύ, τῶν δὲ ἐναντίων ἐνδέχεται. *Arist.*, Met. 10, 4 (1055 b 1).

Privativa sunt, quorum unum significat defectum sive privationem alterius, ut *ens subiecto debitum* et *entis in eo subiecto negatio;* vel nota quaevis realis positiva (forma) et eius negatio, quatenus haec in subiecto reperitur, quod ad notam illam habendam aptum et destinatum est, ut *videns* et *caecum*. Dum in negatione pura (specifica) a determinati subiecti conotatione praescinditur, in privatione conotatio subiecti apti et destinati includitur. Ita *mortuum* vel *caecum* vel *surdum* esse — qui sunt conceptus privativi — lapidibus attribui non potest; potest tamen attribui animalibus, quia haec ad vitam habendam et ad visum et auditum apta et a natura destinata sunt. Inter privativa medium esse posse intellegitur. Etsi enim alterutrum ex privativis proprio subiecto et determinato necessario inest, alia tamen subiecta multa esse possunt, quibus nec forma nec privatio attribui possit.

Contraria sunt illa positiva, quae sub eodem genere posita maxime distant et ab eodem subiecto inter se expellunt. Dicuntur *positiva,* in quo contraria a privativis et contradictoriis distinguuntur, quorum alterutrum negativum est. Dicuntur *posita sub eodem genere,* ut *nigredo, albedo* sub genere *coloris.* Dicuntur *maxime distare* differentia entitatis et societatis, quatenus secundum gradum suum intensum in eodem subiecto naturaliter sociari non possunt. Dicuntur denique *inter se expellere,* quia alterutrum excluditur a subiecto, quod altero imbutum est[1].

Relativa sunt, quae ex respectu ad aliud denominationem trahunt, ut *similia, inaequalia, causa* et *effectus, pater* et *filius.* Manifestum est relativa inter se includi; nec potest unum relativum esse vel concipi sine altero.

Quibus ex dictis perspicitur omnium maximam oppositionem (si formaliter spectetur ipsa oppositio) esse contradictoriam. Contradictoria enim nec medium habent, neque in ullo genere vel subiecto convenire possunt, nec ulla ratione inter se includunt. Opposita autem, quae indicavimus alia, aut medium habent aut in eodem genere vel subiecto conveniunt aut aliqua ratione inter se includunt[2].

104. Harum partitionum symbolum geometricum. Quas modo indicavimus partitiones, cum ab aliis alia specie proponantur, re tamen omnibus fere communes sunt. Solent quoque claritatis gratia proponi figuris geometricis iisque aliis pro diverso proponendi modo:

[1] *Τὰ πλεῖστον ἀλλήλων διεστηκότα τῶν ἐν τῷ αὐτῷ γένει ἐναντία ὁρίζονται Arist.*, Categ. c. 6 (6 a 17.)

[2] Hac de re praeclare disputat *S. Thom.* in opusculo 33 de quattuor oppositis.

1. Figura conceptuum inter se subordinatorum a *(animal)* et h *(homo)* haec est:

2. Figura conceptuum inter se coordinatorum a *(animal)* et p *(planta)* sub v *(vivente)*:

3. Figura conceptuum aequipollentium a et α:

4. Figura oppositionis contrariae A Z:

5. Figura oppositionis contradictoriae A et Non-A:



6. Figura conceptuum interferentium (partim identicorum, partim diversorum) a b et b c:



SECTIO II.

De termini interni signo sive de termino externo.

105. **Terminus externus** est signum illud, quo terminum mente conceptum (ideam) aliis manifestamus. Conceptus enim vel cogitationes internas aliorum immediate non cognoscimus. Quia tamen homo ex naturae instituto cum aliis hominibus simul vitam degere debet, conceptiones suas cum his non communicare non potest. Quod variis modis fieri potest, v. g. gestibus, at praecipue fit voce ore prolata, atque etiam verbis scriptis. Itaque significatio quasi vita vocis et anima est.

De terminis externis disputantes exponamus oportet, quae sit eorum natura, quae divisio, qui usus. Prius autem, quid sit signum, videndum est, quam de natura terminorum dicere possimus.

ARTICULUS I.

De signo in genere et de ideae signo.

§ 1. De signo.

106. **Signum quid sit.** Signum vi vocis latissime accepta omne illud dicitur, quod ipsum alterius rei cognitionem infert. Itaque etiam illud dici potest esse signum, *quo* aliqua alia res cognoscitur, neque tamen ipsum a cognoscente prius cognitum est; quod vocare solent „signum *quo*"; in quo genere est species sive imago illa, qua potentia cognoscitiva ad cognoscendum determinatur; quae inest in hac potentia, neque tamen cognoscitur. Sed usitatior potestas vocis est, qua signum dicitur id, quod prius cognitum ducit in cognitionem alterius, quod „signum *quod*" vocare solent. Hoc modo signum est id quod, cum se ipsum potentiae cognoscitivae manifestat, efficit, ut praeter se ipsum alia etiam res cognoscatur. Ita *ranarum vocibus* pluviam significari dicunt; *vestigium* est signum animalis; in *floribus* signum veris cernitur; *fumus* signum ignis esse solet. Signum igitur semper notius signato esse debet.

Et omnis significatio in aliquo nexu fundatur, qui rem significantem cum re significata coniungit. Unde id, quod significatur, semper aliqua ratione aliud esse debet atque id, quod significat. Tria in signi ordine distinguuntur: terminus significans, terminus significatus, nexus, unde vis significandi trahitur. Et ipsum signum necessario habet respectum duplicem: ad rem et ad intellectum. Ad rem refertur signum tamquam ad terminum quem manifestat; ad intellectum tamquam ad terminum cui manifestat.

107. **Signorum partitio.** Signi notione indicata de diversitate signorum dicendum est.

1. *Signum formale* et *instrumentale.* Si nexus, quo signum rem significat, in similitudine consistit vel imagine, signum *formale* dicitur. Signum autem, quod in alterius cognitionem ducit interveniente alia qualibet praeter similitudinem conexione, dicunt *instrumentale.* Ita *pictura* est signum formale sui prototypi; et *fumus* signum instrumentale est ignis.

2. *Signum naturale* et *arbitrarium.* Naturalia signa vocamus, quae naturali nexu et quasi ex naturae instituto rem aliam patefaciunt; sicut *fumus* ignem significat, et *vultus irati* affectionem mentis; ex naturae quasi instituto *dolor* est signum morbi; *singultus gallinae* pullis est signum praesentis pabuli. — Arbitraria autem signa sunt, quae ex sola hominum conventione vel consuetudine vim significandi sunt nacta.

3. *Signum suppositivum* et *manifestativum*. Manifestativum est signum, quod rei alicuius exsistentiam manifestat; suppositivum est, quod non solum ducit in cognitionem alicuius rei (id enim est signum manifestativum), sed quod loco ipsius rei substituitur, ut eius quasi vices gerat.

Ita *statua regis* manifestat victoriam, et pro rege supponitur: honoratur enim statua, quia rex ipse praesens esse non potest. Similiter *claves urbis victori delatae* cladem manifestant, et supponunt pro urbis deditione; cum enim tota urbs in manu victoris poni non possit, ponuntur claves. Vocabula denique sunt signa manifestativa conceptuum, suppositiva rerum.

§ 2. De vocabulis.

108. **Vocabulum quid sit.** Cum plurima sint signa, quibus affectiones animi forinsecus manifestari possint: gestus, nutus, tremitus, pallor, rubor, aspectus oculorum, risus, fletus, suspiria, huius generis alia, principatum tamen in conceptionibus nostris significandis omnes homines tribuerunt loquelae, i. e. vocibus sive vocabulis. „Nihil est enim aliud loqui ad alterum quam conceptum mentis alteri manifestare.“ [1]

Vox ab *Aristotele* definita est: sonus ab ore animalis prolatus cum imaginatione quadam [2].

Vocabulum est sonus ab ore hominis prolatus, quo is notiones mentis manifestare intendit. Id igitur, quod voci ore prolatae rationem formalem vocabuli tribuit, est mentis cogitatio. „Verbum, quod foris sonat, signum est verbi, quod intus latet, cui magis competit verbi nomen; nam illud, quod profertur carnis ore, vox verbi est, verbumque et ipsum dicitur propter illud, a quo, ut foris appareat, assumptum est.“ [3] Id quod ore profertur, est quasi vocis materia. Et a natura quidem homini data est vocis modulatio, qua commodius cogitationes suas manifestare possit. Quae modulatio multiplici linguae, labiorum, palati, dentium positione conformationeve efficitur. His oris formationibus vocem modificantibus ii soni constituuntur, quos *consonantes* dicimus; et iisdem formationibus sonus simplex ita mutatur, ut *vocalium* quas dicimus varietas oriatur. Organi motione unica *syllabam* proferimus; quae est unius vocalis sive simplicis sive compositae cum consonis complexio, vel etiam solus sonus vocalis (cum spiritu leni quem dicunt) distincte prolatus.

[1] *S. Thom.*, S. th. 1, q. 107, a. 1. [2] De anima 2, 8 (420 b 5 18 32).
[3] *Aug.*, De Trinit. 15, 11.

Itaque hominis proprium est, ut vocabulis utatur seu loquatur. „Nam etsi quaedam animalia locutionem humanam proferant, tamen non intellegunt, quod dicunt", sed arte condocefacta sunt, ut eas voces proferant. Eae voces, quae sunt signa cuiusdam tristitiae vel delectationis vel similium affectionum sensualium, etiam a bestiis eduntur, quippe quae affectiones suas sentire possint et inter se significare certis vocibus naturalibus, sicut leo rugitu, canis latratu, quorum loco nos „interiectiones" habemus. Verum locutio humana ad abstractas illas rerum relationes significandas ordinata est, quae nullo sensu attingi possunt, ut est ratio *honestatis, iustitiae, veritatis* et aliorum huiusmodi, quae sermone significari possunt [1].

109. *Vocabula sunt signa arbitraria sive conventionalia.* Etsi enim facultas loquendi homini a natura data est, et per indolem naturalem homo hac facultate utitur, nulla est tamen vocabulorum cum certis notionibus naturalis conexio. Quod tanta apud varias gentes declaratur linguarum diversitate, quae non esset, si vocabula certis conceptibus naturaliter necterentur. Relatio haec certa inter singula vocabula notionesque singulas quo pacto primitus inducta sit, viri doctissimi inquirunt [2]. Iam erant antiquitus, qui non hominum beneplacitum, sed similitudinem vel nexum naturalem soni cum re significata rationem esse ducerent, qua voces ad significandas res certas adhibitae essent. Certum tamen est eam ab hominum voluntate pendere institutoque. Quoniam autem generatim quae sunt ab hominum arbitrio, non sine aliqua lege et consilio fiunt, conexio ista ita ab hominum arbitrio pendebat, ut homines in evolvendis et mutandis linguis certis quibusdam legibus ducerentur.

Ex revelatione divina constat homines primos *de facto* a Deo adiutos esse, ut rebus nomina imponerent. Qua autem ratione homines ad formanda vocabula venissent, si soli suae naturae relicti, omni praeternaturali magisterio caruissent *(de iure)*, disputationi virorum doctorum relinqui posse videtur.

Necessitas vocabulorum apud homines res est apertissima. „Et si quidem homo esset naturaliter animal solitarium, sufficerent sibi animae passiones, quibus ipsis rebus conformaretur, ut earum notitiam in se haberet; sed quia homo est animal naturaliter

---

[1] Cf. *S. Thom.* in l. 1 polit. lect. 1, versus finem: Probat ex propria.

[2] Scientia, quae inquirit, quae fuerit variarum linguarum origo, dicitur „linguistica" vel „glottologia", „glottogonia", „grammatica historica". Cuius scientiae fundamenta iecerunt *Fr. Paulinus a S. Bartholomaeo,* qui scripsit de antiquitate et affinitate linguarum indicae, sanscriticae, germanicae (Patavii 1798), de latini sermonis origine et cum orientalibus linguis conexione (Romae 1802); et *Laurentius Hervas* S. J. (1735—1809).

politicum et sociale, necesse fuit, quod conceptiones unius hominis innotescerent aliis, quod fit per vocem: et ideo necesse fuit esse voces significativas ad hoc, quod homines invicem conviverent.“ [1] Atque ex hoc vocabulorum fine primario perspicuum est, in adhibendis vocabulis usum communem spectandum esse et vim vocabulis usu affixam servandam; eos autem, qui ab hoc usu recedant, male abuti vocabulis atque magnam confusionem efficere posse.

Vocabulorum igitur praecipuae partes in eo sunt, ut in commercio inter homines adhibeantur. Verum non solum ad alios, sed etiam ad nos ipsos referuntur. Cum enim a pueritia suam cuilibet vocabulo notionem adiungere assueverimus, nexus hic notionem inter atque vocabulum, quamvis arbitrarius sit, procedente tamen tempore per consuetudinem ita invalescit, ut propemodum naturali par sit. Ex quo fit, ut fere numquam et ne taciti quidem cogitationes in mente volvamus nisi adhibitis vocabulis, et ut saepe memoriae prius vocabula occurrant quam conceptus ipsi. Atque ita in vocabulis praeclarum cogitationum nostrarum vehiculum habemus.

110. Quid primo significetur vocabulis [2]. 1. *Vocabula per se significant conceptus non audientium, sed loquentium.* Cum experientia teste diversi sint in diversis hominibus pro diversa cognitione de una eademque re conceptus, vel etiam sub eodem vocabulo diversae a diversis concipiantur res, necesse est, ut eadem vox ab aliis pronuntiata aliam etiam vim habeat et significationem. Ita puer in metallo, quod *aurum* appellari audit, nihil observat praeter fulgentem quendam flavum colorem; alius praeterea maiorem gravitatem specificam, tertius malleabilitatem et ductilitatem et in aqua regia solubilitatem et eius generis plura. Qui omnes data occasione hanc vocem *aurum* pronuntiant. Ex quo evidens est in cuiuslibet ore eodem vocabulo alium tegi conceptum et exprimi multum discrepantem. A pueris res quaelibet, quae simili colore imbuta ipsis occurrit, aurum vocitari solet. Si igitur veram vocabulorum vim et significationem ad aliorum sensa recte assequenda velis constituere, noli ea ex tuis ipsius conceptibus interpretari; sed ea ex scribentis vel loquentis mente intellegenda sunt. Aliud plane voce Dei vel religionis intellegit christianus; aliud, qui pantheismi errore est irretitus; aliud, qui materialismo deditus solas corporis voluptates sectatur.

[1] *S. Thom.* in l. 1 periherm. lect. 2.

[2] Cf. *Alamannus*, Summa philos. 1, q. 16, a. 1. *Sylv. Maurus*, Quaest. philos. l. 1, q. 56.

2. *Unumquodque vocabulum tres* menti audientis legentisve *repraesentationes* ingerit: *primam sui ipsius,* ut cum quis dicit: *Cicero est vox trium syllabarum; alteram rei, quam significat; tertiam conceptus,* qui loquentis menti inhaeret. Primam significandi vim *materialem* dicunt, alteram tertiamque *formalem.* Et omissa materiali ad solam formalem hoc loco animum advertimus.

Vocabula primo conceptus mentis significant, deinde res his conceptibus exhibitas[1]. Ex natura enim sua destinata sunt ad exprimendas notiones internas, ut hae cum aliis hominibus communicari possint. Quoniam autem vocabulum a dicente ad exprimendum conceptum adhibetur, quatenus hic signum *rei* est et ad rem significatam fertur, iam ultimus limes significationis vocabuli in re ipsa cernitur, et attentio audientis ex vocabulo ad rem ipsam immediate convertitur.

Voces sunt signa conceptuum manifestativa, non tamen suppositiva; sunt signa suppositiva rerum.

Verba esse signa saltem manifestativa conceptuum patet, quia ex verbis intellegere possumus, quid quis in mentis arcano volvat. Neque tamen sunt signa suppositiva *conceptuum,* sed potius instituuntur ad hunc finem, ut vices gerant *rerum.* Quod inde patet, quia non dicimus conceptuum esse quaedam nomina, sed res ipsae sunt, quae nominibus insigniuntur. Si autem de conceptibus nostris loqui volumus, quasdam voces adhibemus, quae solas conceptiones nostras significant, velut: *Ita intellego; haec est nostra sententia.*

111. *Scriptura* sive scriptio significat vocabulum orale, ad quod supplendum inventa est, atque etiam res ipsas cum mente loquentis indicat. „Quia homo utitur etiam intellectuali cognitione, quae abstrahit ab hic et nunc, consequitur ipsum sollicitudo non solum de praesentibus secundum locum et tempus, sed etiam de his, quae distant loco et futura sunt tempore. Unde ut homo conceptiones suas etiam his, qui distant secundum locum, et his qui venturi sunt in futuro tempore, manifestaret, necessarius fuit usus scripturae.“[2] De scriptura haec sunt constituenda: 1° Omnis scriptura est signum instrumentale, non formale, quia scriptura ipsa prius cognosci debet, quam aliud significet. 2° Omnis scriptura significat ad placitum, non naturaliter. 3° Scriptura, quam adhibere solemus, quae fit per litteras vocum, immediate significat

[1] „Vox exterior significat ... conceptum intellectus, quo mediante significat rem“ (*S. Thom.,* De pot. q. 9, a. 5). Intentio intellecta „est quaedam similitudo concepta intellectu de re intellecta, quam voces exteriores significant“ (S. c. gent. 4, 11).

[2] *S. Thom.* in l. 1 periherm. lect. 2.

voces, et his intervenientibus res et intellectiones. 4° Signa numerorum, quae vocantur cifrae indicae sive arabicae, pro consuetudine vel placito legentis significant vel immediate res, i. e. ipsos numeros obiectivos, vel significant prius voces et ex vocibus res.

Scholion. Primitus scriptura omnis *ideographica* fuisse videtur, i. e. per se non exhibens voces sed immediate ipsas ideas; quae exhibebantur vel rerum similitudinibus (in scriptura figurata) vel signis analogis (in scriptura symbolica). Deinde phonetica sive *phonographica* est orta, quae ad exprimenda certa vocabula erat conformata; et primo quidem vocabulis integris certa signa attributa sunt, postea syllabis, demum singulis litteris, quae scriptura vocatur *alphabetica*. Et tria potissimum genera scripturarum olim numerabantur: sinense, asiaticum (in Asiae partibus occidentalibus), hieroglyphicum; ex quorum ultimo proxime hieraticus (liturgicus) et demoticus (epistolographicus) scribendi modus profectus est; et ex his iterum varia scribendi genera apud gentes semiticas et europaeas originem traxerunt.

112. Vocum varietas et vocabulorum diversitas. Generatim voces distribuere solent in: a) voces vanas, quae neque ex natura sua neque ex hominum more quidquam significant; b) voces, quae ex natura sua aliquid significant, ut sunt *gemitus, risus;* c) voces conventionales sive vocabula; quorum alia per se sola significant, et *categorematica* dicuntur, ut sunt substantiva, verba, adiectiva, participia; alia ex se solis significationem satis perfectam non habent, sed aliorum vocabulorum significationem modificant, et *syncategorematica* appellantur, ut sunt voces *omnis, nullus, aliquis,* casus obliqui, adverbia, atque etiam praepositiones et coniunctiones, quae sunt magis „colligationes partium orationis significantes habitudinem unius ad aliam quam orationis partes; sicut *clavi* et alia huiusmodi non sunt partes navis, sed partium navis coniunctiones“ [1].

ARTICULUS II.

De terminorum externorum partitionibus.

§ 1. Partitiones secundum vim significandi.

113. 1. *Terminus* aut *significans* aut *inanis* dicitur, prout aut aliquid revera indicat aut nihil significat nisi rem aperte repugnantem; velut *circulus quadratus* vel *culter lamina manubrioque carens;* quem conceptum formare sibi quis videri possit, dum revera eius obiecti conceptus nullus sit. Hunc conceptum post *Wolff* „fallacem“ vel „ideam deceptricem“ appellant.

[1] *S. Thom.* in l. 1 periherm. lect. 1.

Terminus aut *fixus* aut *vagus* distinguitur, ut fixus constantem habeat significationem, vagus modo hanc rem indicet, modo aliam, ad dicentis arbitrium. Ita vox *naturae* modo essentiam rei alicuius, modo totum mundum aspectabilem significat.

2. *Terminus significans per se* et *terminus significans cum alio.* Prior, qui *categorematicus* a veteribus dicebatur, ille est, qui seorsim sumptus plenam significationem habet, ut sine consortio alterius possit esse vel subiectum vel praedicatum propositionis, ut: homo, albus, loqui.

Alter vero, qui *syncategorematicus* dicebatur, est, qui per se solum non habet completam significationem, sed solummodo aliorum terminorum significationem modificat, ut: omnis, aliquis, qui (pronomen relativum), casus obliqui, adverbia, praepositiones, coniunctiones.

114. 3. *Terminus univocus, aequivocus, analogus.* Cum complura singillatim sumpta inter se et cum terminis quibus exprimuntur comparantur, ea aut idem nomen habent et eandem naturam, velut *homo,* qui praedicatur de *Petro,* et *homo,* qui praedicatur de *Paulo,* et dicuntur *univoca* (synonyma); aut habent diversum nomen et diversam naturam, velut *planta* et *philosophia,* et vocantur *heteronyma;* aut habent idem nomen et diversam naturam, velut *canis,* qui intellegitur *animal,* et *canis,* qui intellegitur *sidus,* et dicuntur *aequivoca* (homonyma); aut habent eandem naturam et diversum nomen, velut *vestis* et *indumentum,* et vocantur *polyonyma;* aut habent idem nomen et naturam partim eandem partim diversam, velut *pes* animalis et *pes* mensae, et dicuntur *analoga;* aut habent eandem naturam. nomen autem partim idem, partim diversum, velut *sapiens* et eius *sapientia,* et dicuntur *paronyma.*

Ex his, praetermissis reliquis, praecipue ad univoca, aequivoca, analoga attendendum est.

Terminus *univocus* ille est, qui eandem constanter rationem et essentiam significat, cum de suis significatis dicitur (v. g. animal).

Terminus *aequivocus* ille est, qui diversas omnino rationes et essentias significare potest (malum, os, liber).

Terminus *analogus* ille est, qui plura significare potest significatione neque omnino eadem nec plane diversa (sanum de homine et de medicina).

Analogiae conceptum fuse explicatum habebis in metaphysica generali.

§ 2. Partitiones terminorum secundum comprehensionem.

115. 1. *Terminus positivus* et *negativus.* Prior est, qui rem obiectam aliquam in se significat, velut *homo, aliquid, scientia, visio,*

fertilitas, lux. Alter est, qui non rem, sed rei absentiam significat, velut *non-homo, nihil, ignorantia, caecitas, sterilitas, tenebrae;* qui termini etiamsi non exprimunt rem, referuntur tamen ad res, quarum absentiam significant.

Scholion. Potest esse, ut terminus *voce* sive secundum modum significandi sit negativus, et tamen *vi* sive secundum rem significatam sit positivus, cuiusmodi sunt *infinitum, increatum, innocens, immortale, immediatum* (ἄμεσον), *impassibile* (ἀπαθές), *securum.* Fieri etiam potest, ut terminus voce sit positivus et vi negativus, velut *corruptibile, peccatum.*

Neque omittendum est particulam negativam in terminis negativis interdum non modo negationem significare (v. g. *impar*), sed privationem *(immemor),* vel etiam oppositionem *(impium).*

Praeterea terminus negativus etiam *infinitus* dicitur vel potius indefinitus. Generatim enim negationem fieri posse dicunt aut infinitanter aut neganter, prout afficit aut subiectum *(non-homo currit)* aut verbum „esse" latens in verbo *(homo non currit).* Termino negativo aufertur determinatio; unde hic terminus non est putandus aequivalere termino opposito (*non-amor* non est odium). „Non-homo" dicitur a negatione hominis, quae aequaliter dicitur de ente et non-ente; *chimaera* est non-homo, *equus* est non-homo [1].

116. 2. *Terminus absolutus* et *conotativus.* Prior est, qui rem significat ex se stantem, vel saltem per modum ex se stantis. Conotativus est, qui simul conotat sive indicat aliud quid, cui id quod significatur, inhaeret vel adiacet. Termini conotativi sunt: *album, sapiens, vivens, corporeum, ligneum, artifex, pictor;* termini absoluti: *homo, humanitas, albedo, caecitas, amabilitas.* Proprium est igitur termini conotativi, ut rem per modum adiacentis vel inhaerentis efferat. Et repraesentat duo: formam et subiectum, illam clare et in obliquo, hoc obscure et in recto; quam ob rem *aliud* significat et *de alio* dicitur; formam significat et de subiecto dicitur.

Scholion 1. Multa nomina, quae a grammaticis pro substantivis habentur, sunt logicis conotativa sive adiectiva, velut *philosophus, pater, dominus.*

Scholion 2. In omnibus conotativis distingui potest significatum materiale et formale. *Materiale* est subiectum, in quo inest forma nomine indicata. *Formale* est idem subiectum, ut ea forma determinatum est. In vocibus v. g. *dux, grammaticus* significatum materiale est aliquis homo; significatum formale est homo ut dux, ut grammaticus. In qua re praeter essentiam hominis vel subiecti indicatur forma accidentalis.

Scholion 3. Nomen absolutum, quod ab individualitate abstractum est, formam ipsam significat ut in concreto habitam. Ita terminus *homo*

[1] *S. Thom.* in l. 1 periherm. lect. 4.

vel *Deus* resolvitur in hunc: *habens humanitatem,* vel *habens divinitatem.* Et hoc modo nomen absolutum significat subiectum secundum propriam formam sive essentiam.

117. 3. Terminus *simplex* et *complexus.* Terminus *simplex* est *unum* vocabulum ideam aliquam sive simplicem sive compositam significans. Terminus *complexus* est, qui compluribus vocabulis constat, quae separatim quidem significationem habent, ita tamen coniuncta sunt, ut significatio termini totalis ex significatione partium resultet; cuiusmodi est: *homo doctus.* Requiritur, ut partes non sint disparatae, sed una determinet alteram; unde non esset terminus complexus, si quis vel uno tractu pronuntiaret: *homo pileus calcei.*

In termino complexo vocabulum, quod ipsam rem significat, dicitur terminus *principalis;* vocabulum, quod rei determinationem seu affectionem exprimit, dicitur terminus *incidens;* v. g. in exemplo *homo doctus* terminus principalis est *homo, doctus* terminus incidens.

4. Terminus incidens alius est *explicativus,* alius *restrictivus.* Prior ille est, qui principali secundum totam suam extensionem convenit et aliquid explicite effert, quod in principali conceptu implicitum est (e. g. Deus *bonus,* spiritus *immortalis*); alter significationem termini principalis ad partem illius extensionis coarctat (v. g. homo *doctus*).

118. 5. *Terminus concretus* et *abstractus.* Abstractus est, qui determinationem aliquam (formam vulgo dicunt) vel eius carentiam remoto subiecto exprimit, ut *albedo, sapientia, caecitas;* concretus est, qui ipsum subiectum ut determinatione aliqua vel eius carentia affectum significat, ut *albus, sapiens, caecus.*

Quod quo melius intellegatur, recordandum est intellectum abstrahere posse naturam a condicionibus individuantibus et materialibus; deinde etiam, in eadem re concepta complura, quae re ipsa secreta non sunt, secernere posse, ita ut attributum ab attributo secernat; tertio tandem, abstrahere posse formam a subiecto. Cuius triplicis abstractionis exemplum habes: *Petrus* et *homo in communi; rationale* et *risibile; homo in communi* et *humanitas.* Et haec tertia abstractionis species hoc loco attenditur. Rem, quae aliqua determinatione afficitur, determinationis *subiectum* dicimus, determinationem ipsam subiecti *formam* nominamus. Quae dicendi ratio metaphorica est. In rebus enim artefactis forma id est, quo aliqua materia, sive lignum, sive lapis, sive aliud quidpiam, ad certum quoddam artificium determinatur.

Nota. 1. Concretum pro diversa distinctione determinationis a subiecto dividitur in *physicum* (v. g. homo maculatus) vel *metaphysicum* (v. g. homo individuus) vel *logicum* (v. g. homo a me cognitus).

2. Terminus concretus potest sumi *reduplicative,* v. g. si dicitur philosophus magnus — in philosophia excellens; vel *specificative,* v. g. philosophus magnus — in statura corporis; philosophus cantans.

6. Terminus *intentionis primae* (realis) et *intentionis secundae* (logicus). Quae distinctio patet ex dictis n. 75 86 sq.

§ 3. Partitiones terminorum secundum extensionem.

119. 1. Secundum extensionem termini dividuntur immediate in *proprios* et *communes.*

Terminus *proprius* est, qui significat obiectum ideae singularis, v. g. Socrates, Roma.

Terminus *communis* ille est, qui de pluribus singillatim et secundum eandem significationem dicitur (substantia, pater, iustus). — Dicitur singillatim seu distributive, ut excludantur termini *collectivi;* dicitur secundum eandem significationem, ut excludantur termini *aequivoci.* Si eadem significatio intellegatur sensu perfecto eadem, etiam termini analogi et ideo etiam termini *transcendentales* excluduntur.

Terminus communis immediate et formaliter significat comprehensionem ideae universalis, v. g. homo: animal rationale; mediate et materialiter etiam eiusdem extensionem seu ideae universalis inferiora, v. g. homo: Petrus, Paulus, reliqui.

120. 2. Potest terminus *communis* addito termino incidente determinari, et sic

a) fit *singularis* addito pronomine demonstrativo *(singularis ex demonstratione)* aut alio termino incidente singulari, v. g. proditor Christi, liber quem manu teneo *(singularis ex hypothesi)*;

b) fit *particularis* addito signo particularitatis, v. g. aliquis homo, pars militum, plerique; vel etiam ex ipso contextu orationis (praedicatum propositionis affirmativae; cf. n. 167);

c) fit *universalis* ita, ut omnia sua inferiora significet, praefigendo signum universalitatis (omnis, nullus). Numero plurali adhibito secundum contextum erit aut universalis aut particularis;

d) fit *collectivus,* cum omnia et singula vel plura saltem sua inferiora per modum unius accipienda significat, v. g. omnes partes aequant totum.

ARTICULUS III.

De usu terminorum.

§ 1. De suppositione terminorum.

121. I. *Suppositio quid sit.* Cum vocabula seu termini sint *signa* et quidem *signa rerum suppositiva, suppositio* termini generatim nihil

aliud est nisi *usus termini pro re aliqua,* quam significat. Differt a significatione. Haec enim est termini vis proponendi intellectui obiectum aliquod; suppositio autem est usurpatio termini, ut vim significandi exserat.

II. *Suppositionis divisio.* Eius conspectus.

Suppositio

materialis — formalis

realis — logica

singularis — communis

absoluta — relativa (personalis)

a) distributiva, b) collectiva, c) disiunctiva, d) disiuncta (seu confusa)

completa (de singulis generum) — incompleta (de generibus singulorum)

cum vel sine exceptione.

Explicatur divisio.

122. 1. *Suppositio* primo et immediate dividitur in *materialem* et *formalem.*

Suppositio *materialis* est *usus termini pro se ipso,* v. g. Cicero est vox trium syllabarum, est vox latina; philosophia est vox graeca, significans studium sapientiae; loqui est verbum etc.

Suppositio *formalis* est *usus termini pro re significata,* velut: caritas est virtus praecipua; philosophia est scientia necessaria; homo habet duos tantum pedes. Unde patet solam suppositionem formalem esse suppositionem stricte dictam.

Ex his resolves sophisma: *Homo habet duas syllabas. Aristoteles est homo. Aristoteles habet duas syllabus;* vel: *Quod dicis, transit per os tuum. Domum dicis. Domus ergo transit per os tuum.*

Formalis suppositio alia est propria, impropria alia. Suppositione *propria* adhibemus terminum pro ea re, quam per se homines eo nomine significant (pro suo proprie significato), velut cum quis dicit: *Nero fuit imperator; leo est animal.* Suppositione *impropria* adhibetur terminus pro ea re, quam per accidens propter aliquam cum re proprie significata similitudinem illo termino appellare solent (pro suo metaphorice significato), cuiusmodi sunt propositiones: *iste est alter Nero; Christus est leo de tribu Iuda.*

Ex quo resolves: *Vulpes furantur gallinas. Herodes erat vulpes. Herodes ergo furatus est gallinas.*

123. 2. Suppositio formalis subdividitur in intentionalem sive *logicam* et physicam sive *realem.* Suppositione *logica* usurpatur

terminus, qui pro re significata ponitur secundum exsistendi modum, quem habet in intellectu cognoscente, sive ut subest intentioni secundae; velut si quis dicit: *animal est genus; Socrates est individuum aliquod.* Suppositione *reali* adhibetur terminus, cum rem significatam indicat secundum exsistendi modum, quem habet extra intellectum cognoscentem, sive ut subest intentioni primae; velut si quis dicit: *animal est ferox; Socrates philosophus suo tempore erat celeberrimus.*

124. 3. Suppositio realis alia est singularis, alia communis. Suppositio *singularis* est usus termini pro individuo determinato, ut *Aristoteles, hic liber.* Suppositio *communis* est usus termini communis. Terminus autem communis adhiberi potest duplici modo: a) pro suo significato immediato, i. e. pro natura, quae in multis individuis abstractione mentis accipitur una, quae vocatur suppositio *absoluta*, quia est acceptio termini, secundum quod significat naturam absolute consideratam. Suppositio absoluta est igitur acceptio termini communis pro ideae significatae *comprehensione;* b) pro suis significatis mediatis, i. e. pro individuis in extensione termini illius communis comprehensis, quae vocatur suppositio *personalis* (relativa). Suppositio igitur personalis est acceptio termini communis pro suis inferioribus seu pro ideae significatae *extensione.*

Si dicis: *homo est animal,* habes suppositionem absolutam; si dicis: *omnis homo* vel *aliquis homo est animal,* habes suppositionem personalem. Si absolute dicis: *homo est musicus,* falsum dicis; quamquam suppositione personali verum quis dicit *aliquos homines esse musicos.*

125. 4. Suppositio *personalis* iterum pro diversa termini communis extensione varia distinguitur. Sicut enim extensionem termini communis vel ex toto vel ex parte considerare possumus, ita terminus communis tum pro tota sua extensione tum pro parte solum supponi potest. Sed antequam diversas illas supponendi rationes explicemus, nonnulla de *descensu* quem dicunt a termino communi ad individua praenotanda sunt.

Descensus quotuplex sit. Descensus efficitur successiva substitutione inferiorum, quae termini communis extensione comprehenduntur, in locum termini communis secundum orationis contextum. Et quadruplex eius generis descensus distinguitur: copulativus, copulatus, disiunctivus, disiunctus.

Copulativus descensus habetur, cum pro singulis individuis termino universali substitutis et inter se coniunctis oratio exponens multiplicanda est; in quo genere est propositio: *omnis homo mortalis est,* quae explicatur: homo A est mortalis et homo B . . . et homo X est mortalis.

Copulatus descensus est, cum omnia et singula individua termino communi substituta coniunguntur, neque tamen oratio exponens ipsa pro individuorum numero multiplicatur; cuius descensus exemplum est Neronis crudele illud: *Utinam omnes cives haberent unum caput!* i. e. utinam civis A et civis B . . . et civis X omnes simul unum tantum caput haberent!

Disiunctivus est descensus, in quo singula membra disiunctione aliqua inter se nectuntur, ita ut pro numero individuorum substitutorum oratio multiplicetur; cuiusmodi est propositio: *aliquis philosophus graecus syllogismum invenit,* quae explicatur disiunctive: Aut Pythagoras syllogismum invenit, aut Plato . . . aut Aristoteles syllogismum invenit. Qui descensus etiam *determinatus* dicitur, quia propositio, etsi de singulis individuis indeterminate enuntiatur, in uno tantum prae aliis determinate verificatur.

Disiunctus denique est descensus, in quo singula membra disiunctione quidem aliqua inter se coniunguntur, neque tamen oratio ipsa multiplicanda est; cuiusmodi est propositio: *aliquis cibus ad vitam sustentandam necessarius est;* quae disiuncte exponitur: Vel cibus A vel cibus B . . . vel cibus X ad vitam sustentandam est necessarius. Qui descensus etiam *confusus* dicitur, quia propositio ita indeterminate de singulis individuis valet, ut in nullo prae ceteris determinate verificetur.

126. Partitiones suppositionis personalis. Terminus communis, qui personaliter supponitur, aut pro tota sua extensione aut pro parte tantum supponi potest; si pro tota, vocatur suppositio universalis, et est aut distributiva aut collectiva; si pro parte, vocatur particularis et est aut disiunctiva aut disiuncta.

Distributiva est, cum terminus communis supponit pro omnibus et singulis significatis suis sive pro suis inferioribus enumerandis descensu copulativo. Distinguitur autem suppositio distributiva in completam et incompletam. Est *completa,* cum est „pro singulis generum", i. e. cum explicatur descensu copulativo enumerante omnia *individua* termino communi subiecta, velut cum quis dicit: *virtus est laudabilis, vitium est turpe.* Est *incompleta,* cum est „pro generibus singulorum", i. e. cum exponitur descensu copulativo enumerante omnes tantum *species* termino communi generico subiectas, velut cum quis dicit *logicam describere omnes mentis operationes,* vel *omne animal fuisse in arca Noë,* vel *omnem in homine contineri vitam.*

Utraque haec suppositio distributiva potest esse aut *sine exceptione* aut *cum exceptione,* prout in exponendo descensu intellegitur exceptionem aliquam, propter probatam rationem, admittendam esse aut non admittendam esse. Ita cum quis *omnia animalia* dicit fuisse in arca Noë, excipienda esse aquatilia per se satis intellegitur. Suppositio distributiva, in qua est exceptio, dicitur *accommodata.*

Collectiva est suppositio, cum terminus communis ponitur pro omnibus suis significatis simul sumptis sive pro suis inferioribus enumerandis descensu copulato, velut cum dico: *omnes partes aequant totum; multi milites sunt exercitus.*

Suppositio *disiunctiva* sive determinata est acceptio termini communis pro suis inferioribus enumerandis descensu disiunctivo sive pro uno ex inferioribus, quae ita indeterminate inter se coniunguntur, ut de uno aliquo seorsum accepto determinate propositio verificari possit; velut in his propositionibus: *summa in omni civitate auctoritas in aliqua semper persona residet; aliquis philosophus syllogismi formam invenit.*

Suppositio *disiuncta* sive vaga vel confusa est acceptio termini communis pro suis inferioribus enumerandis descensu disiuncto sive pro uno ex inferioribus, quae ita indeterminate inter se coniunguntur, ut de nullo seorsum accepto determinate propositio verificari debeat. Hoc modo dicimus: *ad videndum aliquo oculo opus est; requiritur navis ad mare traiciendum; quaero equum.*

127. Regulae quaedam ad subiecti et praedicati suppositionem discernendam. Suppositio terminorum varia esse potest aut ex ipsa propositionum natura aut propter terminos syncategorematicos sive signa, quibus termini explicite affecti sunt. Cuius generis signa alia universalia sunt, ut *omnis, quivis, nemo, nullus;* alia particularia, ut *aliquis, nonnulli.*

Quibus dictis regulas ponimus, quae a veteribus ad dignoscendas suppositiones tradebantur. Et de *subiecto* quidem regula universalis est: Subiectum supponit secundum exigentiam praedicati. Ex qua hae fluunt regulae particulares:

1. Subiectum affectum signo universali *omnis* supponit aut distributive aut collective, prout praedicatum aut de singulis seorsum acceptis dici potest aut nonnisi de omnibus simul acceptis. Itaque in propositionibus: *omnis homo est liber; omnes hi milites in gerendis armis bene instructi sunt,* subiectum supponitur distributive; collective autem in his: *omnes homines sunt genus humanum; omnes hi milites sunt exercitus.*

2. Subiectum affectum signo universali negativo ex natura huius signi semper distributive supponit.

3. Subiectum, cui praefixum est signum particulare *aliquis,* aut disiunctive supponit aut disiuncte. Supponit *disiunctive,* si praedicatum subiecto conveniat, quod determinari assignarique possit, sive propositio est negativa sive positiva. Si autem praedicatum conveniat subiecto, quod non determinate assignari possit,

supponit *disiuncte*. Prius fit, cum v. g. in propositione aliquod exercitium physicum actuale absolute affirmatur; posterius, cum affirmatur aliqua necessitas, indigentia, similia, ita ut necessitati, indigentiae, aliis omnino satisfieri possit ab unoquoque ex individuis sub termino communi contentis et seorsum accepto. Itaque in propositione: *aliquis proxime erit moriturus*, subiectum disiunctive supponit; disiuncte autem in hac: *aliqua navis ad navigandum requiritur*.

4. Subiectum, cui neque signum universale neque particulare praefixum est, supponit distributive, si de materia necessaria agitur, cum videlicet praedicatum necessario et ex natura rei subiecto convenit aut repugnat; nam in materia necessaria propositio indefinita universali aequivalet. Si autem de materia contingente dicitur, subiectum disiunctive supponit; cum enim praedicatum subiecto nonnisi per accidens tribuatur, propositio indefinita in materia contingente aequiparanda est particulari. Unde propositio: *virtus est laudabilis*, eadem est atque: *omnis virtus est laudabilis;* et haec: *homo est iustus*, aequivalet alteri: *aliqui homines sunt iusti*. Atque haec quidem de casu recto subiecti; paulo aliter, si de casu obliquo agitur[1].

128. Regulae de suppositione *praedicati* de ea re intellegendae sunt, quam praedicatum in recto dicit. Itaque:

1. Praedicatum in omni propositione negativa semper distributive supponit. Igitur propositio: *planta non est animal*, significat: *planta neque est animal A neque animal B . . . neque animal X*.

2. Praedicatum in propositione affirmativa (si agitur de rebus creatis, neque agitur de definitione) numquam supponit distributive distributione reali et proprie accepta; sed ut plurimum supponit disiunctive, quia in hac propositione aliquod ex inferioribus determinate acceptum de subiecto affirmari solet.

§ 2. De terminorum usu modificato.

129. **Appellatio** est specialis quaedam applicatio significationis unius termini ad significationem alterius. Terminus, cui alter applicatur, *appellatus* dicitur; ille autem, qui applicatur, *appellans* dicitur. Ita in omni propositione subiectum est appellatum, praedicatum est appellans.

Neque tamen applicatio quaelibet praedicati ad subiectum appellatio dici solet, sed illa tantum, qua praedicatum vel attributum *speciali ratione*

[1] Cf. *M. Mangold* S. J., Philosophia recentior I, Monachii 1763, 14.

sive modificatione subiecto applicatur; velut cum dico: *Aristoteles fuit magnus philosophus,* vox „philosophus“ appellatur voce „magnus“; vel cum dico: *Carolus magnus fuit philosophus,* vox „magnus“ subiectum appellat et non eius philosophiam. Quae significationis diversitas ex sermonis contextu intellegenda est vel ex historia vel ex mente dicentis.

Sed neque adiectivum nomini additum, quod omnino disparatum est, appellans vocari potest; nulla enim ratione ipsam significati appellationem determinat. Si quis igitur dicit: *Aristoteles fuit dives philosophus,* vel: *Carolus fuit senex imperator,* voces „dives“ et „senex“ non sunt appellantes.

Dividitur appellatio in formalem et materialem. Est *formalis,* si appellans appellatum modificat secundum id, quod formaliter significat, cum e. g *malum poetam* eum intellego, qui carmina bona componere nescit; est *materialis* appellatio, si appellans afficit appellatum secundum id, quod materialiter tantum significat, cum e. g. *malum poetam* eum intellego, qui malis moribus imbutus est. In propositione, in qua particula reduplicativa non invenitur, appellatio contingit secundum exigentiam praedicati.

130. **Terminorum status, ampliatio, distractio** suppositionem terminorum determinant sive mutant, quatenus cum verbis coniunguntur.

Status termini est eius acceptio pro solo eo tempore, quod copula sive verbo expressum est, velut cum dico: *caecus non videt,* i. e. caecus, quamdiu est caecus, non videt.

Ampliatio est extensio termini a minore ad maiorem suppositionem, vel est acceptio termini pro alio etiam tempore atque illud, quod copula est indicatum; cuiusmodi habes in his sententiis: *non est pax impiis; fugit irrevocabile tempus.*

Distractio est acceptio termini pro alio tempore, atque copula indicatum est. Hae igitur propositiones verae non sunt nisi in sensu diviso; cuiusmodi sunt: *sedens surgit; caeci vident; puer senuit; iustus esse potest iniustus.*

131. **Restrictio et diminutio.** Restrictionem vocant coarctationem termini ad minorem suppositionem sive ad significandam partem tantum illorum individuorum, quae termino exhibentur; velut cum dico: *homo sapiens, homo doctus, homo pius;* vel *timens Deum, timens mortem, timens contumeliam;* vel *incedens celociter, incedens lente.* Interdum restrictio per se intellegitur omisso addito, ut in hac enuntiatione: *Eva est mater omnium viventium;* vel: *credo resurrectionem mortuorum.* At non pro libitu eiusmodi restrictio adhiberi debet, sed semper debet esse ratio, qua explicatur. Cum S. Augustino obiceretur illud Chrysostomi, „parvulos non habere

peccata", subintellegentis „propria", rationem ille adiunxit, cur vocem hanc omiserit: „At, inquies, cur non ipse addidit ‚propria'? Cur putamus, nisi quia disputans in ecclesia catholica non se aliter intellegi arbitrabatur."

Diminutio est coarctatio totius termino expressi ad eiusdem partem, ut cum *Aethiops albus* esse dicitur *secundum dentes.* Eiusmodi additum *diminuens* appellatur et ut plurimum casu ablativo exprimitur, e. g. *statura nobilis, laborans oculis, sanus mente, rufus crinibus, curvus crure.*

Alienatio et remotio. Prior est termini a significatione propria ad impropriam sive metaphoricam vel alienam translatio, velut cum iustitia a Pythagora vocatur *sal vitae,* vel cum de *homine picto* loquimur. Additum nominatur *alienans.*

Remotio est quasi detorsio vel abusus termini ad rem significandam impossibilem; cuiusmodi termini sunt: *circulus quadratus, finis infiniti, creatura omnium perfectissima.*

SECTIO III.

De divisione et definitione (seu de ideis per ipsam primam operationem perficiendis).

132. Ideis cognoscimus res. Quo clariores igitur et distinctiores ideas habemus, eo perfectior est cognitio. Quam ob rem tractatis ideis earumque signis tertiam sectionem adnectimus de iis operationibus apprehensivis, quae ad perficiendas ideas potissimum conferunt: *divisione* et *definitione.* Divisio necessaria est ad ideas distinctas acquirendas et ad terminorum aequivocationes orationisque ambiguitates dissipandas. Definitio vero rerum essentias ab invicem distinguere docet verborumque potestatem intra suos limites continet. Cf. *Frick,* Logica, ed. 4, n. 48.

ARTICULUS I.

De divisione.

§ 1. Divisionis notio et species.

133. I. *Divisio (διαίρεσις)* est *totius in suas partes distributio.* Partes vocantur membra divisionis (seu membra dividentia).

Divisio alia est *vocis,* alia *rei.*

Divisio *vocis,* quae proprie *distinctio* appellatur, est vocis aequivocae, i. e. significationis multiplicis secundum suas significationes distributio (principium: aut primum in serie, aut id ex quo seu cuius influxu aliquid procedit).

Divisio *rei* est, quae proprie divisio appellatur. Ad ipsius intellegentiam explicandae sunt notiones *totius* et *partis*.

II. *De toto et partibus.*

Totum (prout hoc loco in quaestionem venit) est omne id, quod unum est et in plura resolvi potest. Plura haec, in quae illud unum resolvi potest, partes ipsius dicuntur.

Totum a logicis distinguitur in totum *reale (actuale)* et totum *logicum (potentiale)*. Cf. *Frick,* Logica, ed. 4, n. 49 50.

134. Totum reale sive actuale illud est, quod actu habet essentiam compositam, sive quod partibus actu constat. Cuius divisio haud raro speciali nomine *partitio* vocatur; quae igitur est distributio totius in partes diversas, quibus actualiter componitur. „In partitione", inquit *Tullius,* „quasi membra sunt, ut corporis caput, humeri, manus, latera, crura, pedes; in divisione formae sunt, quas Graeci ideas vocant, nostri, si qui haec forte tractant, species appellant." [1]

Totum *actuale* a) pro *distinctione partium* est aut *metaphysicum* aut *physicum*. Totum *metaphysicum* est, cuius partes sola mente distinguuntur, quia totum exprimitur semel conceptu confusiore generis, et deinde conceptu determinatiore differentiae (*homo* totum metaphysicum, partes metaphysicae: *animal — rationale*). Quae divisio ad efficiendam classificationem rerum est magno usui. Totum *physicum* est, cuius partes re inter se distinctae sunt et totum vere componunt.

b) Pro *necessitate partium* totum physicum distinguitur in totum *essentiale* et *integrale*. Si hae partes essentialiter ad rem constituendam requiruntur, vocatur *totum secundum essentiam,* ut cum quis *hominem* ex anima et corpore constitui dicit (partes physicae essentiales). Partes integrales eae sunt, quae non essentiam sed quantitatem totius constituunt vel ad integritatem naturalem totius requiruntur. Compositum ex talibus partibus vocatur *totum integrale* simpliciter; ita *homo* ex pedibus, manibus, reliquis membris constat.

Hae autem partes integrales aut homogeneae sunt aut heterogeneae. *Homogeneae* sunt, si eandem naturam et hinc appellationem habent atque totum, ut pars dextra vel sinistra alicuius minimi elementaris (hydrogenii). Quae autem diversam appellationem et naturam habent atque totum, *heterogeneae* vocantur, qualia sunt membra omnis corporis animalis.

[1] Top. c. 6 sq et 7.

Scholion. Ad totum actuale id etiam, quod *totum* vocatur *morale*, reducitur, quae est multitudo entium rationalium relatione inter se adnexorum, ut sunt *familia, exercitus, civitas;* immo etiam totum *artificiale* et illud omne, quod consideratione nostra totum est, ut *domus, silva, Australia.* Et hic etiam saepe totum essentiale et totum integrale secundum essentiam et totum simpliciter integrale distingui possunt; ut in *domo* vel *exercitu* aliae partes indicandae sunt, cum de harum rerum essentia, aliae, cum de integritate essentiali, aliae, cum de integritate simpliciter agitur.

135. Totum conceptuale sive universale vel logicum illud est, cuius unitas effecta est mente cogitantis, comparantis, colligentis res varias secundum conceptus uniformes in classem unam. Et hoc loco habetur divisio proprie dicta, quae etiam classificatio ab aliquibus est dicta; *quae est oratio universale in sua particularia distribuens. Partes* totius logici sunt partes extensionis conceptus universalis (partes *subiectivae*). Totum logicum in suis inferioribus sive subiectis singulis integrum inest. Eiusmodi totum est genus, cuius ratio tota in specie qualibet inferiore ut in parte subiecta reperitur; ratio *animalis* secundum totam suam comprehensionem invenitur in qualibet specie animalis, in quas *genus* animal ut in partes logicas (subiectivas) dividitur; et species, cuius rationem unumquodque illius speciei individuum tamquam pars specici subiecta totam possidet. Ita ratio *hominis* tota inest in quolibet individuo humanae speciei.

Dum igitur totum actuale omnes suas partes *comprehendit* atque ita de omnibus suis partibus simul coniunctis affirmari potest, non autem de singulis, totum universale ad unamquamque sui partem *extenditur* atque ita de singulis partibus affirmari potest, non autem de omnibus partibus simul sumptis. Apud philosophos illa dicendi formula usitata est, qua totum universale dicunt praedicari essentialiter de suis partibus tamquam de subiectis[1].

Scholion. *Totum potestativum,* quam tertiam speciem totius addunt, haud ita saepe a philosophis attenditur. Hoc totum intellegitur substantia, quae operatur potestate multiplici (ut *anima humana* intellectu, voluntate, aliis), i. e. virtutibus multis inter se diversis. Quae virtutes illius totius partes dicuntur. Unde manifestum est totum hoc inesse quidem in qualibet parte, integrum sive totum, non tamen totaliter, i. e. secundum omnes virtutes. Qua de re *S. Thomas:* „Totum universale adest cuilibet parti secundum totam suam essentiam et virtutem, ut *animal* homini et equo, et ideo proprie de singulis partibus praedicatur. Totum vero integrale non est in qualibet parte, neque secundum totam essentiam, neque secundum totam virtutem; et ideo nullo modo de

[1] *Fonseca,* Instit. dial. 4, 6.

singulis partibus praedicatur. . . . Totum vero potentiale adest singulis partibus secundum totam suam essentiam, sed non secundum totam suam virtutem; et ideo quodammodo potest praedicari de qualibet parte, sed non ita proprie, sicut totum universale. Et per hunc modum Augustinus dicit, quod memoria, intellegentia et voluntas sunt una animae essentia." [1]

136. III. *Divisionis species* (cf. *Frick,* Logica, ed. 4, n. 53—55).

1. Totius tum *realis* tum *logici* divisio aut est divisio *per se* aut divisio *per accidens.*

Divisio *per se* illa est, cuius membra sunt proprie dictae partes, i. e. quae per se totum constituunt.

Divisio *per accidens* illa est, qua non enumerantur proprie dictae partes, sed partium accidentia seu attributa. Rem declarabunt exempla.

2. Totius *realis* a) divisio metaphysica *per se* est divisio essentiae in genus et differentiam; v. g. homo: animal rationale; divisio metaphysica *per accidens,* v. g. hominis pars altera est communis pecudi, altera ipsi propria;

b) divisio physica essentialis *per se:* hominis altera pars est corpus, altera anima;

physica essentialis *per accidens:* hominis altera pars est mortalis, altera immortalis;

c) divisio physica integralis *per se:* corpus humanum constat capite, collo, pectore etc.;

physica integralis *per accidens:* corporis alia pars est crinibus tecta, alia non; alia alba, alia nigra etc.

3. Totius logici *divisio per se* est divisio *generis in species* (animal in hominem et brutum); *speciei in individua* vel etiam differentiae genericae in species (divisio sensitivorum in hominem et brutum) et speciei in individua.

Totius logici *divisio per accidens* triplex distinguitur:

a) *subiecti in accidentia,* v. g. corporum alia sunt lucida, alia obscura;

b) *accidentis in subiecta,* v. g. passiones aliae sunt hominis, aliae bruti;

c) *accidentis in accidentia,* v. g. amara alia sunt salubria, alia insalubria; candidorum alia sunt dura, alia mollia, alia liquida etc.

137. *Nota.* Divisio *totius realis* in suas partes a veteribus vocabatur *resolutio* seu *ἀνάλυσις*; eiusdem totius ex suis partibus compositio dicebatur *compositio* seu *σύνθεσις.*

[1] S. th. 1, q. 77, a. 1 ad 1.

Divisio *totius logici* in suas partes (subiectivas) ab iisdem appellabatur *divisio* seu *διαίρεσις*, eiusdem vero ex partibus suis unio vocabatur *collectio* seu *συναγωγή*. Iam ex comparatione totius actualis et logici elucet:

a) in *toto reali* totum esse maxime compositum in se seu quoad suam comprehensionem, partes ultimas vero maxime simplices;

b) contra in *toto logico* totum esse in se seu quoad suam comprehensionem simplicissimum, partes vero infimas maxime compositas.

Unde consequitur, quod omnis divisio totius logici seu *διαίρεσις* realiter semper sit aliqua compositio totius realis seu *σύνθεσις*, et quod omnis collectio (totius logici) seu *συναγωγή* semper fiat aliqua divisione totius realis seu analysi.

§ 2. De divisionis legibus.

138. 1. Divisio sit *adaequata* sive integra, i. e. talis, ut omnia membra dividentia simul adaequent totum. Hinc falsa (vitiosa) est divisio viventium in homines et bruta.

2. Nullum membrum divisionis *excedat* aut adaequet totum. Totum enim maius est qualibet sua parte. Hinc male: animalia dividuntur in sensitiva et rationalia.

3. Nullum membrum divisionis *includat* ullum aliud membrum. Membra dividentia sint sibi opposita. Hinc male: homo constat anima, corpore, manibus.

4. Divisio sit *ordinata*, i. e. divisio fiat primo in proxima et *immediata* membra. Ne igitur membra subordinata primis coordinentur et sic confundantur, attendendum est. Deinde, si opus fuerit, singula membra in suas partes subdividantur. In quibus subdivisionibus tamen curanda est *brevitas* et *parcitas*[1] (*Frick* l. c. n. 56).

139. De divisione adnotatio historica.

Plato divisionem imprimis adhibuit ad distinguendas rerum ideas sive species (εἴδη)[2]. Et primo quidem dichotomiam usurpavit, quam ex oppositione traxit[3]; velut: *omnis res vivens est aut non-vivens.* Cui dualitati membrum tertium adiunxit, τρίτον ἐξ ἀμφοῖν, quod medium quasi esset[4].

[1] „Quidquid in maius crevit", ait *Seneca*, „facilius agnoscitur, si discessit in partes: quas ut dixi innumerabiles esse et parvas non oportet: idem enim vitium habet nimia, quod nulla divisio; simile confuso est, quidquid in pulverem sectum est" (Epist. 89). Et *Quintilianus:* „Cum fecere mille particulas, in eandem incidunt obscuritatem, contra quam partitio inventa est" (Orat. 4, 5). [2] Phaedrus 265. Polit. 262 sqq.

[3] Protag. 332. [4] Tim. 35 A. Phileb. 23.

Plura de divisione praecepit *Aristoteles* [1].

Kant, cum obiecta omnia secundum schema quoddam categoriarum ex indole iudiciorum tractum divideret, in unoquoque ordine membra tria constituit ita, ut unumquodque membrum tertium ex primi secundique cuiusque coniunctione ortum duceret. Itaque A partim dicitur esse B, partim non-B, et ex coniunctione B et non-B oritur C. Quod praeceptum sequens *Fichte* et magis etiam *Hegel*, multa hi de thesi, antithesi, synthesi statuerunt.

Tetrachotomiam posuit *Schleiermacher*, cum ex dialectica, quae sit omnis scientiae principium, centrum, finis, disciplinas omnes divideret secundum oppositionem inter naturam et rationem, vim internam et apparentiam externam, atque ita statueret cognitionem speculativam atque empiricam rationis, i. e. ethicam atque historiam, et cognitionem speculativam et empiricam naturae, i. e. physicam et historiam naturalem.

ARTICULUS II.

De definitione.

§ 1. Definitionis notio et species.

140. **Definitio** *(ὁρισμός)*, ut ait *Tullius*, „quasi involutum evolvit id, de quo quaeritur“ [2], vel est „oratio ea, quae quid sit id, de quo agitur, ostendit quam brevissime“ [3]. Definitio, prout mente concepta, nihil aliud est atque *notio obiecti completa*; si consideratur, prout verbis effertur et sumitur sensu latiore, est omnis oratio naturam rei breviter explicans; si vero intellegitur definitio perfecta, est *oratio notionem rei completam breviter explicans*. Id quod per definitionem explicatur, *definitum* dicitur.

Definitio debet esse oratio, quia vox una exprimit rem confuse tantum; unde „unum nomen non potest esse definitio“, ut dicit *Aquinas*, „quia definitio oportet, quod distincte notificet principia rerum ad essentiam rei constituendam; alias autem definitio non sufficienter manifestat essentiam rei“ [4]. Quia definitio debet esse oratio, plerumque exprimitur per modum iudicii; nihilominus recte ad primam mentis operationem adnumeratur. Est enim ipsius conceptus perfectio seu completio (conceptus distinctus).

141. Definitionis divisio principalis est divisio in definitionem *nominalem* et *realem*.

I. **Definitio nominalis** *(λόγος ὀνομαστὸς)* est *oratio explicans, quidnam aliquo nomine significetur*; vel est oratio, qua res nomine

[1] Anal. post. 2, 13 (96 b 15 sqq). Top. 6, 6 (143 a 30 sqq). De part. anim. 1, 2 3 (642 b 5 sqq).

[2] Top. c. 2. [3] Orat. c. 33.

[4] In l. 7 met. lect. 9. Cf. *Arist.*, Met. 7, 10 (1034 b 20).

significata determinatur. Quam ob rem potius est interpretatio quam definitio; non enim declarat ipsam rem, sed relationem, quae instituta est inter rem et illius rei nomen.

Triplici ratione definitio nominis institui potest: primo per etymologiam eruendo vim vocis ex eius origine; deinde adhibita voce alia, quae clarior notiorque est; tertio describendo utcumque vocibus notis rem ignoto vocabulo significatam.

Duplex distinguitur definitio nominis: communis et privata. *Communis* est, cum explicat, quid vox ex usu intellegentiaque communi significet. *Privata* sive arbitraria ea est, qua quis declarat, quid ipse aliqua voce significari velit.

Quae quidem definitio privata auctoritate suscepta in componendis controversiis magno usui esse potest, quandoquidem haud raro lites vocibus vagis et ambiguis aguntur. In quo tamen usu observandum est 1°, non licere proponere definitionem arbitrariam vocis, cuius significatio clara est et ab omnibus recepta; 2° in vocibus significationis dubiae eam esse debere definitionem hanc, quae ne ab adversario quidem iure reici possit; 3° illi qui definitionem privatam dederit, in definitione semel data firmiter perstandum esse.

142. II. **Definitio realis** *(ὅρος πραγματώδης)* non nomen, sed rem nomine significatam explanat; unde est oratio explicans, quid ipsa res sit. Duplex distinguitur: *descriptiva* altera, altera *essentialis.*

1. Definitio *descriptiva* est, quae explicat rem indicando ea, quae rei inesse neque tamen ad essentiam rei pertinere cernuntur.

Adhibetur ea a poetis et oratoribus, velut cum describitur a *Vergilio*[1]:

Fama, malum qua non aliud velocius ullum:
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo.

Adhibetur quoque, cum res singularis explicanda est hoc modo: *Plato est homo quidam, Aristonis filius, Academiae veteris princeps;* vel: *Vienna est primaria urbs Austriae.* Et a philosophis usurpatur, quamdiu de essentia alicuius rei nondum constat. Ea esse potest attributiva, causalis, physica. Si est attributiva, aut accidentalis esse potest aut propria.

Definitio descriptiva appellatur:

a) *accidentalis,* quae rem explicat indicando accidentia, quae etsi divisim sumpta etiam aliis rebus convenire possunt, tamen coniuncta inter se et collecta in sola re definienda reperiuntur; cuiusmodi est: *homo est animal bipes implume.*

b) *Propria* esse dicitur descriptio, si rem explicat indicando proprietates, quas cum re ipsa essentialiter *coniunctas esse* apparet,

[1] Aen. 4, 174 sq.

velut cum quis *hominem* dicit *esse animal politicum* vel *verae eruditionis capax* vel *loquela praeditum.*

c) *Causalis* est descriptio, quae rem explicat indicando eius causas externas, efficientem dico vel finalem vel exemplarem, velut cum quis *hominem* dicit *substantiam factam ad vivendum rationaliter,* vel *vocem* definit *sonum animalis ore prolatum,* vel *horologium* dicit esse *machinam ad horas indicandas constructam,* vel (*Spinozam* sequens) dicit *amorem esse laetitiam concomitante idea causae externae.* Et *finis* praecipua in describendis rebus ratio est. Par enim est, ut dicit *Aristoteles,* universas a *fine* res appellare[1].

d) Ad definitionem descriptivam adnumerari potest definitio, quae dicitur *genetica,* quae rem explicat indicando eius propriam genesim sive productionem, qua res in sua essentia facta est, ut cum quis dicit *eclipsim lunae defectum lucis esse, quem luna ex telluris inter lunam et solem interpositione patiatur;* vel *circulum* dicit esse *figuram planam, quae ex motu lineae rectae sese circum fixam sui extremitatem vertentis orta sit.*

143. 2. Definitio *essentialis* est oratio enumerans notas seu partes, quae essentiam rei constituunt, et quidem:

a) definitio essentialis physica ea est, quae partes indicat, ex quibus inter se realiter distinctis res componitur, ut cum *homo* definitur *substantia ex corpore organico et anima intellectiva resultans.*

b) Definitio essentialis metaphysica (*οὐσιώδης*), quae etiam logica dicitur, est, quae fit per partes principales metaphysicas, scil. per genus proximum et differentiam ultimam sive specificam[2]. Genus, cum ad multas res extendatur, ea re de qua agitur clarius esse solet, et si simul est proximum, quam fieri potest maxime intellectum nostrum ad rem definiendam adducit, id quod si non semper, certe ut plurimum animum sciendi cupidum magnopere iuvat.

„Ut plurimum" diximus. Clarius enim triangulum definies *figuram tribus lineis rectis conclusam* quam *polygonium tribus lineis rectis conclusum.* Et fieri potest, ut differentia, qua res definienda differt a genere proximo, si sola accipiatur, difficilius exprimatur, quam si addita ea differentia sumatur, qua genus illud proximum a genere remotiore differt. Quod si accidat, definitio erit clarior, si fiat per genus remotius.

Differentia autem, cum hanc rem ab aliis secernat, eam in intellectum inducit; et perfecte quidem inducit, si ultima est, et

[1] De anima 2, 4 (416 b 23). Eth. Nicom. 3, 10 (1115 b 22).

[2] *Trendelenburg,* Logische Untersuchungen II[3] 400 402 et praecipue 406.

omni solique rei definiendae est congruens. Interdum accidit, ut genus et differentia inter se converti possint. Ita *adulari* non minus recte definies *mentiri laudando* quam *laudare mentiendo, ut laudato placeas.* Quod tum fit, cum a nostra consideratione pendet, cui generi res definienda subdatur.

Et haec definitio, in qua genus proximum indicatur et differentia specifica, est „definitio perfecta", et ab *Aristotele* vocata est *λόγος* sive ratio[1].

§ 2. Definitionis leges.

144. Omnis bona definitio sit clara, brevis, reciproca, positiva.

Primo: *Definitio sit definito clarior.* Peccant contra hanc legem, a) qui voces adhibent obscuriores, inusitatas, non satis declaratas, vel voces vagas et indeterminatas, vel metaphoras ineptas; b) etiam qui idem per idem explicant *(διὰ ἀλλήλων τρόπος)*, vel qui definiunt a per b et deinde iterum b per a (in quo vitiosus „*circulus* in definiendo" cernitur), vel qui definiunt rem per eius negationem privationemve (v. g. virtus est vitium fugere).

Secundo: Sit *brevis,* i. e. voces inutiles vel supervacaneas ne contineat. Ea enim, quae praeter necessitatem in definitione ponuntur, mentem distrahunt et ab attentione eorum quae sunt necessaria avocant; id quod contra intentum per definitionem finem esse nemo non videt.

Tertio: Sit *reciproca* sive adaequata, i. e. toti et soli definito conveniat. Nam definitio debet esse res definita omnis et sola, clarius tantum explicata. Dignoscitur reciprocitas definitionis, si in propositione loco subiecti definiti praedicatum definiens et loco praedicati subiectum ita poni potest, ut veritas propositionis intacta maneat. Falsa: homo est animal mortale.

145. Quarto: *Definitio non sit negativa.* Definitio enim negativa non declarat, quid res sit, sed solum, quid non sit, atque necessario latior est definito. Indiget tamen haec regula explicatione et determinatione; nimirum

a) sunt quaedam definitiones *apparenter negativae,* revera tamen affirmativae, cum negent imperfectionem, assignata simul aliqua positiva perfectione. Ita definitio simplicis: „quod partibus non constat", non est negativa quoad rem. Non enim intellegitur mera negatio partium, quae etiam convenit non-enti seu nihilo, sed intellegitur ens habens perfectionem seu perfectiones suas identicas seu sine distinctionis et divisibilitatis imperfectione.

[1] Met. 7, 10 (1034 b 20 sqq).

Tales definitiones non solum non sunt vitiosae, sed nobis quoad multas res maxime necessariae;

b) *negationes et privationes* (uti caecitas, malitia), cum in se non sint aliquid positivi, etiam aliter definiri nequeunt nisi per oppositae realitatis seu perfectionis negationem.

Sensus igitur regulae quartae est: Definitio omnis sit eiusmodi, ut ea innotescat, quid definitum sit, et non solum, quid non sit. E. g. definitio *tenebrarum* erit bona, si dicantur: *lucis absentia seu carentia;* item definitio *caecitatis: cisus privatio;* mala esset definitio: caecitas est non-visus. Etenim etiam v. g. auditus est non-visus, nulla tamen ratione est *caecitas*. Terminus negativus enim est infinitus. Cf. *Frick,* Logica, ed. 4, n. 62.

§ 3. Definitionis usus et methodus.

146. Usus definitionis. 1. *Ex notione definitionis data satis intellegitur, non omnia definitione explicanda esse vel explicari posse*[1]. Cum enim definitio ex indole sua sit explanatio rei vel vocis minus cognitae per voces resve magis cognitas, manifestum est ante definitionem omnem esse res vocesque, quae per se manifestae, non egeant, ut et ipsae clarioribus rebus vel vocibus adductis definitione illustrentur. Potest quidem per accidens esse necessarium, ut eius generis notiones primitivae et clarissimae uni alterive magis declarentur. Sed talis declaratio ad descriptionem magis quam ad definitionem proprie dictam revocanda est. Cuiusmodi sunt notiones entis, unitatis, possibilitatis, necessitatis, causalitatis, cognitionis, appetitionis atque etiam facta experientiae.

Certum est igitur in definitione rerum esse necesse, ut sistatur tandem in notionibus, quae per se sine ulla definitione satis clarae sint et perspicuae. Sicut in demonstrationibus oportet fieri reductionem in aliqua principia intellectui nota, ita etiam in investigando, quid sit unumquodque. „Alias utrobique in infinitum iretur et sic periret omnino scientia et cognitio rerum.“ [2]

147. 2. Omnis quae de aliqua re instituitur disputatio, a certa definitione proficisci debet, ut pateat, qua de re disputetur. Et praecipue in philosophia demonstrationes ita procedere videntur omnes, ut quid sit res, tamquam sua fundamenta ponant et su-

[1] Haec res iam a *Platone* observata est: *Ἀδύνατον εἶναι ὁτιοῦν τῶν πρώτων ῥηθῆναι λόγῳ, οὐ γὰρ εἶναι αὐτῷ, ἀλλ' ἢ ὀνομάζεσθαι μόνον, ὄνομα γὰρ μόνον ἔχειν τὰ δὲ ἐκ τούτων ἤδη ξυγκείμενα ὥσπερ αὐτὰ πέπλεκται, οὕτω καὶ ὀνόματα αὐτῶν ξυμπλακέντα λόγον γεγονέναι* (Theaet. 202).

[2] *S. Thom.,* De verit. q. 1, a. 1.

mant, velut mathematicae, quid sit monas, et quid sit impar, atque ceterae similiter[1]. Quid autem sit res, definitione edicitur[2]. Attamen saepe ad perfectam et adaequatam definitionem realem requiritur longa inquisitio et etiam argumentatio. In quo casu initio definitio aliqua quasi initialis sufficere debet, quae rem sufficienter ab aliis discernat. In decursu tum acquiritur definitio perfecta, quae unius rei *una* tantum esse potest. „Si accipiatur definitio rei, quae complectitur totum esse rei, secundum quod ex omnibus causis constituitur, quae est perfecta definitio, tunc unius rei non potest esse nisi una definitio.“[3]

148. *De methodo definiendi.*

1. Pro *diversitate obiectorum* definiendorum nota:

a) Nomen *aequivocum* non est definiendum, nisi prius secundum varias suas significationes distinguatur.

b) *Substantia* definitur *per se* (per constitutiva, sive physica sive metaphysica), *accidentia* autem secundum rationem, qua afficiunt substantiam.

c) *Relativa* definiuntur generatim a terminis conotatis, ita v. g. potentiae ex actibus, actus ex obiectis propriis, mutatio ex terminis a quo et ad quem.

d) *Privationes et negationes* definiuntur ex perfectionibus positivis et subiecto.

149. 2. **Duplex ad inveniendam definitionem via est.** Una est per divisionem generis et via altera per collectionem similium et differentium[4].

a) Methodus *divisionis* (via descensus et synthesis) ea est, ut accipiatur primo id, quod ipsa re definienda est aperte communius, et hoc in suas partes subiectivas dividatur. Quodsi una ex his speciebus cum re definienda reciprocatur, iam est inventa definitio. Si reciprocatur nulla, certe aliqua illi convenit; haec igitur iterum divisioni subiciatur, atque ita deinceps, donec tandem complexio notarum differentialium successive aucta rei definiendae eique soli conveniat, atque haec erit rei definitio. In quo negotio, id quod monet *Aristoteles,* notae quaerendae sunt, quae essentialiter praedicentur; et is ordo servandus, ut species

[1] *Αἱ δ' ἀποδείξεις φαίνονται πᾶσαι ὑποτιθέμεναι καὶ λαμβάνουσαι τὸ τί ἐστι. Arist.,* Anal. post 2, 3 (90 b 31).

[2] *Ὁ ὁρισμὸς οὐσίας τις γνωρισμός.* Ibid. 90 b 16.

[3] *S. Thom.* 2, dist. 27, q. 1, a. 2 ad 9.

[4] *Arist.,* Anal. post. 2, 13 (96 a 20). Cf. *S. Thom.* in h. l. lect. 15 et 16.

superior ponatur superius, inferius inferior, nec ulla species praetermittatur.

„Sic igitur", inquit *Tullius*, „veteres praecipiunt, cum sumpseris ea quae sunt ei rei, quam definire velis, cum aliis communia, usque eo persequi, dum proprium efficiatur, quod nullam in aliam rem transferri possit, ut hoc: *hereditas est pecunia*. Commune adhuc: multa enim genera sunt pecuniae. Adde, quod sequitur: *quae morte alicuius ad quempiam pervenit*, nondum est definitio; multis enim modis sine hereditate teneri mortuorum pecuniae possunt Unum adde verbum, *iure:* iam a communitate res disiuncta videbitur, ut sit explicata definitio haec: *hereditas est pecunia, quae morte alicuius ad quempiam pervenit iure*." [1] Haec enim notarum complexio cum hereditate reciprocatur.

150. b) Methodus *collectionis* sive analytica seu via ascensus hoc modo procedit: Attendendum est ad individua, quibus nomen rei definiendae tribuitur, et praetermissis omnibus determinationibus particularibus retineatur ratio, quae omnibus illis communis est. Si rationem unam communem inveneris, haec species infima erit et in promptu definitio. Quodsi rationes plures inveneris, quarum singulae sint communes multis, nulla omnibus, ulterius quaerendum est, utrum rationes illae multiplices aliquid commune habeant necne. Si habent aliquid commune, totidem species erunt unius generis, et illud quod est commune omnibus, erit genus, et praesto definitio, quae quaerebatur. Si autem non habent quidquam, quod commune sit, notiones erunt analogae, quarum unaquaeque speciali definitione exprimenda est.

Huius rei a logicis hoc poni solet exemplum. Quaeratur, quae sit definitio *iustitiae*. Iustos dicunt venditores emptoresve, principes, iudices, dominos, illos qui damna illata compensant. Venditores emptoresve et illi qui damna compensant, iusti sunt, quia constanti voluntate tantum reddere conantur, quantum ad servandam aequalitatem cum ea re quam debent requiritur. Sed principes, iudices, domini sunt iusti, quia praemia poenasve ita distribuunt, ut cum meritis demeritisve servent proportionem. Unde duas esse iustitiae species concludendum est, quarum una servat aequalitatem rei cum re, et vocatur iustitia *commutativa*, altera proportionem rei ad personarum merita vel demerita, et dicitur *distributiva*. Ulterius autem utrumque considerantibus nobis apparet, id unum utrique commune esse, ut qui propter iustitiam commutativam et distributivam iusti nuncupantur, ius suum unicuique tribuant. Utraque ergo species iustitiae ad hoc unum genus revocatur. Ex quo iustitiae definitio erit, ut sit habitus, secundum quem quis constanti voluntate suum unicuique tribuit.

[1] Top. c. 6.

151. ***Scholion.*** Sunt praeterea aliae duae viae eaeque rariores quidem, quibus definitiones effici possint. Quarum prior est via *constructionis,* cum notio rei inde gignitur, quod, quomodo res nata sit, attendatur. Hoc modo *Aristoteles* definitionem societatis posuit contemplans modum, quo societas nascatur[1]. Altera via est *exclusionis,* qua omnia quae circa rem definiendam propius occurrunt, removentur, ita ut id quod reliquum sit, notionem rei exprimat. Hoc modo *Aristoteles* quaesivit definitionem spatii et imaginationis[2].

152. **De definitione adnotatio historica.** Primus certas rerum definitiones statuere in rebus ad mores spectantibus conatus est *Socrates*[3]. Quam definiendi industriam ad res omnes amplificavit *Plato.* Qui cum nulla certa definiendi praecepta darent, iam res per genus proximum et differentiam specificam definire solebant[4].

A *Platone* distinguitur ἡ οὐσία, τῆς οὐσίας ὁ λόγος, τὸ ὄνομα[5]. Ab *Aristotele* dicitur: ὁρισμός ἐστι λόγος τὸ τί ἦν εἶναι σημαίνων[6], ἐν ᾧ ἄρα μὴ ἐνέσται λόγῳ αὐτό, λέγοντι αὐτό, οὗτος ὁ λόγος τοῦ τί ἦν εἶναι ἑκάστῳ[7].

Leibniz definitiones *nominales* distinguit, quae notas tantum rei ab aliis discernendae continent; et *reales,* ex quibus constet rem esse possibilem[8].

At *Wolff* distinctionem duplicem ponens primo definitionem in nominalem et realem divisit; deinde in distinctionem essentialem et accidentalem. „Definitio, inquit, per quam patet rem definitam esse possibilem, realis vocatur."[9] „Definitionem essentialem appello, in qua enumerantur essentialia, per quae definitum determinatur; accidentalem dico, in qua enumerantur vel attributa, vel quae per modum attributorum insunt modorum ac relationum possibilitates, quibus definitum determinatur."[10] *Kant* definitionem nominalem sive accidentalem et realem sive essentialem tantum distinguit[11].

[1] De republ. 1, 1. [2] Phys. 4, 1 sqq. De anima 3, 3.

[3] Eam ob rem laudatur ab *Aristotele,* Met. 1, 6 (987 b 2).

[4] Hac ratione a *Platone* in libro de republica (442 D) definiuntur quattuor virtutes cardinales, in libro „Gorgias" (462) ars rhetorica. In dialogo „Euthyphron" (12 D et E) ὅσιον dicitur esse *μέρος δικαίου,* et quaeritur *ποῖον μέρος;* respondetur autem *τὸ περὶ τὴν τῶν θεῶν θεραπείαν.* A *Socrate* (*Xenoph.,* Mem. 3, 9, 8) φιλόνος dicitur esse *λύπη ἐπὶ ταῖς τῶν φίλων εὐπραξίαις.* In libro „Theaetetus" (208 et 209) inter *κοινόν* distinguitur et *διαφοράν* vel *διαφορότητα* vel *σημεῖον ᾧ τῶν ἁπάντων διαφέρει τὸ ἐρωτηθέν,* velut cum ἥλιος dicitur esse *τὸ λαμπρότατον τῶν κατ' οὐρανὸν ἰόντων περὶ γῆν.* Quae doctrina etiam in „Philebo" reperitur (p. 12 et 13).

[5] De leg. 895 D. [6] Top. 7, 5 (154 a 31).

[7] Met. 7, 4 (1029 b 19—21). Quo loco a definitione excludit accidentia et propria poscitque definitionem, quae etiamsi nomine non significat definitum, tamen secundum rem significat definiti essentialia. Cf. *S. Thom.* in l. 7 met. lect. 3.

[8] Acta erudit. (1684) 540. [9] Logik § 191.

[10] Ibid. § 192. [11] Ibid. § 106.

Herbart breviter quidem, sed eodem fere modo de definitione praecepit atque peripatetici [1].

Schleiermacher, de definitione reali obscure locutus, definitioni nominali negat ullam realitatem obiectivam subesse [2].

CAPUT II.

De secunda mentis operatione, i. e. de iudicio.

SECTIO I.

De iudicio in genere eiusque signo.

ARTICULUS I.

De iudicii natura.

153. Iudicii notio. Natum est nomen iudicii in ea significatione, qua sententiam a iudice ad finiendas actiones iuridicas latam indicat. Unde vox ad significandum certum quendam mentis actum translata est, quo mens componit cognoscendo conexionem. „Dicendum, quod nomen iudicii, quod secundum primam impositionem significat rectam determinationem iustorum, ampliatum est ad significandum rectam determinationem in quibuscumque rebus, tam in speculativis quam in practicis." [3]

Iudicium *(ἀπόφανσις)* generatim est actus cognoscentis, quo aliquid esse vel esse hoc vel non esse cum assensu percipitur. Vel ut dicit *Aquinas:* „Est actio intellectus, secundum quam componit et dividit affirmando et negando." [4]

[1] „Die Angabe des Inhalts eines Begriffes, indem sie ihn in seine Merkmale zugleich zerlegt und daraus zusammensetzt, ist seine Definition" (Lehrbuch zur Einleitung in die Philosophie § 41 sqq).

[2] „Die Nominaldefinitionen sind nichts anderes als ein Aggregat von Merkmalen, Merkmale aber sind nichts anderes als die in das allgemeine Bild aufgenommenen Resultate wahrnehmender Urteile, durch welche in der Tat das innere Wesen des Dinges niemals ausgedrückt ist, sondern nur ihr Verhältnis zu unsern organischen Funktionen" (Dial. § 266).

[3] *S. Thom.*, S. th. 2, 2, q. 60, a. 1 ad 1. Apud veteres dialecticos vox iudicii doctrinam significat accommodandi argumenta inventa ad efficiendam conclusionem. Cf. *Fonseca*, Instit. dial. 6, 7.

[4] De verit. q. 14, a. 1. Cf. *Arist.*, Met. 9, 10 (1051 b 1 sqq). Numquam dixit Aristoteles se intellegere compositionem eorum, quae re separata sint. Unde immerito ab aliquibus in reprehensionem est tractus. Ita a *Sigwart*, Logik I², § 14, p. 100 sq; § 21, p. 165. Inter hanc autem, quam dicunt compositionem intellectus et compositionem rei, discrimen magnum est. „Nam ea quae componuntur in re, sunt diversa; compositio autem intellectus est signum identitatis eorum quae componuntur. Non enim intellectus sic com-

Iudicium *formale* (vel iudicium sic dictum simpliciter) est, cum convenientia vel discrepantia ipsa ope cuiusdam abstractionis et collationis percipitur perceptaque factae pronuntiationis causa est. Quod abstractionis negotium, cum a solo intellectu peragi possit, efficit, ut hoc iudicium etiam *intellectuale* vocetur.

A perfectione iudicii formalis deficit illud, quod iudicium *virtuale* vocant vel *apprehensivum,* quo per solam quandam apprehensionem complexam aliquid verum esse percipitur imperfecte; vel cum convenientia vel disconvenientia duorum percipitur, quae solis sensibus sive externis sive internis sunt cognita, velut cum mente dico: *qui venit ibi, est Petrus.*

Haec *iudicia sensus* vocantur vel etiam *iudicia naturalia,* quatenus ea in omni vivente sensitivo post habitas sensationes internas vel externas a natura determinantur; ita etiam agnus iudicat lupum esse fugiendum, vel canis piscem, quem in aqua videt, eo loco esse iudicat, quo ipsi apparet. Qua de re *Aquinas:* „Recte consideranti apparet, quod, per quem modum attribuitur motus et actio corporibus naturalibus inanimatis, per eundem modum attribuitur brutis animalibus iudicium de agendis; sicut enim gravia et levia non movent se ipsa, ut per hoc sint causa sui motus, ita nec bruta iudicant de suo iudicio, sed sequuntur iudicium sibi a Deo inditum, et sic non sunt causa sui arbitrii, nec libertatem arbitrii habent.“ [1] Cum haec iudicia sensus sint quaedam iudiciorum formalium deficiens imitatio vel potius incohatio, omnia in iis aliqua ratione inveniuntur, quae iudiciorum illorum sunt propria. Nobis hoc loco de solis iudiciis *formalibus* sive *intellectualibus* agendum est.

154. Est igitur, de quo agitur, iudicium actus, quo mens non solum res rerumque affectiones in concreto apprehensas coniungit, sed praeterea super habitas perceptiones quasi reflectitur harumque perceptionum cum perceptis obiectis conformitatem vel discrepantiam interveniente comparatione videt arbitrique instar pronuntiat: *res ita est, ut cognosco.* Quod iudicandi genus *Aristoteles* prae oculis habuit, cum diceret: „Quod est autem in cogitatione affirmatio et negatio in mente, hoc est in appetitu rei alicuius prosecutio et fuga.“ [2]

Recte igitur iudicium definitur: *actus mentis, quo binas ideas aut affirmando componit aut negando separat,* vel: *assensus mentis in cognitam idearum obiectivam identitatem vel diversitatem.*

Materia seu obiectum iudicii *remotum* sunt ipsae ideae obiectivae seu conceptus obiectivi; *materia proxima* est ipsa obiectiva conceptuum identitas vel diversitas. *Forma* iudicii est ipse *assensus* seu affirmatio (praedicatio).

---

ponit, ut dicat, quod *homo est albedo,* sed dicit, quod *homo est albus,* i. e habens albedinem; idem autem est subiectum, quod est homo, et quod est habens albedinem“ (*S. Thom.,* S. th. 1, q. 85, a. 5 ad 3).

[1] De verit. q. 24, a. 1, Unde recte. [2] Eth. Nicom. 6, 2 (1139 a 21).

Iudicii logici elementa sunt subiectum, i. e. illud de quo aliquid asseritur, et praedicatum, i e. illud attributum, quod de subiecto asseritur. Praedicatum actu fit praedicatum per ipsum actum mentis asserentis (assentientis). Subiectum et praedicatum vocantur iudicii extrema (cf. n. 161 163).

155. *Geyser*[1] ipsum actum mentis vocat *intentionem;* sed haec denominatio non est satis determinata, cum omnis conversio mentis ad aliquod obiectum recte dicatur intentio. Neque exemplis et explicatione, quam addit Geyser, id satis determinatur. Dicit v. g. (l. c. n. 135): Si iudico, Deus exsistit, cum conceptu meo Dei coniungo intentionem mihi Deum independenter a me exsistentem repraesentandi; et iudicium simplex categoricum ita explicat (n. 156): Conceptus praedicati P repraesentat certam aliquam notam (determinationem) in subiecto S verificatam, ita ut qui concipit praedicatum P, eo ipso subiectum S secundum hanc notam cognoscat. Hoc verum est, sed ita nondum habetur *iudicium*, nisi cognoscam praedicatum *ut* praedicatum, seu mente *asseram* rem ita esse. Et si n. 146 dicit: Iudicium coniungit conceptum cum obiecto (subiecto) per intentionem repraesentandi aliquam subiecti notam, idem dicendum est, scil. non sufficere meram *repraesentationem*, sed requiri *assertionem*. In dissertatione tamen recentiore[2] ipse clar. Geyser *intentionem*, in qua iudicium consistat, ita determinat, ut eam vocet intentionem *assertoriam (Aussage-Intention)*, et essentiam iudicii in hac assertione ponit. Recte id omnino; nam assertio mentalis revera constituit iudicium, neque illud praesupponit.

Quae praesupponuntur sunt: saltem duae *apprehensiones simplices*, scil. subiecti et praedicati, *comparatio* utriusque ideae, *perspicientia* obiectivae identitatis (vel diversitatis), i. e. apprehensio comparativa. Sequitur ipse assensus, in quo consistit iudicium. Utrum apprehensio comparativa et ipse assensus in iudiciis evidentibus et non-evidentibus sint duo actus realiter distincti an duo respectus eiusdem actus, psychologiae discutiendum relinquimus.

156. In definitione iudicii sermo est de *obiectiva idearum identitate*. Quod intellegendum est secundum usum receptum terminorum. Idearum identitas distinguitur intrinseca et obiectiva; vero tamen sensu utraque est obiectiva. Intrinsece identicae dicuntur ideae, quae iisdem notis constant; (mere) obiective identicae sunt ideae, quatenus referuntur ad idem obiectum materiale.

Ideae intrinsece identicae necessario habent *eandem comprehensionem et eandem extensionem*. Ideae solum obiective iden-

[1] Grundriß der Logik und Erkenntnislehre, Münster 1909.

[2] Bemerkungen zur logischen Stellung des verneinenden Urteils und zur Theorie des Urteils überhaupt, in Abhandlungen aus dem Gebiete der Philosophie und ihrer Geschichte. Eine Festgabe zum 70. Geburtstag G. Frhrn v. Hertling gewidmet, Freiburg 1913.

ticae neque eandem comprehensionem neque eandem extensionem postulant. Ita v. g. ad hoc, ut homo sit albus, neque requiritur, ut omnis homo sit albus, neque ut omne album sit homo; sed requiritur et sufficit, ut aliquod adsit unum idemque obiectum (subiectum), quod revera sit et homo et album. Affirmando igitur idearum obiectivam identitatem nullo modo affirmatur identitas extensionis subiecti et praedicati; affirmatur utique subiectum contineri in *extensione* praedicati, et affirmatur praedicatum contineri ut notam aliquam in conceptu *adaequato* subiecti.

157. Et illud iudicium formale est *proprium* et omnino perfectum, in quo aliquod subiectum praedicato abstracto universalique *subesse* edicitur. Id *logicum* etiam vocant vel *praedicativum* vel *subsumptivum.*

Id a iudicio „subsumptivo" kantianorum omnino diversum est; qui intellegunt subsumptionem pure conceptualem, plane omittentes eam, quae sit *re* sive in *rebus.* Recte etiam monet *Geyser*[1] subsumptionem non esse primarium. Nam veritas iudicii primario non pendet inde, utrum praedicatum habeat plura subiecta et inter ea illud, de quo in hoc iudicio sermo est, sed inde, utrum nota praedicati revera sit nota seu determinatio aliqua istius subiecti.

A iudicio subsumptivo aliquo modo differt illud, quod *identicum* vocant, in quo praedicatum quiddam singulare est; et iudicium *aequalitatis,* quod saepissime occurrit in disciplinis mathematicis; atque etiam illud, quod pure *manifestativum* vel *indicativum* vocari potest, quod solum intendit factum aliquod enuntiare.

ARTICULUS II.

De iudicii signo sive de enuntiatione externa seu propositione.

158. **Oratio quid sit et quotuplex.** Oratio generatim est omnis vocabulorum complexio, quae ad exponendam animi sententiam fit. Ea ab *Aristotele* definita est, ut sit *locutio significans, cuius pars aliqua separata significat ut dictio, non ut affirmatio vel negatio.*

Est autem oratio aut perfecta aut imperfecta. *Imperfecta* est, quae ex sese sententiam perfectam in animo audientis non gignit, sed audientem suspensum tenet. Cuius generis orationes illae sunt, in quibus verbum deest vel aliud quidpiam ad complementum sententiae desideratur, ut cum dicis: *homo tristis,* vel:

[1] Grundriß der Logik und Erkenntnislehre n. 149 sq.

quamvis laudabile sit, vel: *qui peccat. Perfecta* est oratio, quae in audiente sententiam integram gignit et absolutam.

159. Oratio perfecta in enuntiativam dividitur et non-enuntiativam. Oratio *enuntiativa* ea est, quae verum vel falsum significat. Restat igitur, ut oratio *non-enuntiativa* ea sit, quae quamvis sententiam perfectam gignat in audientis animo, non tamen verum vel falsum significat.

„Quia intellectus vel ratio non solum concipit in se ipso veritatem, sed etiam ad eius officium pertinet, secundum suum conceptum alia dirigere et ordinare, ideo necesse fuit, quod, sicut per enuntiativam orationem significatur ipse mentis conceptus, ita etiam essent aliquae aliae orationes significantes ordinem rationis, secundum quam alia diriguntur. Dirigitur autem ex ratione unius hominis alius homo ad tria. Primo quidem ad attendendum mente, et ad hoc pertinet *vocativa* oratio. Secundo ad respondendum voce, et ad hoc pertinet *interrogativa.* Tertio ad exsequendum in opere, et ad hoc pertinet, quantum ad inferiores, oratio *imperativa,* quantum autem ad superiores, oratio *deprecativa,* ad quam reducitur oratio *optativa,* quia respectu superioris homo non habet vim motivam nisi per expressionem sui desiderii. Quia igitur istae quattuor orationis species non significant ipsum conceptum intellectus, in quo est verum et falsum, sed quendam ordinem ad hoc consequentem, inde est, quod in nulla earum invenitur verum et falsum, sed solum in *enuntiativa,* quae significat id, quod de rebus concipitur. Et inde est, quod omnes modi orationum, in quibus invenitur verum vel falsum, sub enuntiatione continentur, quam quidam dicunt *indicativam* vel *suppositivam. Dubitativa* autem ad interrogativam reducitur, sicut et optativa ad deprecativam.“ [1]

Ad has quattuor orationis non-enuntiativae species: vocativam, interrogativam, imperativam, deprecativam, revocari possunt reliquae omnes, ut sunt prohibitiva, exhortatoria, consolatoria, admirativa, permissiva, aliae.

In qualibet orationis perfectae specie verbum suppositive animi actum significat, qui utcumque circa identitatem obiectivam duarum conceptionum versatur. Cum v. g. deprecando dicis: *miserere mei, Deus,* Deum non affirmas esse miserentem, sed ut misereatur exoptas et precaris; et oratio tua motum animi indicat, deprecando tendentis in identitatem obiectivam conceptuum *Deus* et *miserere.* At ex sese hae orationes potius actum voluntatis significant, qui intellectui adiungitur; unde ad vitam practicam, ut ea affectionibus regitur, et ad poesim et ad rhetoricam, non autem ad logicam pertinent.

[1] *S. Thom.* in l. 1 periherm. lect. 7.

160. Oratio enuntiativa est signum iudicii. Cum logica de operationibus mentis earumque signis non agat, nisi quatenus veritatem vel falsitatem significent, sola ea oratio ad logicam spectat, quae signum est veritatis; id autem solius orationis enuntiativae proprium est. Si enim quis dicet: *noli me tangere;* vel: *quis es tu?* tu respondere non poteris: *verum dicis;* vel: *falsum est, quod dicis.*

Sola igitur oratio enuntiativa sive enuntiatio verum vel falsum dicit[1] vel significat aliquid esse aut non esse, sive in praeterito, sive in praesenti, sive in futuro, sive omni temporis differentia praetermissa[2]. Quam ob rem omnes illae orationes enuntiativae sunt, quarum verbum est indicativi modi, cuiuscumque est temporis; in his enim omnibus verum vel falsum indicatur. Quod cum de enuntiatione omni dicendum sit, sive pure indicativa sit (per narrationem vel descriptionem) sive subsumptiva (subsumendo subiectum sub praedicato universali vel conceptu mea operatione abstracto), praecipue tamen in enuntiationibus subsumptivis locum habet; in his enim veritas, i. e. convenientia inter rem subiectam et meam de re cognitionem, magis exprimitur.

161. *Elementa* enuntiationis seu propositionis sunt subiectum, praedicatum et copula.

Subiectum propositionis est terminus, qui significat id, de quo aliquid enuntiatur; *praedicatum* est terminus, qui id significat, quod de aliquo enuntiatur; *copula* est verbum *esse* affirmans aut negans. Subiectum et praedicatum eandem rem in propositione significant; et subiectum quidem secundum materiale significatum, i. e. supponit pro re ipsa in se considerata, cui forma in praedicato expressa inest, praedicatum autem secundum formale significatum, i. e. supponit pro forma, quae habetur de subiecto cognita, ut subiecto conveniens.

Nota 1. Tria haec elementa in omni propositione insunt, non tamen necessario distinctis terminis expressa. Potest enim tota propositio duabus vel etiam unica voce concludi, v. g. Caesar dormit; audio. Semper autem resolvi potest propositio ita, ut tria elementa distincte et explicite enuntientur: Caesar est dormiens; ego sum audiens. Igitur omnis propositio reduci potest ad hanc formam: S est P, vel S non est P.

Iudicia *impersonalia*, v. g. *pluit*, minus recte ab aliquibus dicuntur subiecto carere. Ad essentiam iudicii requiritur, ut aliquid (praedicatum)

---

[1] *Λόγος... ἀποφαντικός, ... ἐν ᾧ τὸ ἀληθεύειν ἢ ψεύδεσθαι ὑπάρχει. Arist.*, De interpret. c. 4 (17 a 3).

[2] *Ἔστιν δὲ ἡ ἁπλῆ ἀπόφανσις φωνὴ σημαντικὴ περὶ τοῦ ὑπάρχειν τι ἢ μὴ ὑπάρχειν.* Ibid. c. 5 (17 a 23).

dicatur de aliquo (subiecto). Praedicatum et subiectum sunt correlativa, quae se invicem postulant[1]. Non unam esse iudiciorum impersonalium analysim neque idem semper ab omnibus assignari subiectum, mirum non est. Pleraeque enim tales enuntiationes aliquem complexum exhibent sive rerum sive effectuum. Ita v. g. *pluit* resolvi potest: *aqua guttis ex aëre in terram cadit;* vel etiam ita, ut totus iste complexus sumatur ut subiectum et affirmetur eius exsistentia: *pluvia est (actu hic et nunc)*[2]. Similiter *tonat* sumi potest ut dicatur: *tonitrus est exsistens.* Si quis vero strepitum initio non clare perceptum post attentionem diligentiorem cognoverit ut tonitrum, dicendo *tonat* dicit, *strepitus* iste quem audio *est tonitrus.* Tandem saepe subiectum est aliquod indeterminatum[3]. Ita si quis odorem percipit, cuius causam nescit, dicet: *olet*, i. e. aliqua ex rebus propinquis odorem spargit. Numquam autem deest subiectum.

Nota 2. Potest etiam propositio (et quidem simplex) constare multo pluribus vocabulis; eo nimirum, quod sive subiectum sive praedicatum sive utrumque sit terminus complexus; v. g. homines omnes timent mortem: homines omnes sunt timentes mortem.

Nota 3. Speciatim *copula* tunc semper fere implicite continetur in verbo, quotienscumque praedicatum continet aliquam ex iis notionibus vel relationibus, quae *verbo* exprimuntur, scil. actionem, passionem, relationem temporis. Ut talis propositio ad formam simplicissimam recte reducatur, bene notetur definitio copulae: verbum *affirmans aut negans.*

162. *Copula igitur qua copula nihil* significat nisi affirmationem aut negationem identitatis idearum. *Verbum* autem *hoc* et *nihil aliud significans* est verbum quod vocant *substantivum*, et est *modus indicativus temporis praesentis verbi esse substantialiter sumpti.*

Ad singula nota: a) verbum *esse* potest sumi substantialiter (nominaliter) et verbaliter. *Verbaliter* sumptum significat idem atque exsistere, uti v. g. si dico: Deus est; quod resolvitur in: Deus est exsistens. *Substantialiter* sumptum nihil significat nisi aliquam assertionem;

b) *indicativus modus,* secus non est oratio *enuntiativa;*

[1] Ita recte dicit *Thüssing:* „Es gibt in der Sprache keine Sätze, bei denen das Subjekt nicht nur nicht ausgedrückt, sondern nicht einmal gedacht ist; denn Subjekt und Prädikat sind korrelative Begriffe, die sich einschließen" (XI. Jahresbericht der Stella Matutina, Feldkirch 1902, 27).

[2] „Das ‚es' [in ‚es regnet'] ist hier nicht wirkliches Subjekt, sondern nur formeller Vertreter des fehlenden Subjekts, welches in Wahrheit vielmehr in dem Verbum oder Adjektiv (oder Substantiv) selbst liegt. ‚Es regnet' ist soviel wie ‚das Regnen ist'; ‚es ist kalt' soviel wie ‚das Kalt (die Kälte) ist'." *Heyse,* Deutsche Schulgrammatik[20] 249.

[3] Dicit *Wundt:* „Dieser Name [subjektlos] ist logisch insofern unrichtig, als in jenen Urteilen das Subjekt nicht fehlt, sondern nur unbestimmt gelassen ist" (Logik I[3] 166).

c) *temporis praesentis;* reliqua enim tempora verbi *esse* praeterea exprimunt relationem temporis, et quidem prioritatis alicuius. Quotienscumque igitur verbum propositionis consistit in aliquo alio tempore verbi *esse,* illa relatio temporis ad praedicatum pertinet, atque ut propositio ad simplicissimam formam distincte enuntiantem elementa reducatur, ab ipsa copula seiungenda est; v. g. propositio: iusti erunt felices, resolvenda est in hanc: iusti sunt felices futuri; et: senes fuerunt pueri, in hanc: senes sunt aliqui, qui erant pueri.

Ex ipsa explicatione data elucet, quantum a vero aberrent, qui, ut v. g. *Wundt*[1], copulam ad essentiam propositionis requiri negant. Parvulos loqui incipientes non uti copula *expressa,* sed emphasi vel alio signo affirmationem vel negationem subiecti et praedicati compositioni addere, nil ulterius probat, quam copulam posse esse implicitam. Idem valet de idiomatis copula expressa et distincta carentibus (cf. *Frick,* Logica ed. 4, n. 72).

Scholion 1. Etsi in propositione verbum *est* ex intentione et quasi formaliter significat praedicati in subiecto inhaerentiam obiectivam, tamen is qui propositionem enuntiat, ad hunc enuntiandi finem pervenire non potest, nisi quatenus proxime et quasi materialiter compositionem a se factam significat. Significat igitur copula immediate (sive directe) quidem actum mentis iudicantis, sed nonnisi conotando; mediate autem (sive indirecte) actualitatem aliquam subiecti, verum id ex intentione.

Scholion 2. Sunt qui inter partes enuntiationis praeter subiectum et praedicatum etiam *obiectum* velint enumerari. Sed obiectum in multis enuntiationibus nullum est, et si quando est et exprimitur, praedicati ad obiectum relatio pro consideratione *logica* est secundaria, quamvis fortasse pro consideratione grammatica non minore digna sit attentione quam praedicati ad subiectum relatio[2].

163. Dispositio propositionis naturalis sive directa ea est, ut primo loco subiectum ponatur, quod est tamquam materia praedicato subiciendum, et deinde praedicatum, quod est forma eaque universalior, quae subiecto inesse dicitur. Subiectum etsi ratione comprehensarum in se notarum praedicato maius est, est tamen minus ratione rerum, ad quas sese extendit; et ideo subiectum

---

[1] Logik I[3] 153.

[2] Qua de re recte *Trendelenburg:* „Die Logik versteht unter Prädikat, was von dem Subjekt ausgesagt wird, unangesehen, ob das Ausgesagte ein einfacher oder ein durch ein Objekt bestimmter Begriff ist, und begreift das grammatische Objekt mit zum Prädikat. Die Grammatik hat die Bestimmungen, die als grammatisches Objekt zum Tätigkeitsbegriff, sei es ergänzend als Kasus, oder nur ausführend, adverbial, hinzutreten, näher zu erwägen" (Logische Untersuchungen II[3] 277).

solet vocari propositionis *extremum minus.* E contrario praedicatum est subiecto universalius seu extensione *maius,* et ideo praedicatum dicitur propositionis *extremum maius.* Itaque prae substantivo adiectivum, et inter substantiva illud, quod magis universale est, naturaliter locum praedicati tenet. Si autem relicto hoc ordine terminus universalior vel accidens pro subiecto ponitur, dispositio propositionis dicitur *innaturalis* vel *contra ordinem,* vel indirecta, velut cum dico: *aliquis homo est Socrates;* vel: *aliqua virtus est pietas;* vel: *risibile est homo.*

SECTIO II.

De iudicii et propositionum partitionibus.

164. In dialectica, cuius obiectum est rectitudo operationum mentis, eas tantum divisiones iudicii et propositionum respicimus, quae ex elementorum iudicii diversitate eorumque elementorum diversa ad iudicium compositione enascuntur.

Generalissima est divisio in propositionem simplicem et compositam.

Propositio *simplex* ea est, qua unum subiectum et unum praedicatum vel affirmatione coniunguntur vel negatione separantur, seu unius praedicati de uno subiecto affirmatio vel negatio.

Propositio *composita* ratione materiae est ea, quae aut plura subiecta aut plura praedicata continet; composita ratione formae ea est, quae habet copulam modificatam.

Non est confundenda haec divisio cum divisione in propositionem *complexam* et *incomplexam.* Complexa dicitur ea propositio, cuius vel subiectum vel praedicatum vel terminus uterque est complexus. Propositio complexa potest esse simplex, scil. quae nulla ratione dissolvi possit in plures propositiones (cf. infra n. 183 sq).

In sequentibus articulis primo agemus de divisionibus, quae propositionibus simplicibus et compositis sunt communes, deinde de divisionibus propositionum compositarum, tandem de complexis (apparenter tantum compositis).

ARTICULUS I.

De partitionibus propositionum communibus (propositionum simplicium et compositarum).

§ 1. De partitione propositionum secundum formam seu qualitatem, i. e. de affirmativis et negativis.

165. *Forma iudicii* est assertio; eius formae *signum* et ideo *forma propositionis* est *copula;* et secundum hanc formam propo-

sitio dividitur in *affirmativam* et *negativam*. Propositio est affirmativa, cum copula consistit in verbo *est* vel explicito vel implicito; negativa, cum copula consistit ex complexu *non est*. Particula *non* debet verbo *est* praeposita esse, i. e. ipsam afficere. Nam si negatio ita ad praedicatum fertur, ut hoc negativum evadat, iudicium manet affirmativum. Ita iudicia: *homo est non-mortalis*, vel: *non-homo est mortalis*, sunt affirmativa, sed propter negationem vaga sunt sive infinita. Si particula *non* subiectum afficit *(ὄνομα ἀόριστον)*, iudicium dicitur infiniti subiecti; si praedicatum *(ῥῆμα ἀόριστον)*, infiniti praedicati vocatur. Et particula *non* merito malignitatis accusatur eo, quod semper id destruit, cui praeponitur.

Haec quam indicavimus divisio ipsam formam sive essentiam iudicii afficit, ita ut affirmatio et negatio sit iudicii *qualitas essentialis*. Qua de re *S. Thomas:* „Divisio in affirmationem et negationem est divisio generis in species, quia sumitur secundum differentiam praedicati, ad quod fertur negatio; praedicatum autem est pars formalis enuntiationis; et ideo huiusmodi divisio dicitur pertinere ad qualitatem enuntiationis, qualitatem inquam essentialem, secundum quod differentia significat quale quid." [1]

166. De prima hac iudicii divisione apud philosophos aliquos recentiores occurrunt opiniones minus rectae.

1. Aliqui divisionem iudicii in affirmativum et negativum reiciunt, quia omne iudicium negativum in affirmativum converti possit [2]. Sed non potest converti *simpliciter*. Quod ipsum exemplum a *Wundt* allatum ostendit. A non est B (anima humana non est mortalis) non simpliciter idem est atque A est non-B (anima humana est non-mortalis). Prior propositio simpliciter converti potest in hanc: Mortale non est anima humana; altera non potest ita converti simpliciter in hanc: Non-mortale est anima humana (de conversione propositionum cf. n. 204 sq).

Falsum etiam omnino est, quod Wundt asserit negationem non copulam sed praedicatum afficere (quod cum eius errore de copula cohaeret; cf. n. 162).

2. Alii putant iudicium negativum non esse eodem sensu iudicium simplex et primitivum (elementare), quo id valet de affirmativo, sed negationem esse iudicium de iudicio. Ita fere *Sigwart, Wundt.*

Omnino tenendum est divisionem iudicii in affirmativum et negativum esse divisionem perfectam in partes primo et aequa-

[1] In l. 1 periherm. lect. 10, Concludit divisionem.
[2] Cf. *Wundt,* Logik I[3] 163 201 207.

liter oppositas. Neque iudicium negativum ut tale compositum est, neque inest in ipso elementum logicum ultra ea elementa logica, quae insunt in iudicio affirmativo.

Mens comparans subiectum et praedicatum aut videt ea esse identica, aut videt ea esse diversa, aut neutrum clare videt. In hoc tertio casu mens manet suspensa seu dubia; in primo et secundo casu *iudicat* aut affirmando identitatem aut diversitatem (quod est negare). Si dicunt iudicium: A non est B, esse idem ac: falsum est A esse B, id non maiorem compositionem infert. quam A est B, quod scil. idem est ac: Verum est A esse B.

In utroque porro iudicio eodem modo praeter assertionem expressam de obiecto simul in actu exercito (implicite) dicitur: et id cognosco; in neutro tamen requiritur duplex iudicium explicitum (in actu signato)[1].

167. *Qualitas* propositionis determinat *praedicati quantitatem*, scil.:

1. In propositione *affirmativa praedicatum* subiecto tribuitur secundum omnes et singulas notas *comprehensionis* suae. Ita cum quis *hominem animal esse* dicit, *homini* notas omnes tribuit, quae in conceptu animalis comprehenduntur.

2. In propositione *affirmativa* praedicatum *non* sumitur secundum *totam suam extensionem*, sed suppositionem disiunctivam vel disiunctam habet, et ideo est terminus particularis. Ita cum *columbam avem esse* dicimus, ad propositionis veritatem satis est. ut columba sit ex avibus aliqua. Sed ab hac regula excipienda sunt praedicata, quae definitionem continent, vel termini singulares sunt vel singularibus aequivalent; ut sunt ea quae collective supponuntur.

3. In propositione *negativa praedicatum* removetur a subiecto secundum totam praedicati comprehensionem collective sumptam, non autem secundum singulas eius notas. Ita cum dicis: *canis non est planta*, certe non vis dicere, *canem* nihil prorsus eorum habere, quae habeat *planta*, sed satis est, si non habeat omnia, quae *plantam* constituunt.

4. In propositione *negativa praedicatum* sumitur semper secundum *totam suam extensionem;* atque ita est terminus univer-

[1] *Geyser* in opere suo: Grundlagen der Logik und Erkenntnislehre (1909) 149—151 censuerat, iudicium positivum et negativum et affirmans et negans, non idem dicere: quia affirmare (Ja) et negare (Nein) praerequirant quaestionem: Estne hoc iudicium verum? Sed sufficit quaestio: Estne A revera B? et de facto nullo modo differunt istae divisiones. — In dissertatione recentiore (citata supra ad n. 155) p. 117 sq et p. 125 omnino nobiscum consentit et totam rem optime exponit.

salis vel universali aequivalens. Si igitur dicis: *homo non est lapis,* reapse mente cogitas, hominem nec hunc nec illum nec alium quempiam esse lapidem. Et si dicis: *hic homo non est Plato,* praedicati loco terminum singularem quidem habes, qui tamen ideo universali termino aequiparandus est, quia secundum totam quam habere potest extensionem sumitur.

Et haec quidem, quae explicavimus, a logicis ita breviter sunt dicta:

S est P, i. e.: S (subiectum) idem est atque aliquod P (praedicatum);
S continetur sub P;
S continet notas, quas habet P.

S non est P: S non est unum ex inferioribus P;
S non continetur sub P;
S a se excludit ea, quae collecta habet P.

De hac praedicati quantificatione plura infra, cum agetur de propositionum aequipollentia et conversione (n. 199 sq 204 sq).

§ 2. De partitione propositionum secundum quantitatem seu extensionem subiecti.

168. Iudicii quantitas ab extensione pendet, quam subiectum habet. Unde secundum quantitatem iudicia dividuntur in *universalia, particularia, indefinita, singularia*[1]. Sciendum est enim, eorum quae intellectus apprehendit, alia esse universalia, quae secundum totam sui rationem in pluribus inveniri possint, alia autem singularia, quae nisi in uno inveniri non possint. Universale autem dupliciter considerari potest; uno modo quasi separatum a singularibus secundum esse, quod ut unum quid obiective in intellectu habet; alio modo secundum esse, quod habet in singularibus.

Universale primo modo consideratum iterum duplici ratione subiectum enuntiationis esse potest; a) una ratione, cum aliquid, quod ad solam actionem intellectus pertinet, ei attribuitur, velut cum dicimus: *homo est praedicabilis de multis;* vel: *homo est universale;* vel: *homo est species.* In hac enuntiatione subiectum supponitur absolute (cf. n. 124).

[1] *Aristoteles* distinxit iudicium universale, particulare, indefinitum. *Πρότασις μὲν οὖν ἐστὶ λόγος καταφατικὸς ἢ ἀποφατικός τινος κατά τινος. Οὗτος δὲ ἢ καθόλου ἢ ἐν μέρει ἢ ἀδιόριστος. Λέγω δὲ καθόλου μὲν τὸ παντὶ ἢ μηδενὶ ὑπάρχειν, ἐν μέρει δὲ τό τινι ἢ μή τινι ἢ μὴ παντὶ ὑπάρχειν, ἀδιόριστον δὲ τὸ ὑπάρχειν ἢ μὴ ὑπάρχειν ἄνευ τοῦ καθόλου ἢ κατὰ μέρος, οἷον τὸ τῶν ἐναντίων εἶναι τὴν αὐτὴν ἐπιστήμην ἢ τὸ τὴν ἡδονὴν μὴ εἶναι ἀγαθόν* (Anal. prior. 1, 1 [24 a 16]). — Posteriore tempore „singulare" est additum claritatis gratia. Iudicia singularia, vim logicam quod spectat, facile ad reliquas iudiciorum species reducuntur. Ita *Kant,* Logik § 21; *Herbart,* Einleitung § 62; cf. *Drobisch,* Logik § 43. — *Kant* distinxit iudicia singularia, particularia sive plurativa, universalia: cuius distinctionis effectum esse duxit categorias quantitatis a se positas, quas dixit esse unitatis, multitudinis, omnitatis.

et propositio aequivalet propositioni singulari. b) Alia ratione aliquid universali attribui potest, quod non ad actum intellectus, sed ad esse pertinet, quod natura intellecta in rebus habet, quae sunt extra mentem, ut cum dicimus: *homo est dignissima creaturarum; homo est animal; homo est risibilis.* In hac enuntiatione subiectum potest supponi suppositione absoluta aut relativa. Si absolute supponitur, per se exprimitur tantum illud praedicatum tali essentiae convenire. Si distributive supponitur, explicite asseritur illud praedicatum convenire singulis hominibus.

169. Propositio igitur *universalis* est propositio, cuius subiectum est terminus universalis supponens suppositione relativa (personali), et quidem distributiva. In tali propositione universali affirmativa, notio *omnis* ad subiectum apponi potest, in negativa autem *nullus*. Si subiecto aliquid alia ratione attribuitur, adhiberi potest signum particulare, ut *quidam* vel *aliquis*, quod designat universale sub quadam indeterminatione, unde et „individuum vagum" dicitur.

Iudicia pluralia, v. g. aliqui homines sunt docti, essentialiter manent particularia, sed aequivalent pluribus. Sicut iudicium: Petrus et Paulus sunt docti, aequivalet duobus iudiciis singularibus, ita iudicium: aliqui homines sunt docti, dicit: aliquis est doctus, et praeterea alius aliquis etiam. Errat autem *Drobisch*, cum asserit iudicium particulare aequivalere iudicio: solum aliquis vel solum aliqui[1]. Iudicium: aliqui homines sunt docti, de aliis neque affirmat quidquam neque negat, et verum manet, etiamsi omnes docti evaserint (cf. n. 84).

170. Itaque tria genera propositionum sunt, in quibus de universali aliquid praedicatur; una, in qua aliquid praedicatur *universaliter*, ut: *omnis homo est animal;* secunda, in qua de universali praedicatur aliquid *particulariter*, velut: *quidam homo est albus;* tertia, in qua de universali praedicatur aliquid *indeterminate*, i. e. sine ulla determinatione universali vel particulari, velut cum dico: *homo est animal.*

Primum iudicium *universale* dicitur, alterum *particulare*, tertium *indefinitum;* quibus si addatur *singulare*, in quo aliquid de singulari determinato praedicatur, ut: *Socrates currit*, erunt *quattuor modi* iudiciorum[2].

---

[1] Neue Darstellung der Logik[4] § 45. „Die besonders bejahenden oder verneinenden Urteile: einige S sind (sind nicht) P, bedeuten, daß *nur einigen* S das Prädikat P zukommt (nicht zukommt); nicht aber, daß es *bloß von einigen bekannt* ist, in welchem Falle möglicherweise auch alle P S sein (nicht sein) könnten."

[2] Cf. opusc. de totius logicae Aristotelis Summa, quod est inter opusc. *S. Thomae* 44 tract. 6, de interpret. c. 6. Cf. *S. Thom.* in l. 1 periherm. lect. 10.

Scholion 1. Cum universalitas esse possit triplex: *metaphysica,* quae ex rerum essentiis nascitur, *physica,* quae ponit leges, secundum quas naturam agere videmus, tertia *moralis,* quae in hominum consuetudine fundatur, sequitur etiam iudicia vel metaphysice vel physice vel moraliter universalia esse posse.

Scholion 2. Iudicia indefinita modo ad universalia, modo ad particularia, modo ad singularia revocari possunt. Ita haec enuntiatio: *virtus cum voluptate non habet commercium,* est universalis; sed haec: *Romani ad Cannas proelio victi sunt,* est particularis; at haec: *philosophus patriam rogatus mundanum se dicebat esse,* est singularis, quia *Socrates* rogatus id dixerat.

Scholion 3. Cum terminus singularis eo aequiparetur universali, quod secundum extensionem suam non restringitur, iudicium singulare universali aequivalet, quotiens vere singulare est, i. e. de re determinata et individua fertur.

Scholion 4. Iudicium indefinitum, si est de materia necessaria vel impossibili, revocatur ad metaphysice universale, velut cum dico: *homo est liber;* vel: *effectus indiget causa.* In materia autem contingenti ad moraliter universale revocari solet, ut cum quis dicit: *pueri sunt leves;* vel: *mulieres non sunt tenaces secreti* [1].

ARTICULUS II.

De propositionibus compositis ratione materiae.

§ 1. De propositionibus categoricis aperte compositis.

171. Propositio multiplici ratione composita dicitur. Aut enim intellegis compositam ex propositionibus coordinatis tamquam ex partibus; et hoc modo propositio, quae est multiplex, est composita. Aut intellegis compositam ex antecedente et consequente, et hoc modo propositio, quae est condicionalis, est composita. Aut intellegis compositam ex terminis, qui obiecto vel praedicato adiunguntur, et hoc modo propositio, quae est complexa, vocari potest composita.

Distinguitur propositio *categorica,* quae praedicatum subiecto absolute tribuit aut negat, et *hypothetica,* quae subiecto praedicatum solum tribuit sub aliqua condicione. Propositio simplex omnis est categorica; categorica autem potest esse vel simplex vel composita; hypothetica est composita, et quidem aperte composita.

Propositiones categoricae aperte compositae sunt: copulativa, adversativa, relativa, causalis.

1. **Propositio copulativa** est propositio multiplex, cuius partes coniunctione copulativa utcumque in quandam unitatem coniungun-

[1] Cf. *Drobisch,* Logik § 68.

tur, sive quae complura subiecta vel praedicata particulis coniunctivis in unitatem grammaticalem conectit.

In ea igitur aut complura praedicata de uno subiecto aut unum praedicatum de compluribus subiectis aut de compluribus complura enuntiantur. Cuius enuntiationis exempla sunt: *homo probus est simplex et prudens; Petrus et Paulus Romae mortui sunt; neque divitiae neque honores reddunt homines beatos.*

Copulativae propositionis veritatem ex omnium simplicium quas contineat veritate pendere, res manifesta est. Quam ob rem propositiones copulativae, quae partim verae sunt, partim falsae, absolute negari possunt, distingui tamen solent ita, ut pars vera concedatur, negetur falsa.

172. 2. **Propositio adversativa sive discretiva** ea est, in qua subiecta complura vel etiam praedicata particulis adversativis (ut sunt *tamen, sed*) inter se coniunguntur, velut cum dicitur: *Vos mundi estis, sed non omnes. Non formosus erat, sed facundus Ulysses. Christianus occidi potest, vinci non potest.* Ut eius generis propositio vera sit, requiritur, ut ambae partes verae sint et inter utramque sit aliqua vel latissima oppositio vel certe diversitas. Itaque propositioni adversativae contradicit, qui aut partem alterutram vel utramque esse veram negat, aut negat oppositionem illam, de qua diximus. Qui igitur contradicere velit huic propositioni: *casus pecuniam, sed non honorem rapere potest,* propositionem copulativam adhibebit dicetque: *casus et pecuniam et honorem rapere potest.*

173. 3. **Propositio relativa** est, quae partes suas particulis relativis, ut sunt *is — qui, tum — cum, tantum — quantum,* inter se conexas habet, ut cum quis dicit: *sicut vita, mors ita.* Huc reducuntur ex propositionibus grammaticaliter consecutivis eae, quae descriptivae sunt; v. g.: *regio est tam amoena, ut magis amoenam vix inveneris.* Id quod in propositione relativa affirmatur, est relatio identitatis vel differentiae, quae vel quantitatem afficit vel qualitatem vel aliam quamlibet habitudinem. Quare propositionis relativae veritas a veritate pendet enuntiatae relationis; quam qui negat, ipsi propositioni contradicit.

174. 4. **Propositio causalis et illativa.** *Propositio causalis,* cum duas propositiones particulis causalibus *nam, quod, quia, quoniam* inter se conexas contineat, affirmat duo, et ex his alterum alterius causam aut saltem rationem obiectivam esse enuntiat, velut cum dico: *Deus patiens est, quia aeternus.* Unde, ut vera sit, necesse est, utramque partem veram esse et alteram partis alterius causam

vel rationem realem esse. Sed haec secunda condicio per se priorem supponit.

Propositio illativa sive rationalis est, cum dicis: *homo peccavit, ergo poena dignus est;* vel: *canis est animal, ergo est ens.* Haec a causali differt, quia in propositione illativa antecedens non semper est realis causa consequentis. A condicionali differt, quia, ut vera sit, praeter veritatem consecutionis requiritur, ut utraque pars vera sit, cum utraque pars affirmetur, id quod etiam in propositione causali contingere diximus. Itaque propositiones illativae in condicionales semper converti possunt, in causales non semper. Illativae propositioni contradicit, qui vel antecedens negat vel consequentiam.

§ 2. De propositionibus hypotheticis.

175. Propositio hypothetica non absolute vel simpliciter aliquid enuntiat de aliquo subiecto, sed unius affirmationis vel negationis ab altera affirmatione vel negatione dependentiam asserit.

Tres sunt eius species: condicionalis, disiunctiva, coniunctiva.

1. **Propositio condicionalis**, quae est hypothetica sensu stricto, constat duabus enuntiationibus, quarum prior praefixa particula *si* ponitur ut *condicio* sive *antecedens,* ex qua altera, quae *condicionatum* sive *consequens* vocatur, cum aliqua necessitate pendet. Ea tantum condicio in disciplina logica attenditur, qua posita altera ponatur necesse est. Et haec quidem propositio vera est aut falsa non ex veritate aut falsitate alterutrius membri separatim accepti, sed ex nexu aut defectu nexus inter consequens et antecedens. Si quis dicit: *si Plato homo est, vixit in Graecia,* propositio falsa est, licet utrumque membrum verum sit. Et si dicit: *si non est Deus, neque mundus exsistere potuit,* propositio vera est, licet utrumque membrum falsum sit.

Immo cuilibet condicionali verae, cuius utrumque membrum vel verum vel falsum est, per terminorum conversionem alia vera respondet, cuius utrumque membrum e contrario vel falsum vel verum est; velut huic: *si A est Q, S est P,* respondet: *si S non est P, A non est Q.* Quae duae condicionales semper simul sunt verae, quamvis ipsarum membra simul verae esse non possint. Ita vera est haec: *si mundus exsistit, Deus est;* consequenter vera est haec: *si Deus non exsistit, mundus non exsistit.* Sed prioris propositionis utrumque membrum verum, et ideo posterioris utrumque membrum falsum esse debet, quia membra membris contradictorie opponuntur.

Id igitur, quod in propositione condicionali ponitur, nexus est et consecutio condicionati ex condicione. Quapropter propositioni condicionali contradicit is, qui conexionem inter duas partes

negat esse veram. Ita propositioni modo de Platone positae contradicit, qui affirmat: Inde, quod Plato homo fuit, eum in Graecia vixisse non sequitur.

Vim affirmativam vel negativam propositionis condicionalis quod spectat, manifestum est, et alterutram et utramque partem esse posse affirmativam aut negativam. Verum quaecumque est haec partium qualitas, tota propositio erit *affirmativa*, si ipse nexus inter condicionem et condicionatum affirmatur; velut cum tibi dico: *si non moveris, non ambulas.* Erit autem ipsa propositio negativa, si ille nexus negatur, velut cum ille dixit: *non si miserum fortuna Sinonem finxit, vanum etiam mendacemque improba finget.* Quae negatio etiam particula *etsi* et *non tamen* vel similibus dicendi formulis significari solet sibi correspondentibus: *etsi sum miser, non tamen sum mendax.*

Cum igitur tanta sit in propositione condicionali inter condicionem et condicionatum dependentia, ut pars antecedens esse non possit omissa veritate consequentis, efficitur, ut duplici ratione ex propositione condicionali argumentari possimus. Ex affirmatione enim antecedentis sive condicionis ad affirmationem consequentis sive condicionati legitimam esse consequentiam, antea dictum est; et eodem iure ex negatione consequentis sive condicionati ad negationem condicionis sive antecedentis.

Scholion. Quamquam numquam licet ponere hypothesim absurdam, convenit tamen saepe ponere hypothesim absurdi, ut opponens deducatur ad absurdum. Si quis probare velit, A esse B, is indirecte argumentabitur: Si A non esset B, sequeretur, C esse D. Atqui id impossibile est. Ergo A est B.

176. 2. **Propositio disiunctiva** ad hypotheticam eo accedit, quod nullum eius membrum per se solum affirmat quidquam, sed vis tota in eo posita est, ut unum saltem extremorum subiecto conveniat, velut in propositione: *aut prodesse volunt aut delectare poetae.*

Potest propositio esse proprie disiunctiva atque etiam improprie. Propositio improprie disiunctiva est, cum (adhibita particula *vel*) indicatur, si minus omnes propositionis partes, vel saltem unam ex iis veram esse. Hac interdum ratione significatur quaedam correctio vel pars potior. Propositio proprie disiunctiva est, cum (adhibita particula *aut*) significatur exclusio indicaturque, ex compluribus enumeratis unum accipi exclusis aliis.

Ut propositio proprie disiunctiva vera sit, requiritur, 1° ut disiunctio sit adaequata; itaque dicere non licet: *aut sedet aut ambulat;* 2° ut duo vel complura membra simul vera esse non

possint; itaque dicere non licet: *aut sedet, aut scribit, aut loquitur;* 3° (quae condicio cum prima cohaeret) ut quae indicantur membra, simul falsa esse non possint; itaque dicere non licet: *spiritus aut est substantia solida, aut liquida, aut aërea.*

Unde propositioni disiunctivae contradicit, qui negat disiunctionem.

Scholion 1. Ad propositionem disiunctivam revocatur *divisiva;* quae eo differt a disiunctiva, quod in hac unum membrum disiunctionis de toto subiecto vim habet, cetera enuntiationem falsam efficiunt; in divisiva vero singula membra verum enuntiant, sed de diversis subiecti partibus. Disiunctiva est haec: *Petrus aut maior est Paulo, aut minor, aut aequalis;* divisiva est haec: *triangula aut aequilatera sunt, aut aequicrura, aut inaequalium laterum.* Ad propositiones divisivas etiam eae pertinent, quae hoc vel simili modo enuntiantur: *S est modo P, modo Q;* in qua divisio fit secundum tempus, quo res durat. Cum igitur multae subiecti divisiones excogitari possint, a logicis potissimum divisio subiecti generici in species et quasi species attendi solet.

Scholion 2. Propositionis divisivae tres species distingui possunt. Prima est propositio proprie divisiva (in qua adhiberi solet *partim*), qua exhibentur illa interiora, secundum quae conceptus superior distinguitur, velut: *viventia sunt partim homines, partim bestiae, partim plantae.* Altera est propositio improprie divisiva, cum divisio est quidem adaequata, sed non exclusiva. Tertia est propositio divisive coniunctiva, in quo genere est haec: *homines illi aut viri sunt aut mulieres;* qua idem significatur, ac si dicerem: Illi homines aut omnes sunt viri, aut omnes mulieres, aut partim viri, partim mulieres.

Scholion 3. Ut propositio proprie divisiva vera sit, requiritur: 1° ut divisio sit adaequata, i. e. nihil inveniatur in genere diviso, quin ad unum ex recensitis membris pertineat; 2° ut divisio sit exclusiva, i. e. ut nihil inveniatur in genere subiecti, quod pertineat ad complura vel omnia membra recensita.

177. 3. **Propositio coniunctiva** est, qua duas partes simul veras esse posse negatur. A propositione disiunctiva eo differt, quod hac positive affirmatur unum ex enumeratis praedicatis subiecto inesse; coniunctiva id tantum statuitur, praedicata illa esse incompossibilia. Ea facile ad condicionalem reducitur. Si enim dicis: *S non est simul P et Q,* idem est ac si diceres: *Si S est P, non est Q;* et: *Si S est Q, non est P.* Ad veritatem coniunctivae requiritur, ut praedicata vere sint incompossibilia. Varia autem est formula, qua propositio coniunctiva proferri potest:

Esse non potest, ut corpus simul et moveatur et quiescat;
Corpus non movetur simul et quiescit;
Corpus simul moveri et quiescere non potest.

Scholion 1. Praeter has propositiones coniunctivas, quae sensu strictiore tales vocantur, sunt aliae propositiones, quae vocantur coniunctivae vi vocis latius accepta, in quibus invenitur quaecumque coniunctio in sensu composito, velut cum quis dicit: *corpus potest esse simul dulce et album.* Haec differt a propositione copulativa, in qua coniunctio *et* vel *nec* accipitur in sensu diviso, cum in propositione coniunctiva accipiatur in sensu composito.

Praeterea distingui potest sensus *divisivus,* velut cum quis dicit: *bruta volare et natare possunt,* i. e. alia bruta volare, alia natare possunt.

Scholion 2. Cum propositio coniunctiva omnes notas colligit, quae satis sunt, ut subiectum ab omnibus aliis distinguatur, propositio vocatur *definitiva* vel *descriptiva,* velut: *brutum est animal irrationale; homo est vivens sensitivum, rationale, risibile, bipes, non alatum.* Patet eiusmodi propositiones converti posse hoc modo: *omne animal irrationale est brutum,* atque ita deinceps.

§ 3. De propositionibus occulte compositis.

178. **Propositio exponibilis et exponens.** Propositiones occulte compositae etiam *exponibiles* vocantur, quia expositione indigent, adhibita alia clariore propositione, quae *exponens* appellatur. Est igitur propositio specie externa simplex, revera tamen composita, et addita propositione exponente in aperte compositam converti potest. Eius species ab aliis aliae recensentur, quarum praecipuae sunt: exclusiva, exceptiva (atque etiam inceptiva et desitiva), comparativa, reduplicativa. Generatim propositio exponibilis vera erit, si et singulae eius exponentes verae sunt et nexus, qui inter eas affirmatur, revera locum habet.

179. 1. **Propositio exclusiva** est, quae particula exclusiva vel a subiecto praedicatum aliud eiusdem generis excludit, vel a praedicato aliud subiectum; velut cum dicis: *Socrates est tantum philosophus;* vel: *Tantum Socrates est philosophus.* Quae exempla eo inter se differunt, quod propositio prior est *exclusi praedicati* et resolvitur: Socrates est philosophus et aliam scientiam non habet; altera autem est *exclusi subiecti* et resolvitur: Socrates est philosophus et alius nemo est philosophus. Itaque propositio exclusiva exponitur duabus simplicibus, quarum una est affirmativa, altera negativa; priorem vocant „praeiacentem", alteram „subsequentem".

Scholion. Quae in propositione exclusiva inest *negatio,* aut potest afficere ipsam particulam excludentem aut copulam aut utramque. Afficit particulam excludentem, si dicis: *non solus homo est intellegens;* vel: *homo non est solummodo intellegens.* Afficit copulam, si dicis: *solus Deus non habet initium.* Afficit et copulam et particulam excludentem.

si dicis: *non solum bestia non est intellectus capax;* vel: *anni tempora non sunt non tantum quattuor.* Ad quam diversitatem in exponendis his propositionibus diligenter attendendum est.

180. 2. **Propositio exceptiva** est, in qua subiectum in sua extensione addita particula *praeter* vel simili restringitur, ut in hoc exemplo: *nemo bonus nisi Deus;* vel: *omnes discipuli praeter Petrum student.* Ut haec propositio recte exponatur, dici debet: *Petrus non studet, reliqui omnes student.* Falso enim diceres: *omnes discipuli student, et inter hos Petrus non studet.* Exceptiva propositio re congruit cum exclusiva et eo tantum differt, quod exclusiva exclusionem in recto respicit, exceptiva in obliquo.

Inceptiva et *desitiva* restrictionem addunt quoad durationem seu tempus; v. g. *coepit,* i. e. ante non fuit et nunc est *cessat;* i. e. hucusque erat, abhinc non est.

Observandum est autem propositione exceptiva aliquid nonnumquam ita affirmari, ut non affirmetur oppositum de re, quae excipiatur, sed haec solum in affirmatione omittatur. Quod discrimen a mente enuntiantis pendet et ex orationis circumstantia explicandum est.

181. 3. **Propositio comparativa** est, quae non solum asserit vel negat praedicatum subiecto convenire, sed etiam aeque aut minus aut magis convenire quam alteri subiecto; v. g. *mens est corpore praestantior.*

Tria continet iudicia: duo, in quibus praedicatum tribuitur vel negatur subiectis absolute, tertium, quo gradus differentia asseritur. *Inepta* est, si praedicatum non utrique convenit; v. g. *homo plus intellegit quam brutum. Falsa,* si comparatio seu differentia gradus in rebus non ea est, quae asseritur.

182. 4. **Propositio reduplicativa** est, quae particulis afficitur reduplicantibus, ut sunt *quatenus, ut, quantum, qua;* quibus particulis subiectum vel praedicatum duplicatur. Sed particula reduplicativa multiplicem vim in propositione habere potest. a) Interdum causam indicat, ob quam praedicatum subiecto conveniat; qui enim dicit: *homo, quatenus est rationalis, est docibilis,* dicere vult: Homo, quia est rationalis, est docibilis. Praeterea significare potest b) extremum reduplicatum exprimere rationem formalem, ob quam praedicatum subiecto conveniat, ut cum dico: *musicus, quatenus est musicus, artem musicam exercet;* c) extremum multiplicatum exprimere solum rationem remotam sive radicem, unde praedicatum subiecto conveniat, ut cum dico: *musicus, quatenus est musicus, delectat;* d) reduplicationem con-

tinere condicionem, quae requiratur, ut praedicatum subiecto convenire possit, ut cum dico: *ignis in propinquo, ut in propinquo est, calefacit;* e) extremum multiplicatum significare partem, ex qua subiectum praedicatum admittat, ut cum dico: *homo ut est corporeus, coloratus est.*

Reduplicativae in eo conveniunt cum exclusivis, quod subiecto praedicatum etiam tum convenire debet, si propositio accipitur absoluta sive *praeiacens* ut aiunt, i. e. omisso signo reduplicativo. Unde dicere licet: *musicus, qua musicus, cantat;* quia dicere licet: *musicus cantat.* Et non licet dicere: *Aethiops, quatenus dentatus est, est albus;* quia non licet dicere: Aethiops est albus. Tamen dicere licet: *Aethiops est albus secundum dentes.* Itaque propositio reduplicativa supponit, praedicatum secundum se subiecto convenire, et addit aliquam rationem, ob quam vel secundum quam praedicatum subiecto conveniat. Si quis igitur diceret: *homo, quatenus est alatus, est volatilis*, recte responderes negando suppositum.

Generatim terminus aliquis *reduplicative* sumitur, ut significetur vis, quae primo termino attribuitur, vel ratio, cur praedicatum subiecto conveniat. *Specificative* autem intellegitur, cum ad eius generis rationem non attenditur, sed simpliciter praedicatum subiecto reapse inesse enuntiatur. Si igitur dicis: *philosophus dormit*, id verum est, si specificative intellegitur; si autem dicis: *philosophus arcana naturae scrutatur*, id etiam verum est, si intellegitur reduplicative. Et si quis dicit: *Aethiops est niger, quantum homo est,* distinctione opus est: *reduplicative,* ita ut sit niger, quia sit homo, id negandum est; *specificative* autem, ita ut ille idem, qui sit homo, sit niger, id concedendum est.

§ 4. De propositionibus complexis.

183. **Quae sit propositionis complexae natura.** Generatim propositio complexa ea est, quae saltem unum terminum complexum habet, i. e. terminum ex compluribus terminis compositum (n. 117). Ex his componentibus terminis is, qui rem principalem indicat, *principalis* vocatur, qui principali adiacet, *incidens;* qui, si principali secundum totam extensionem convenit, *explicativus* est, si ex parte tantum, *restrictivus* vocatur. Propositio igitur complexa est, si dicis: *Deus omnipotens creavit mundum finitum;* vel: *mundus necessario a Deo pendet.* Complexio tum in propositionis materiam (sive in subiectum sive in praedicatum) cadere potest, tum in formam (sive copulam). Propositiones complexae secundum formam sunt *modales,* de quibus postea agendum erit.

Propositio secundum materiam complexa (seu *de extremo coniuncto*) est ea, cuius subiectum vel praedicatum est terminus

complexus. Ex natura huius propositionis sequitur, eam in duas saltem resolvi posse, quarum principalis iudicium praesens exprimit formaliter, reliquae incidentes iudicia praeterita continent virtualiter vel saltem supponunt.

Scholion 1. Observandum est propositiones omnes, quarum copula praeteriti temporis est vel futuri, aliquo modo complexas esse. Cum enim dicis: *Romulus urbem Romam condidit,* enuntiare vis: *Romulus est ille, qui urbem Romam condidit.*

Et clarius etiam complexio in iis propositionibus apparet, in quibus simul cum verbo activo exprimuntur variis casibus grammaticis res, ad quas verbum refertur, ut cum dicis: *homo probus aversatur omnem adulationem,* quae eadem est, ac si dicis: *homo probus aversatur aliquid, quod est adulatio omnis.*

Sunt quoque propositiones, in quibus unus idemque terminus multipliciter complexus reperitur.

Sunt aliae, in quibus plures termini sunt complexi. Si in propositione: *anima rationalis est forma humani corporis,* complexionem subiecti attendis, resolves: Anima aliqua est forma humani corporis, et haec anima rationalis est. Quod si complexionem praedicati consideras, resolves: Anima rationalis est forma alicuius corporis, et hoc corpus humanum est.

Scholion 2. Has propositiones complexas vocant *propositiones per subordinationem compositas;* quam subordinationem in eo consistere dicunt, quod una enuntiatio alteri vel tota vel ex parte inseritur, quod fit vel per infinitivum coniunctionemve vel per pronomen relativum. Et enuntiatio, quae inseritur, unamquamque enuntiationis cui inseritur partem afficere potest [1].

Si de iudicio complexo agitur, aliter de propositione incidente restrictiva sentiendum est, aliter de explicativa. *Restrictivam* habes, si dicis: *homines peccantes punientur; explicativam,* si dicis: *homines mortales sunt mutabiles.* Propositio incidens, quae principalem *restringit,* si per se et absolute consideratur, nulla ratione nunc iudicium continet; si res ita ferat, eius generis iudicium supponit. Et vis eius tota in eo est, ut subiectum vel praedicatum propositionis principalis coarctet et determinet. Contra, si incidens principalem explicat, iam etiam nunc absolute et

[1] „Das subordinierte Urteil ist ... entweder Subjektiv- oder Prädikativ- oder Attributiv- oder ergänzendes oder bestimmendes Objektiv-Urteil(-Satz). Die bestimmenden Objektiv- oder Adverbial-Urteile (und -Sätze) zerfallen wiederum in lokale, temporale, komparative, kausale, konditionale (oder hypothetische), konzessive, konsekutive und finale. Mehrere Urteile (Sätze), welche dem nämlichen Haupturteile (Hauptsatze) untergeordnet sind, können einander nebengeordnet oder untergeordnet sein, und so z. B. kopulativ-hypothetische, disjunktiv-hypothetische Urteile (Sätze) etc. gebildet werden" (*Ueberweg,* System der Logik [5] § 68). Haec omnia ex grammatica iam sunt nota.

per se considerata iudicium saltem virtualiter continet, quamvis formaliter nihil sit nisi elementum termini compositi.

184. **Propositionis complexae veritas et falsitas.** Si de propositionibus incidentibus agitur, manifestum est in propositionibus hisce, si explicativae sint, cum iudicium aliquo modo contineant, etiam falsitatem reperiri posse. Incidentes autem restrictivae falsae esse non possunt, possunt tamen iudicium falsum supponere. Id sane fieret, si quis diceret: *animae, quae igneae sunt, nobiliores sunt animabus aëreis.*

Si ipsa propositio principalis attenditur, manifestum est veritatem eius ab incidentis veritate pendere, si incidens propositio restrictiva est; non autem, si explicativa est. Nam adiuncta restrictiva praedicatum principalis subiecto non convenire enuntiatur, nisi terminus ita coarctatus et determinatus sit, ut in incidente effertur. Propositio autem explicativa principali enuntiationi nullam condicionem ponit.

ARTICULUS III.

De propositionibus modalibus (compositis ratione formae).

185. **I. Quae sit propositionis modalis natura.** Hanc propositionem in ipsa forma sive copula complexionem habere diximus. Eius enim indolis est, ut non tam enuntiet praedicatum subiecto inesse vel non inesse, quam potius, id ei hoc vel illo modo inesse. Si dicis: *Deus est sanctus,* propositionem absolutam enuntiasti. Si dicis: *Deus necessario est sanctus,* vel: *necessarium est, Deum esse sanctum,* propositio est modalis. Itaque propositio, ut sit modalis, *complexa* esse debet. Cum dicis: *omnis homo est mortalis,* propositio non est modalis, quamvis mortalitas necessario homini conveniat. Ratio est, quia haec necessitas in ista propositione non exprimitur neque intellegitur. Propositio igitur non ideo iam modalis est, quia est in materia contingenti vel necessaria; sed requiritur, ut modus contingentiae vel necessitatis verbis exprimatur, velut cum dicitur: *omnis homo necessario est mortalis.* Et complexio quidem debet inesse in ipsa copula, idque *secundum significationem obiectivam copulae.* Unde a conceptu propositionis modalis illas propositiones excludimus, quae statum mentis iudicantis subiectivum exprimunt, velut: *homo certe est mortuus; homo forsan est mortuus.* Quae propositiones non sunt modales, sed vocantur subiectivae, vel certae, probabiles.

186. **II. Quattuor sunt modi.** Propositio igitur modalis exprimit modum obiectivum convenientiae praedicati ad subiectum, i. e. exprimit *modum obiectivum ipsius esse vel non-esse,* quod copula

significatur. Iam vero modus omni „esse“ vel „non-esse“ communis duplex est: actus et potentia. Unde aliquod „esse“ ita est „esse“, ut sit potentia in subiecto ad „non-esse“. Et hoc esse vocatur *contingens;* velut si dico: *Socrates est aeger,* illud „aegrum esse“ coniunctum est cum potentia ad sanitatem. Propterea dico: *Socratem contingit aegrum esse.* Aliud „esse“ ita est „esse“, ut in subiecto non sit potentia ad „non-esse“. Hoc esse vocatur *necessarium.* Unde dico: *homo necessario est rationalis.* Consimiliter „non-esse“ duplex est. Aliud, quod vocatur *possibile,* coniunctum est cum potentia ad „esse“, velut cum dico: *Socrates potest aeger esse* (intellegatur: sanus est, sed aegrotare potest). Aliud „non-esse“, quod vocatur *impossibile,* cum illa potentia coniunctum non est, velut si dico: *brutum impossibile est loqui.* Quibus dictis intellegitur secundum rerum naturam modos esse quattuor: necessarii, impossibilis, possibilis, contingentis.

Propositiones modales duplici modo exprimi possunt. In una formula modus est *adverbium,* quod absolutae propositionis copulae adiacet, v. g. Deus necessario est iustus. In altera formula modus est *nomen,* quod tamquam praedicatum de tota absoluta propositione ut subiecto enuntiatur, v. g. Deum esse iustum, est necessarium.

Propositio ipsa absoluta vocatur *dictum* propositionis modalis.

187. *Necessarium* et *impossibile* propositionem modalem totam reddunt vere compositam, quae in duas propositiones solvi potest. Necessarium est S esse P dicit 1° S esse P et 2° hunc nexum esse necessarium. Impossibile est S esse P dicit 1° S non est P et 2° S ne potest quidem esse P.

Possibile non reddit propositionem vere compositam. Nam Possibile est S esse P nihil dicit nisi S et P posse identificari; neque affirmat S revera esse P neque id negat (est propositio et praedicatio imperfecta).

Contingens aliter ab aliis passim intellegitur. Sumitur 1° hoc sensu: est, sed ita est, ut non necessario sit, sed possit etiam non esse. Ita est propositio composita. Sumitur 2° sensu mere contradictorio ad necessarium, et ita nihil dicit nisi S potest non esse P; neque affirmat neque negat S revera esse P, neque dicit S non posse esse P.

188. III. *Partitiones.*

1. *Affirmativa* aut *negativa* est, prouti *modus* de *dicto* affirmatur aut negatur.

2. *Vera* aut *falsa* est, prouti modus dicto revera convenit vel non convenit.

3. Quoad *extensionem* propositiones modales per se sunt singulares; reducuntur enim ad hanc formulam: Haec identitas vel diversitas est necessaria, contingens etc. Attamen habent aliquam quantitatis diversitatem, scil. quoad tempus. Quod enim necessarium est vel impossibile, eius dictum semper verum est; quod vero contingens vel possibile, eius dictum potest modo verum, modo non verum esse. Quare priores binae dicuntur modales universales, binae posteriores modales particulares. Plura infra n. 197 198 267 sq.

SECTIO III.

De propositionum usu et affectionibus relativis.

189. **Proprietates propositionum relativae.** Proprietates propositionum absolutae eae sunt, quae propositioni in se et secundum sua elementa consideratae conveniunt. De quibus dictum est hactenus. Proprietates relativae sive respectivae sunt eae, quae propositionibus inter se collatis et comparatis conveniunt. Inter quas tres praecipuae propositionum rectum usum respiciunt. Potest propositio una aut cum se ipsa in aliam *conversa* comparari, aut cum alia, cui secundum vim significandi *aequivalet*, aut cum propositione alia *opposita*. Primo de propositionum oppositione, deinde de aequipollentia dicemus, ac tertio de propositionum conversione. Quibus quarto loco aliqua addemus, quae transitum ab una propositione in alteram spectant.

ARTICULUS I.

De propositionum oppositione [1].

§ 1. Oppositio propositionum quid sit et quotuplex [2].

190. Propositiones oppositae idem habent subiectum idemque praedicatum, sed aliqua ratione inter se opponuntur, et quidem aut sola qualitate aut sola quantitate differre possunt, aut quali-

[1] Quae hoc loco de oppositione propositionum constituuntur, etiam de rebus ipsis earumque terminis dicenda sunt; at non sine consideratione et delectu ad res, voces, conceptus transferri et applicari possunt. Cf. *Trendelenburg*, Logische Untersuchungen II[3] 173.

[2] De hac agit *Aristoteles* in libro de interpret. c. 7 sqq; *S. Thom.* in l. 1 periherm. lect. 10 sqq.

tate et quantitate. Atque ita propositionum oppositiones — vera quidem, sed latiore vi nominis retenta — inveniuntur quattuor[1]:

1. Propositiones universales, quae sola qualitate differunt et vocantur *contrariae*[2],

velut: *Omnis homo est iustus* — { *Omnis homo non est iustus.* / *Nullus homo est iustus.*

2. Propositiones particulares, quae sola qualitate differunt et appellari solent *subcontrariae*[3],

velut: *Aliquis homo est iustus — Aliquis homo non est iustus.*

3. Propositiones affirmativae vel negativae, quae sola quantitate distinguunter et communi appellatione *subalternae* vocantur; et propositio quidem universalis dicitur *subalternans*, particularis autem *subalternata*,

velut: *Omnis homo est iustus — Aliquis homo est iustus.*
Nullus homo est iustus — Aliquis homo non est iustus.

4. Propositiones, quae et qualitate et quantitate diversae sunt et vocantur *contradictoriae*[4],

velut: *Omnis homo est iustus — Aliquis homo non est iustus.*
Nullus homo est iustus — Aliquis homo est iustus.

Antiquo more propositio universalis affirmativa indicari solet littera **a**, propositio universalis negativa littera **e**, particularis affirmativa littera **i**, particularis negativa littera **o** (ex: affirmo, nego).

Asserit **A**, negat **E**, verum generaliter ambo,
Asserit **I**, negat **O**, sed particulariter ambo.

Variae propositionum oppositiones hac formula exhiberi possunt[5]:

---

[1] *Λέγω δ' ἀντικειμένας εἶναι προτάσεις κατὰ μὲν τὴν λέξιν τέτταρας, οἷον τὸ παντὶ τῷ οὐδενί, καὶ τὸ παντὶ τῷ οὐ παντί, καὶ τὸ τινὶ τῷ οὐδενί, καὶ τὸ τινὶ τῷ οὐ τινί, κατ' ἀλήθειαν δὲ τρεῖς· τὸ γὰρ τινὶ τῷ οὐ τινὶ κατὰ τὴν λέξιν ἀντίκειται μόνον. Τούτων δ' ἐναντίας μὲν τὰς καθόλου, τὸ παντὶ τῷ μηδενὶ ὑπάρχειν, οἷον τὸ πᾶσαν ἐπιστήμην εἶναι σπουδαίαν τῷ μηδεμίαν εἶναι σπουδαίαν, τὰς δ' ἄλλας ἀντικειμένας. Arist.*, Anal. prior. 2, 15 (63 b 23).

[2] *ἐναντίαι ἀποφάνσεις.* De interpret. c. 7 (17 b 4).

[3] *Κατὰ τὴν λέξιν ἀντικεῖσθαι μόνον* (*Arist.*, Anal. prior. 2, 15 [63 b 23]). Posteriore tempore has propositiones *προτάσεις ὑπεναντίας* vocarunt.

[4] *ὥστε δῆλον, ὅτι πάσῃ καταφάσει ἐστὶν ἀπόφασις ἀντικειμένη καὶ πάσῃ ἀποφάσει κατάφασις καὶ ἔστω ἀντίφασις τοῦτο· κατάφασις καὶ ἀπόφασις αἱ ἀντικείμεναι. Arist.*, De interpret. c. 6 (17 a 31).

[5] A perfectione huius figurae in schola usitatae nonnihil deficiunt sche-



191. Oppositionis gradus et leges.

1. Perfectissima et absoluta oppositio est inter propositiones *contradictorias*. Oppositio enim contradictoria est inter rem eiusque negationem. Propositiones contradictoriae non possunt esse simul verae, neque possunt esse simul falsae. Ideo ex veritate unius consequitur immediate falsitas alterius, et ex falsitate unius consequitur immediate veritas alterius. Propositio disiunctiva ex duabus contradictoriis formata necessario est completa et vera.

2. Secundus gradus oppositionis est inter propositiones *contrarias*. Contrariae numquam possunt esse simul verae, et ideo ex veritate unius consequitur falsitas contrariae. Possunt autem esse simul falsae (v. g. omnis homo est doctus, nullus homo est doctus). et ideo ex falsitate unius non sequitur veritas contrariae.

Ut accurate discernantur semper contradictoriae et contrariae. notandum est eam tantum propositionem esse vere contradictoriam, quae non plus affirmat vel negat, quam requiritur et sufficit. ut contradictoria falsa sit.

Contraria sensu perfecto quidem dicuntur esse, quae sub eodem genere maxime differunt. Hoc sensu perfectissimo contrariae sunt propositiones A et E: omnis — nullus. Sed quoad essentiam oppositionis ad contrarias pertinet quaelibet propositio, quae plus dicit quam meram negationem oppositae. E. g. aliquis homo non est doctus, contradictoria est propositioni: Omnis homo est doctus. Sed: aliqui, duo, tres homines non sunt docti, iam est solum contraria (possunt esse simul falsae).

mata posita ab *Aristotele*, Periherm. c. 10 (19 b 27—29 et 32—35). Quae a *Porphyrio, Boethio, S. Thoma* hoc modo explicantur:

I. 1. *Ἔστι δίκαιος ἄνθρωπος* 2. *οὐκ ἔστι δίκαιος ἄνθρωπος*
4. *οὐκ ἔστιν οὐ δίκαιος ἄνθρωπος* 3. *ἔστιν οὐ δίκαιος ἄνθρωπος*

II. 1. *Πᾶς ἐστιν ἄνθρωπος δίκαιος* 2. *οὐ πᾶς ἐστιν ἄνθρωπος δίκαιος*
4. *οὐ πᾶς ἐστιν ἄνθρωπος οὐ δίκαιος* 3. *πᾶς ἐστιν ἄνθρωπος οὐ δίκαιος.*

Contradictoria nihil medii patiuntur; admittunt autem medium contraria [1].

Generatim contradictoria obtinetur, cum propositioni toti praefigitur particula *non;* v. g. bis fui Parisiis; contradictoria: *non bis fui* Parisiis (non affirmas, utrum saltem semel fueris; quod si addas v. g. semel fui, habes contrariam).

192. 3. Propositiones *subcontrariae* non possunt simul falsae esse, possunt esse simul verae (saltem in materia contingente). Ex falsitate alterius sequitur veritas subcontrariae, sed ex veritate alterius non sequitur falsitas subcontrariae.

4. Non est stricte dicta oppositio inter *subalternas.* Subalternans in se includit subalternantem. Possunt simul verae esse, possunt simul falsae esse; potest etiam esse, ut una sit vera, altera falsa. Nimirum ex *veritate universalis* (A E) sequitur veritas subalternatae particularis (I O), non autem vice versa; nam ex veritate: aliquis homo est doctus, non sequitur: omnis homo est doctus. Contra ex *falsitate* particularis (I O) sequitur falsitas universalis (A E), sed non vice versa.

Scholion. Quae dicta sunt valent, quandocumque suppositio terminorum est eadem. Suppositio subiecti universalis generatim est personalis distributiva completa (de singulis specierum). Si alia est suppositio, id attendi debet. Sic: Omne animal fuit in arca Noe, supponit omne animal distributive incomplete, quare contradictoria non est: Aliquod animal non fuit, sed: Ex aliqua specie non fuit animal in arca.

Contradictoria propositionis singularis simplicis efficitur mutata tantum qualitate.

§ 2. De oppositione propositionum compositarum et complexarum.

193. *Regula generalis ea est, ut contradictoria solum negei,* quantum requiritur et sufficit ad falsitatem oppositae. Toti propositioni, cuius contradictoria statuenda est, praefigatur particula *non,* et dein propositio dividatur.

I. **Compositae categoricae.** 1. Propositioni *copulativae* (n. 171) contradictoria est *improprie disiunctiva* (n. 176). Ut enim falsa sit, satis est, ut non omnes propositiones componentes simul verae sint. Si igitur habes copulativam: *auctoritas ecclesiastica et civilis a Deo est constituta,* contradictoria est: *auctoritas aut ecclesiastica aut civilis a Deo non est consti-*

[1] *Arist.,* Met. 11, 4 (1055 b 2).

tuta. Contraria esset: *auctoritas neque ecclesiastica neque civilis a Deo constituta est.*

2. *Adversativae* (n. 172) et *causali* (n. 174) eadem contradicit propositio *improprie disiunctiva.* Sit adversativa: *omnis homo est liber, sed non a Deo independens;* sive: *omnis homo est liber neque tamen a Deo independens.* Contradictoria est: *Aliquis homo vel non liber vel a Deo independens est.* Sit causalis: *Homo iustus felix est, quia est amicus Dei.* Huic contradictoria est: *Homo iustus vel non felix est, vel non amicus Dei, vel certe non ideo felix, quia amicus Dei.*

3. *Relativae* (n. 173) et *comparativae* (n. 181) propositioni qua ratione contradici possit, exemplo satis illustratur. Sit relativa: *Tenebrae crescunt tantum, quantum lux decrescit.* Contradictoria est: *Tenebrae non crescunt tantum, quantum lux decrescit.* Contraria esset: *Tenebrae decrescunt tantum, quantum lux decrescit.*

Sit comparativa: *Theologia est scientia nobilior philosophia.* Contradictoria est: *Theologia non est scientia philosophia nobilior,* i. e. *theologia est scientia aeque vel minus nobilis quam philosophia.* Contraria esset: *Theologia est scientia minus nobilis philosophia,* i. e. *philosophia est scientia nobilior theologia.*

194. II. **Hypotheticae.** 1. *Condicionali* (n. 175) propositioni contradictoria est altera *condicionalis,* qua nexus inter condicionem et condicionatum negatur neque tamen ultra aliud quid statuitur. Sit condicionalis: *Si in figura plana summa angulorum aequalis est duobus rectis, haec figura est triangularis.* Contradictoria est: *Si summa angulorum aequat duos rectos, figura interdum non est triangularis,* i. e. *figura non necessario est triangularis.* Contraria esset: *Si summa aequat duos rectos, figura numquam est triangularis,* i. e. *figura necessario non triangularis est.* In contradictoria igitur nexus dumtaxat inter antecedens et consequens negatur, in contraria statuitur nexus contrarius.

2. *Disiunctivae* (n. 176) propositiones resolvantur in duas condicionales, et facile invenies contradictoriam et contrariam. Sit proprie disiunctiva: *A est aut B aut C = Si A est B, A non est C;* et *Si A non est B, A est C.* Contradictoria est: *Si A est B, interdum A est C;* vel *Si A non est B, interdum A etiam non est C.* Contraria est: *Si A est B, A est C;* et *Si A non est B, neque est C.*

Sit improprie disiunctiva: *A est B vel C = A est B vel C vel utrumque.* Contradictoria vel contraria est: *A est nec B nec C.*

3. Propositio *coniunctiva* (n. 177) nullam parit difficultatem. Nam si habes: *A non est simul B et C,* contradictoria vel contraria erit: *A est simul B et C.*

195. III. **Exponibiles.** Propositionum *exponibilium* contradictoria erit improprie disiunctiva ex exponentibus composita (n. 178—182).

1. *Exclusivae* et *exceptivae* propositionis exempla:

a) Exclusiva subiecti: *Solus Deus est omnipotens.* Contradictoria est: *Non solus Deus est omnipotens.* Cuius loco dicere poteris per improprie

disiunctivam: *vel Deus non est omnipotens, vel aliquid quod non est Deus, est omnipotens, vel utrumque.* Contraria esset: *Solus Deus non est omnipotens*, i. e. *Deus non est omnipotens, et quidquid non est Deus, est omnipotens.*

b) Exclusiva praedicati: *Angelus est natura sua tantum intellectivus*, i. e. *non est praeterea sensitivus.* Contradictoria est: *Angelus est natura sua non tantum intellectivus.* Cuius loco dicere poteris per proprie disiunctivam: *Angelus est aut non intellectivus, aut intellectivus et sensitivus.* Contraria esset: *Angelus est natura sua tantum non intellectivus*, i. e. *tantum sensitivus.*

c) Sit exceptiva: *Omne quod est, initium habet praeter Deum.* Huic contradictoria est, quae profertur per improprie disiunctivam: *vel Deus initium habuit, vel reliquorum quiddam initium non habuit, vel utrumque.* Contraria esset: *Deus initium habuit, reliqua omnia non habent.*

2. *Reduplicativae* (n. 182) propositionis vix opus est mentionem facere; revocatur enim ad causalem, de qua satis diximus.

196. IV. De oppositione propositionum complexarum simpliciter. Cum hae propositiones praeter partem principalem contineant unum vel plura incidentia, propositio tota falsa esse potest ob cuiuscumque membri falsitatem; ex quo sequitur tot esse in propositione complexa rationes oppositionis, quot sint eius membra. Quam ob rem videndum est, in quo propositionis membro cardo quaestionis vertatur.

1. Oppositio erit contradictoria, si *una* tantum ex propositionibus in complexa contentis negatur; si plures, oppositio erit contraria; v. g. propositio haec: Milo occidit aggressorem, potest impugnari negando principalem propositionem, scil. Milo *non occidit* eum, qui (revera) fuit aggressor; et: Milo non occidit *aggressorem*, nimirum occidit quidem aliquem, sed ille non fuit aggressor. Utroque modo propositio erit contradictoria. Quodsi utrumque negatur, oppositio erit contraria.

2. Sunt quaedam complexae, in quarum oppositione contradictoria incidentis quoque quantitas mutanda est; quaedam vero, in quibus haec mutatio fieri non debet, v. g.:

a) *omnis* demonstratio in *omni* scientia certis principiis innititur; huius contradictoria est: *aliqua* demonstratio *in aliqua* scientia certis principiis non innititur;

b) contra: *omnis* homo servans *omnia* mandata Dei salvatur; contradictoria esset: *aliquis* homo servans *omnia* mandata Dei non salvatur;

c) speciatim nota oppositionem propositionum complexarum, quae continent adverbia universalitatis vel particularitatis sive temporis sive loci, v. g.:



197. V. **Modales** propositiones ut tales seu considerato solo *modo* opponuntur secundum hoc schema I:



Nota. Ex schemate ipso elucet vocabulum „contingens" ambiguitati esse obnoxium (n. 187). Generatim enim contingens intellegitur id, quod potest sive esse sive non esse; prout vero est contradictorium necessarii, solum dicit „possibile est non esse", et abstrahit ab eo, utrum possit esse. Similiter „possibile" saepe sumitur ut „possibile non necessarium", ita ut fere coincidat cum contingente. In schemate igitur et quotienscumque accurate ad oppositionem modalium attendendum est, utrumque vocabulum stricte sumatur aut necessaria determinatio addatur.

198. Cum quattuor sint *modi* et ad singulos modos accedere possit *dictum* (n. 186) **a**, **i**, **e**, **o** (i. e. universale et particulare vel affirmativum vel negativum), sedecim formae propositionum occurrere possunt. Atque ita multiplex oritur oppositio. Ita v. g. huic propositioni: Necesse est omnem hominem esse album (necesse est **a**), opponitur

1. necesse est nullum hominem esse album (necesse est **e**),
2. necesse est aliquem non esse album (necesse est **o**),
3. possibile est nullum hominem esse album (possibile est **e**),
4. possibile est aliquem hominem non esse album (possibile est **o**).

Tres priores contrariae sunt, sola quarta est contradictoria. Haec omnia sequens ostendit schema.



ARTICULUS II.

De aequipollentia [1].

199. Aequipollentia quid sit. Aequipollentes generatim vi vocis eae propositiones dicuntur, quarum est eadem significatio cum eadem significationis amplitudine. Ita universalis propositio aequipollet copulativae ex omnibus singularibus sibi subiectis. Aequipollentia igitur est duarum propositionum eadem significationis vis ex aequivalentia signorum proveniens.

Apud logicos autem haec vox coarctari solet ad eam, quae speciali diligentia attendi debet; quod accidit in propositionibus, quae ex eodem subiecto et praedicato constantes una vel altera

[1] Cf. *Galeni* (131—200 p. Chr. n.) opusculum *Περὶ τῶν ἰσοδυναμουσῶν προτάσεων*. Vocem aequipollentiae primus adhibuit *Appuleius*, cuius haec definitio: „Aequipollentes dicuntur propositiones, quae alia enuntiatione tantundem possunt, et simul verae fiunt aut simul falsae, altera ob alteram scilicet.“ *Boethius* iudicia haec „convenientia“ vocat vel „consentientia“ (ed. *Meiser* [Teubner] II 242, 5). – Sunt ex schola wolffiana, qui doctrinam de aequipollentia et similibus praetermittendam esse ducant. Inter quos *Antonius Genuensis:* „Quaeris, inquit, cui bono sit conversionis et aequipollentiae doctrina? nempe nunc tota fere inanis est: olim tamen, cum sophistarum disputationes valerent, eorum concertationibus aut alendis aut finiendis percommoda erat“ (Log. crit. 2, 15, 9, ed. Coloniae Agripp. 1753). Verum errant isti putantes sophistarum genus exstingui umquam. Alii wolffiani, quos etiam secutus est *Kant* (Logik § 47 nota), aequipollentiam a logicis neglegi posse arbitrati sunt, cum nihil sit nisi ordo vel lusus in vocabulis. Contra quos recte *Ueberweg:* „Da bei der Äquipollenz die Qualität des Urteils in die entgegengesetzte übergeht, so betrifft die Veränderung, die hier stattfindet, so leicht sie ist, doch offenbar die Form des Urteils selbst und nicht bloß den sprachlichen Ausdruck“ (System der Logik § 96).

negatione differunt et tamen idem significant. Quae aequipollentia definitur: duarum propositionum oppositarum eadem significandi vis orta ex unius alteriusve negationis additione vel subtractione. Aequipollentes sunt propositiones: *Nullus homo non est animal*, et: *Omnis homo est animal*. Et haec propositio: *Nullus homo est avis*, cui contraria est: *Omnis homo est avis*, fit huic contrariae aequivalens addita particula negativa: *Nullus homo non est avis*.

200. Regulae ad inveniendam propositionem aequipollentem.

1. Negatio praeposita subiecto (vel modo vel adverbio in modalibus et complexis ex adverbiis temporis et loci) propositionem facit aequipollentem suae contradictoriae.

2. Negatio postposita subiecto (vel modo vel adverbio) propositionem facit aequipollentem suae contrariae (in particularibus subcontrariae).

3. Negatio praeposita *et* postposita subiecto (vel modo vel adverbio) propositionem facit aequipollentem suae subalternae (vel subalternanti).

Quae tres regulae indicantur versiculo memoriali:

Prae contradic, post contrar, prae postque subalter.

201. Aequipollentes propositionum simplicium exhibet tibi hoc *Schema 1*:

A	**E**
Omne S est P	Nullum S est P
= Nullum S non est P (E post)	= Omne S non est P (A post)
= Non aliquod S non est P (O prae).	= Non aliquod S est P (I prae).

I	**O**
Aliquod S est P	Aliquod S non est P
= Non nullum S est P (E prae)	= Non omne S est P (A prae)
= Non omne S non est P (A prae postque).	= Non nullum S non est P (E prae postque).

NB. In schemate omittitur I post, quia iam adest in O. Omittitur O post et O prae postque, quia binae negationes se statim tollunt: Non aliquod S non non est P = Non aliquod S est P.

202. De aequipollentia modalium necessaria videri possunt in schemate n. 198. Unicuique propositioni modali aequipollens uncinis inclusa subest.

De complexis ex adverbio temporis vel loci hoc *Schema 2* necessaria exhibet:

A	**E**
Semper est, ubique est	*Numquam est, nullibi est*
Numquam non est, nullibi non est	Semper non est, ubique non est
(= Non aliquando non est, non alicubi non est).	= non aliquando est, non alicubi est.

I	O
Aliquando est, alicubi est	*Aliquando non est, alicubi non est*
- Non numquam est, non nullibi est	- Non semper est, non ubique est
— Non semper non est, non ubique non est.	- - Non numquam non est, non nullibi non est.

203. ***Scholion.*** *Quantitas considerata ex parte praedicati.* Ad facilius perspicienda, quae requiruntur ad aequipollentiam et ad legitimam conversionem propositionum, praeter extensionem subiecti etiam *quantitas praedicati* debet attendi.

In propositione S a P (omnia S sunt P) subiectum universale est, praedicatum autem per se particulare est, quia per se etiam ad alia subiecta extendi potest. In propositione S e P (nullum S est P) subiectum universale est, et etiam praedicatum. In propositione S i P (aliquod S est P) subiectum particulare est, et etiam praedicatum per se particulare est. In propositione S o P (aliquod S non est P) subiectum particulare est, praedicatum autem universale. In a et i praedicatum, quod per se quoad extensionem particulare est, per accidens esse potest universale.

Haec res, quam „quantificationem praedicati" vocant, a logicis recentis aetatis hoc modo figuris geometricis describi solet[1].

1. Pro propositionibus S a P = omne S est P = omne S continetur sub extensione P·

a 1.

a 2.

Propositio A (Omne S est P; S a P) requirit, ut tota extensio S contineatur intra limites extensionis P; non tamen requirit, ut extensio S sit minor quam extensio P. — In figura a 1 circulus S est unus exempli gratia electus ex omnibus circulis indefinite multis, qui ubivis in circulo P totaliter includi possunt; a 2 significat limitem superiorem, in quo scil. extensio S est aequalis extensioni P. — Utraque figura simul necessaria est ad rem recte declarandum. — Ex figura elucet a non posse simpliciter converti sed tantum per accidens (n. 207).

In his schematis sphaera P extensionem praedicati significat. In figura a 1 subiecta omnia pars tantum sunt eorum, quibus praedicatum convenit (velut: *Homo est bipes*); in figura a 2 extensio praedicati eadem est atque extensio subiecti (velut: *Homo est rationalis*), atque ita deinceps.

[1] Cf. *Ueberweg,* System der Logik § 71; *Trendelenburg,* Logische Untersuchungen II[3] 337; *Wundt,* Logik I[3] 215 sq.

2. Pro propositionibus S e P = nullum S est P = nullum S continetur sub extensione P:



Propositio E (Nullum S est P; S e P) dicit totam extensionem S excludi ab extensione P. Ad hoc declarandum una figura sufficit, scil. duo circuli S et P prorsus separati; nec tamen requiritur, ut sint eiusdem magnitudinis. Etiam elucet e posse simpliciter converti (n. 206).

3. Pro propositionibus S i P = aliquod (saltem) S continetur sub extensione P:



Propositio I utpote subalterna sub propositione a verificatur etiam in figuris a 1 et a 2 (= i 3 et i 4); potest autem praeterea verificari modis indicatis per figuras i 1 et i 2; in i 1 non requiritur circulorum eadem magnitudo. Convertitur simpliciter.

4. Pro propositionibus S o P:

Propositio O utpote subalterna sub e etiam in figura e (= o 3) verificatur, et praeterea duobus modis o 1 et o 2 (= i 1 et i 2). In o 1

etiam non requiritur circulorum aequalitas. Ex o 2 elucet o nec simpliciter neque per accidens converti posse (n. 207).

Figurae etiam ostendunt, quae propositiones inter se contradictorie opponantur.

A admittit utriusque circuli coincidentiam et aequalitatem, sed excludit circulum S ullo modo extra P extendi (o).

E non admittit ullum S i P (i).

I admittit omnia, praeter totalem exclusionem (e).

O excludit solum totalem inclusionem S a P (a).

Quodsi indeterminationem extensionis solis punctis indicare velimus, res brevius exhiberi potest hoc modo:

Pro propositionibus S a P:

Pro propositionibus S e P:

Pro propositionibus S i P:



Pro propositionibus S o P:



ARTICULUS III.

De conversione et contrapositione propositionum.

204. Conversio quid sit[1]. Conversio propositionum dicitur unius propositionis ex altera per terminorum transpositionem necessaria deductio, retenta qualitate ipsius propositionis. Itaque conversione subiectum fit praedicatum, et praedicatum fit subiectum, ita ut

[1] Cf. *Arist.*, Anal. prior. 1, 2 13 17. Conversionem vocat *ἀντιστροφήν*, *ἀντιστρέφειν*. *Galenus* distinguit *ἀναστρέφειν* (conversionem) et *ἀντιστρέφειν* (contrapositionem), *Boethius* „conversionem simplicem“ et „conversionem per contrapositionem“ (ed. *Meiser* [Teubner] II 387, 19; 433, 10; 437, 29). Qui conversionem simplicem fieri dicit aut principaliter aut per accidens. — Hodie conversionem late acceptam distinguere solent in conversionem proprie dictam et conversionem per contrapositionem. Conversionem proprie dictam iterum duplicem distinguunt, eam quam simplicem vocant (reine Umkehrung), et eam quae fit per accidens (veränderte Umkehrung). Sed de his mox. — De conversionis theoria, quam *William Hamilton* proposuit adhibita „quantificatione praedicati“, cf. *Trendelenburg*, Logische Untersuchungen II 337.

affirmatio negatiove atque etiam veritas conservetur. Hanc conversionem dialectici praecipue adhibent, cum agitur de revocatione syllogismorum ad figuram principalem (n. 250 sq).

Conversionem fieri posse facile intellegitur ex ipsius propositionis natura et significatione. Iudicio enim enuntiatur duorum conceptuum inter se identitas aut diversitas, quae necessario sunt relationes mutuae. Attendi autem debet accurate utriusque termini suppositio et extensio, atque id maxime cavendum, ne termini extensio augeatur.

205. Distinguitur conversio proprie dicta duplex.

1. Conversio *simplex* (illimitata, in terminis) ea est, in qua propositionis quantitas servatur.

2. Conversio *per accidens* (quae et „in parte") dicitur ea, in qua propositionis quantitas mutatur ab universali in particularem.

206. Conversionem simplicem admittunt *solae* propositiones universales negativae (E) et particulares affirmativae (I), v. g.

Nullus homo est angelus — nullus angelus est homo.
Aliquis homo est iustus — aliquis iustus est homo.

Ratio conversionis legitimae ea est, quod in neutro exemplo quantitas ullius termini augetur; in altero manet uterque terminus particularis, in priore terminus „angelus" iam fuit universalis, quia in omni propositione negativa praedicatum est universale (cf. n. 167).

Non admittunt conversionem simplicem propositiones affirmativa universalis (A) nec propositio negativa particularis (O).

Falso igitur converteres:

Omnis fur est homo — omnis homo est fur; vel:
Aliquis homo non est fur — aliquis fur non est homo.

Cum praedicatum propositionis affirmativae semper sit terminus particularis (n. 167) et praedicatum negativae semper sit terminus universalis, utraque ista conversio terminum „homo" illegitime ex particulari extendit in universalem.

207. Conversionem *per accidens* admittunt propositiones universales affirmativae (A) et universales negativae (E).

Omnis homo est mortalis — aliquid mortale est homo.
Nullum corpus est spiritus — aliquis spiritus non est corpus.

Est legitima, nam nullus terminus per conversionem accipit maiorem extensionem.

Nullius conversionis propriae capax est propositio particularis negativa (O), v. g.

Aliquis homo non est fur — aliquis fur non est homo.

Illegitima est conversio, nam „homo“ ex particulari fit universalis. Ut etiam tales propositiones aliqua ratione converti possint, alius a logicis inventus est conversionis modus, scil. contrapositio.

208. **Quid sit contrapositio.** A conversione proprie dicta, in qua termini iidem servantur, differt conversio per contrapositionem terminorum, qui propter additam negationem ex determinatis mutantur in infinitos. Ita per contrapositionem propositio: *Omne animal est vivens,* convertitur in alteram: *Omne non vivens est non animal.* Definitur contrapositio: unius propositionis ex altera deductio necessaria propter duplicis negationis additionem et terminorum extremorum inversionem. Ex qua definitione apparet contrapositionem legitimam esse permutandi formam; si enim omne S est P, sequitur, omne quod non sit P, neque esse S. Si nullum S est P, sequitur, nullum S non esse non P.

Sicut conversio, ita etiam contrapositio esse potest aut simplex aut per accidens, prout propositionis quantitas aut servatur aut ex universali in particularem minuitur.

Contrapositione simplici propositio universalis affirmativa (a) transit in universalem negativam (e); et particularis negativa (o) transit in particularem affirmativam (i):

Omne honestum est pulchrum; ergo: *Quidquid non est pulchrum, non est honestum.*

Aliqui poetae non sunt laudandi; ergo: *Aliqui, qui non sunt laudandi, sunt poetae.*

Contrapositione per accidens propositio universalis negativa (e) transit in particularem affirmativam (i):

Nullum elementum dissolubile est; ergo: *Aliquid, quod non est dissolubile, est elementum.*

209. ***Scholion 1.*** Quae de conversione et contrapositione diximus, vim habent, si spectatur forma. Ratione materiae etiam aliae conversiones fieri possunt. Propositio *singularis* converti potest uti universalis (i. e. negativa simpliciter, affirmativa per accidens). Definitiones simpliciter convertuntur. Non raro propositio particularis affirmativa contrapositione verti potest in particularem negativam, velut: *Aliquod pulchrum est gratum;* et: *Aliquid, quod non est gratum, non est pulchrum.* Sed falso converteres: *Aliqua entia intellectualia sunt corporea;* ergo: *Aliqua entia, quae non sunt corporea, non sunt intellectualia.* Neque minus falso: *Aliquod vivum est cognitione carens:* ergo: *Aliquid, quod non est cognitione carens, non est vivum.*

Et propositio universalis affirmativa contrapositione verti potest in particularem negativam; velut: *Omne corpus est extensum;* ergo: *Aliquod non extensum non est corpus.*

Scholion 2. Quae de conversione et contrapositione praecepta sunt, his versiculis expressa habes:

Simpliciter **feci** convertitur; **Eva** per accid
Asto per contrap; sic fit conversio tota.

Scholion 3. Contrapositioni nonnisi vi vocis impropria nomen conversionis attribui potest. Qua de re *Albertus Magnus:* „Conversionem per contrapositionem hic conversionem non vocamus, quia in tali conversione iidem termini non manent, sicut si dicam: *Omnis homo animal,* et convertam reflectendo oppositum de opposito et dicam: *Omne non-animal non-homo; non-homo* enim et *non-animal* non sunt iidem termini cum his: *homo, animal,* qui sunt termini eius propositionis, quae est conversa. Haec igitur, quae est per contrapositionem conversio, non est conversio nisi valde extensa et communi significatione huius nominis conversio, ut omnis reflexio propositionis conversio dicatur: qua sive in terminis sive in oppositis terminorum praedicatum reflectitur in subiectum." [1]

210. Conversio (contrapositio) propositionum compositarum. Quae statutae sunt regulae, proxime referuntur ad propositiones categoricas, sed facile applicantur hypotheticis; in quibus id, quod est contradictorium partis condicionatae in conversa, fit in convertente condicio. Si est A, est B; ergo: Si non est B, non est A. Quae contrapositionis ratio magnae utilitatis est ad statuendam „condicionem sine qua non".

Modales ut tales proprie non subsunt verae conversioni, cum modus ex natura sua habeat rationem praedicati relate ad dictum.

ARTICULUS IV.

De transitu ex una propositione ad alteram.

211. Transitus per modum illationis sive consequentiae. Mens cum ab aliqua propositione ad aliam cum priore conexam transit, propositionem novam *inferre* dicitur. In *illatione* igitur mens a propositione antecedente transit ad propositionem consequentem propter eam quae est inter has propositiones consequentiam. Est autem illationis genus duplex. Illatio *mediata,* quae dicitur ratiocinium sive argumentatio, ea est, quae ad concludendum indiget termino tertio, qui est inter extremos medius; de quo illationis genere postea plura dicenda erunt. Illatio *immediata,* quae etiam consequentia simplex vocatur, illa est, in qua propositiones duae adeo perspicue inter se conexae sunt, ut mens sola atten-

[1] L. 1 prior. anal. tract. 1, c. 8.

tione sine termini tertii adminiculo in consequente edicere possit id, quod in antecedente implicite iam enuntiatum est[1].

212. *Illationes immediatae ad tres classes reduci possunt.*

I. In *prima* classe utraque propositio *idem* significat, sed *diversis* aliquo modo *vocibus,* et haec classis continet consequentias immediatas, quae ex doctrina *aequipollentiae* dimanant.

Regula: Propositiones aequipollentes sunt simul verae, simul falsae.

II. In *altera* classe utraque propositio *diversa* significat, sed *iisdem vocibus,* et haec classis continet consequentias immediatas, quae sequuntur ex *conversione* propositionum.

Regulae: a) propositiones simpliciter conversae (legitime) sunt simul verae, simul falsae;

b) in conversione per accidens, cum fiat ab universali ad particularem (subalternam), valet illatio ex veritate universalis ad veritatem particularis, et ex falsitate particularis ad falsitatem universalis, sed non vice versa (n. 192).

213. III. In *tertia* classe propositiones *diversa* significant et *diversis vocibus.* Subdividitur haec classis praecipue ita:

1. Illationes, quae in propositionum *oppositione* nituntur.

Postquam enim aliqua propositio est posita, immediate inferri potest propositionem illi oppositam, quatenus opposita sit, esse negandam. Itaque in contradictoriis posito vel sublato priore tollitur vel ponitur alterum. In contrariis posito priore tollitur alterum, v. g.: *Haec vestis est alba, ergo non est nigra;* sed sublato priore nihil sequitur de altero. In subcontrariis sublato antecedente ponitur consequens, sed posito antecedente nihil sequitur de propositione subcontraria.

214. 2. Illationes *ab uno praedicato ad aliud.*

Hoc modo fit, ut a) concludatur *affirmative* a termino *inferiore* sive minus universali ad terminum *superiorem* sive magis universalem; *negative* autem a termino *superiore* ad *inferiorem.*

Suum cuique tribuere est iustum. Ergo est honestum.

Homo est animal. Ergo est corpus. Ergo est substantia.

Lapis non est vegetans; ergo non est animal. Sed non valet: *Non est animal; ergo non est vegetans.*

b) Concludatur a praedicato *coniuncto* ad *singulas eius partes,* modo subiecto simpliciter tribui possint, neglecta determinatione per alteram

[1] De illationibus immediatis praeclare scripsit *P. Fabri* S. J., Logica. *Wolff,* cum has consequentias immediatas nihil esse putaret nisi syllogismos hypotheticos mutilatos vel abbreviatos, de iis tractandum esse duxit, postquam de ipso syllogismo disputatum esset (Logica § 460).

partem significata. Ita valet: *Virtus est habitus bonus. Ergo est et habitus et bonum aliquid.*

c) Concludatur a praedicato *diviso* ad praedicatum *coniunctum*, si una pars praedicati subiecto convenit, quod iam est altera parte determinatum.

Bona est illatio: *Divitiae sunt bona, sed fallaces. Ergo sunt bona fallacia. Infidelitas est superbia et stultitia. Ergo est stulta superbia et superba stultitia.*

Ambigua erit: *Saul fuit Israelitarum maximus et fuit eorum rex. Ergo fuit maximus Israelitarum rex.*

Falsa autem est: *Homerus fuit caecus et maximus poeta. Ergo fuit maxime caecus poeta.*

215. 3. Illationes *a subiecto ad subiectum* seu *ab una suppositione ad aliam.*

Ad hunc locum spectat: a) Illatio *per subalternationem*, i. e. quae fit ab uno iudiciorum subordinatorum ad alterum affirmandum vel negandum, vel etiam a suppositione distributiva ad disiunctivam et singularem. Itaque posita propositione subalternante ponitur subalternata, sed non contra; et sublata subalternata tollitur subalternans, sed non contra. Et generatim id quod convenit vel repugnat notioni superiori, convenit vel repugnat etiam notioni inferiori. Sed quod a superiore abest, potest inesse in inferiore. Quod autem abest ab inferiore, abest etiam a superiore. Quod convenit vel repugnat inferiori, non ideo convenit vel repugnat superiori.

In hoc autem illationum genere illud recordandum est, quod supra (n. 170) de universalitate physica et morali monuimus. Ex quo iudicabis, sintne legitimae hae illationes: *Omnis virtus est laudanda; ergo aliqua virtus, atque etiam modestia est laudanda. Mortui non resurgunt; ergo neque Christus resurrexit. Senes sunt queruli; ergo hic senex est querulus.*

b) Illatio a *suppositione distributiva* ad *collectivam* et contra. Qua in re ad vim praedicati diligenter attendendum est. Praedicatum enim unicuique collectionis individuo convenire potest, aut ut est pars cum reliquis partibus totum constituens, aut ut est pars a ceteris separata, aut praetermisso omni ad totum et partes reliquas respectu. Ex quo discrimine veram a falsa illatione discernes, velut cum dicitur: *Singulae creaturae a Deo pendent; ergo etiam omnes simul. Singuli homines habent unam tantum animam; ergo etiam tota collectio habet unam tantum animam. Corpus non potest cogitare; ergo totus homo non potest cogitare. Unus miles non potest vincere; ergo totus exercitus non potest vincere. Duodecim apostoli Christi sunt collegium apostolorum; ergo Ioannes est collegium apostolorum. Omnes episcopi ecclesiae sunt infallibiles doctores; ergo quivis episcopus est infallibilis doctor. Omnis homo est mortalis; ergo totum genus humanum est mortale.*

216. 4. Illationes *a modalitate* propter nexum, quo haec tria: actus (esse), potentia (posse), necessitas (necesse esse) ita inter se

cohaerent, ut actus supponat potentiam tantum, necessitas supponat potentiam et actum, ex sola autem potentia nihil sequatur.

1. Valet illatio: a necessitate ad actum;
ab actu ad potentiam = ab esse ad posse;
a necessitate ad potentiam;
a defectu potentiae ad defectum actus; a non posse ad non esse;
a defectu actus ad defectum necessitatis;
a defectu potentiae ad defectum necessitatis.

2. Non valet illatio: a potentia ad actum; a posse ad esse;
ab actu ad necessitatem;
a potentia ad necessitatem;
a defectu necessitatis ad defectum actus;
a defectu actus ad defectum potentiae; a non esse ad non posse;
a defectu necessitatis ad defectum potentiae.

3. Valet illatio ab actu primo proximo (i. e. a potentia agendi proxime expedita) ad actum vel operationem ipsam in causa necessaria, non vero in causa libera, nisi forte coniecturaliter. *Lapis omnibus, quae requiruntur, suppositis potest cadere; ergo lapis cadet. Homo hac in occasione potest vitare peccatum; ergo fortasse vitabit, fortasse non vitabit.*

4. Valet illatio a potentia simultaneitatis ad simultaneitatem potentiae; sed non contra. Ex eo enim, quod quis actus duos diversos ponere atque coniungere possit, bene infertur eum simul habere potentiam ad utrumque, velut cum dico: *Ambulare et legere possum simul; ergo habeo simul potentiam ad ambulandum et potentiam ad legendum.* Verum ex eo quod duo simul sunt possibilia, non sequitur ambo posse etiam simul transire in actum. Aliis verbis: Ex eo quod quis habet simul potentias ad diversos actus, non sequitur eum posse hos actus simul ponere. Ita male argues: *Habeo simul potentiam ad loquendum et tacendum; ergo possum loqui et tacere simul. Philosophus verum et falsum dicere potest; ergo simul eodem tempore eodemque vel respectu verum falsumque dicere potest. Omne animal et vigilare potest et dormire; ergo — Solus homo potest et plorare et ridere; ergo —.*

CAPUT III.

De tertia mentis operatione, i. e. de ratiocinio.

217. Intellectus et ratio.

„Perfectio spiritualis naturae", ait *S. Thomas*, „in cognitione veritatis consistit. Unde sunt quaedam substantiae spirituales superiores, quae sine aliquo motu vel discursu statim, in prima et subita sive simplici acceptione, cognitionem obtinent veritatis, sicut est in angelis, ratione cuius intellectum deiformem habere dicuntur; quaedam vero sunt in-

feriores, quae ad cognitionem veritatis perfectam venire non possunt nisi per quendam motum, quo ab uno in aliud discurrunt, ut ex cognitis in incognitorum notitiam perveniant; quod est proprie humanarum animarum. Et inde est, quod ipsi angeli *intellectuales* substantiae dicuntur, animae vero *rationales*. Intellectus enim simplicem et absolutam cognitionem designare videtur; ex hoc enim aliquis intellegere dicitur, quod interius de ipsa rei essentia veritatem quodammodo legit. Ratio vero *discursum* quendam designat, quo ex uno in aliud cognoscendum anima humana pertingit et pervenit. . . . Motus autem omnis ab immobili procedit, . . . motus etiam finis est quies. . . . Et sicut motus comparatur ad quietem et ut ad principium et ut ad terminum, ita et ratio comparatur ad intellectum . . . ut ad principium et ut ad terminum; ut ad principium quidem, quia non posset mens humana ex uno in aliud discurrere, nisi eius discursus ab aliqua simplici acceptione veritatis inciperet: . . . similiter nec rationis discursus ad aliquid certum perveniret, nisi intellectus inveniatur rationis . . . terminus, quantum ad viam iudicandi." [1]

Ea est mentis humanae eiusque idearum imperfectio, ut ex sola binarum idearum comparatione earundem inter se identitatem vel diversitatem immediate percipere et sic ad iudicium pervenire non semper valeat. Quam ob rem tertiam aliquam ideam adhibet eamque cum notionibus illis separatim comparat, ut sic cognita relatione earum ad hanc unam tertiam inveniat ipsarum relationem inter se. Hanc mentis operationem ratiocinium appellant.

SECTIO I.

De ratiocinii eiusque signi notione et legibus generalibus.

ARTICULUS I.

De notione ratiocinii eiusque signo.

§ 1. De ratiocinio sive discursu interno.

218. **Ratiocinii definitio.** Ratiocinatio sub diversa consideratione diverso modo definiri potest. Si ratiocinii *natura* attenditur, consistit ratiocinandi operatio in eo, quod interna duorum vel plurimorum iudiciorum inter se relatione ad novum aliquod iudicium efformandum deducimur et movemur. Quare ratiocinatio definitur: *ex aliquibus iudiciis praecognitis alius iudicii illatio;* brevius: *operatio mentis, qua unum ex alio infertur;* vel: *qua ex duobus iudiciis tertium infertur.*

[1] De verit. q. 15, a. 1 (omissis iis quae ad rem minus conducunt). Cf. S. th. I. q. 14, a. 7 et q. 58, a. 3.

Si ratiocinii *finem* attendis, definire debes ratiocinium: *discursum rationis ab aliquo cognito ad aliud incognitum.* Ad id enim ratiocinatio dirigitur, ut mens ab aliqua ignorantia ad scientiam, a dubio ad certitudinem perveniat. Quapropter a *S. Augustino* dicta est „a certis ad incertorum indagationem nitens cogitatio“ [1], et a *Cicerone* „ratio, quae ex rebus perceptis ad id, quod non percipiebatur, adducit“ [2].

Ratiocinium, si eius *ortus* consideratur, definiri potest: *is mentis actus, quo, instituta duorum conceptuum comparatione cum tertio, illorum inter se identitatem aut discrepantiam inferendo cognoscit;* vel etiam: *ea mentis operatio, quae plura iudicia communi membro conexa inter se comparat et interveniente hac comparatione componendo aut dividendo novum iudicium ab illis distinctum infert.*

Quodsi quis potius *materiam* ratiocinii indicare velit, definiendum ratiocinium est *iudiciorum complexio, in quibus de duorum conceptuum convenientia enuntiatur post horum conceptuum cum conceptu tertio institutam comparationem.*

Ex his manifestum est *materiam* in ratiocinio proxime iudiciis constitui, remote terminis; *formam* autem in ipsa conexione inter iudicium consequens et iudicia praemissa sitam esse. Apparet praeterea ratiocinium, si explicitum sit et perfectum, proxime tres mentis operationes in se continere, comparantes duas et tertiam enuntiantem. Per comparationem identitas aut discrepantia inter conceptum tertium et primum secundumque apprehenditur. Ab illis relationibus identitatis aut discrepantiae mente perceptis identitas aut discrepantia inter ipsa extrema fluit quasi atque descendit. Qui descensus *consequentiam* ratiocinii constituit. Et quia perceptio huius consequentiae est *forma* ratiocinii, ideo potissimum ex hac ipsa perceptione ratiocinium definiri solet.

219. Ratiocinii rectitudo et veritas. *Rectitudo* ratiocinii consistit in legitima *consequentia,* id est in tali conexione iudiciorum, ut praemissis admissis necessario admittenda sit conclusio (iudicium consequens). *Veritas* ratiocinii consistit in conformitate iudiciorum cum re uti est in se.

Quae probe distinguenda sunt. Potest ratiocinium esse *rectum* et tamen non verum; quod obtinet, quotienscumque saltem alterutra ratiocinii recte formati praemissa continet errorem. Conclusio alicuius ratiocinii non recti potest per accidens vera esse. Exempla: v. g. in huius ratiocinii conclusione: omne vitium est vitandum: patientia est vitium; ergo patientia est vitanda, adest *rectitudo,* deest *veritas.* In altera: omnis virtus est bona: sanitas non est virtus: ergo sanitas non est bona, deest recti-

[1] De immortal. anim. 1, 1. [2] Acad. prior. 2, 8.

tudo et deest veritas. In hac tertia: omnis homo est animal; omnis homo est mortalis: ergo omne animal est mortale, deest rectitudo, adest veritas (per accidens).

220. Quod attinet *rectitudinem* ratiocinii, si attendis iudicia, principium generale est hoc: Id quod aequivalenter (virtualiter, implicite) affirmatum verum est, verum quoque debet esse formaliter affirmatum. Praemissae recti ratiocinii implicite virtualiter continent conclusionem. Si terminos consideras, principia recti ratiocinii sunt principium identitatis duorum cum eodem tertio: Quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se: et principium discrepantiae: Si ex duobus unum est identicum, alterum non identicum cum eodem tertio, neque inter se illa duo identica esse possunt. — A est B; B est C; ergo A est C — A non est B; B est C; ergo A non est C.

221. In *ratiocinio recto* hi statuuntur quoad *veritatem* propositionum canones:

1. Ex vero antecedente non potest consequi falsum consequens;

2. hinc si consequens falsum sit, alterutra saltem praemissa falsa esse debet.

3. Ex falso antecedente tum (per se) falsum tum (per accidens seu ratione materiae) verum consequens erui potest;

4. hinc ex veritate consequentis non necessario infertur veritas antecedentis.

5. Quidquid stat cum antecedente, stat etiam cum consequente, non tamen vice versa.

6. Quidquid pugnat cum consequente, pugnat etiam cum antecedente, non tamen vice versa;

7. hinc ex contradictorio consequentis infertur contradictorium antecedentis, si bona est consequentia; non autem vice versa.

Atque haec quidem de nexu inter *rectitudinem conclusionis* eiusque *veritatem*.

Quae de ratiociniorum divisionibus dicenda sunt, in quantum spectant dialecticam, simul cum divisionibus syllogismi, reliqua in critica dicentur.

§ 2. De discursu externo sive de argumentatione.

222. **Argumentationis definitio.** Argumentationem[1] non raro ratiocinationem totam intellegunt, qua quaestionem aliquam propo-

[1] De hac voce *S. Bonaventura:* „Proprie quidem argumentum accipitur secundum quadruplicem acceptionem. Nam uno modo dicitur argumentum

sitam solvere, argumentis multis probare atque etiam ab omnibus difficultatibus adversariis vindicare conantur philosophi. Hoc tamen loco voce argumentationis signum externum ratiocinii interni intellegimus, quae definiri solet: *oratio significans discursum rationis ab uno cognito ad aliud incognitum;* vel: oratio, qua propositio aliqua ex aliis infertur. Propositio, quae infertur, ante institutam argumentationem *quaestio* dicitur; in ipsa autem argumentatione *consequens* sive *conclusio* appellatur. Ipsam consequentis ex antecedente illationem *consequentiam* nominari diximus.

223. **Syllogismus quid sit.** Argumentatio simplex et completa, quae ratiocinationem unam totam distincte exprimit, *syllogismus* ab *Aristotele* vocatus est. Syllogismus est oratio, in qua duabus propositionibus positis necesse est tertiam consequi ex eo, quod illae positae sint[1]. Tres igitur propositiones sunt, quae ex tribus terminis bis repetitis constituuntur. Propositiones materiam syllogismi proximam vocant, terminos[2] materiam remotam. Quapropter syllogismus etiam definiri potest: argumentatio, in qua duo termini duabus in propositionibus cum tertio aliquo termino comparantur, ex quo fiat, ut in propositione tertia unus de altero aut affirmetur ut conveniens, aut negetur ut discrepans.

Binae illae propositiones, quibus antecedens syllogismi constat, *praemissae* syllogismi *(προτάσεις, τὰ προτεινόμενα, τὰ τεθέντα, τὰ κείμενα)* vocantur sive acceptiones vel „sumptiones“[3]. Et duo illi

ratiocinatio. Alio modo dicitur argumentum prolixae sententiae brevis collectio. Tertio modo dicitur argumentum ipsum medium, in quo consistit tota vis argumentationis. Quarto modo dicitur argumentum ipsa maxima propositio, „in qua consistit firmitas totius illationis“ (In 3 dist. 23, a. 1, q. 5, concl. n. 2). Et *S. Thomas:* „Argumentum proprie dicitur processus rationis de notis ad ignota manifestanda. . . . Et quia tota vis argumenti consistit in medio termino, ex quo ad ignotorum probationem proceditur, ideo dicitur ipsum medium argumentum, sive sit signum sive causa sive effectus. Et quia in medio termino vel in principio, ex quo argumentando proceditur, continetur virtute totus processus argumentationis, ideo tractum est nomen argumenti ad hoc, quod quaelibet brevis praelibatio futurae narrationis dicatur argumentum“ (In 3 dist. 23, q. 2, a. 1, sol. 1 ad 4; cf. De verit. q. 14, a. 2 ad 9). Id fortasse discriminis est, quod voce termini medii attendantur duo extrema coniungenda, voce argumenti attendatur conclusio efficienda.

[1] Ab *Aristotele* definitur: *Συλλογισμὸς δέ ἐστι λόγος, ἐν ᾧ τεθέντων τινῶν ἕτερόν τι τῶν κειμένων ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει τῷ ταῦτα εἶναι· λέγω δὲ τῷ ταῦτα εἶναι τὸ διὰ ταῦτα συμβαίνειν, τὸ δὲ διὰ ταῦτα συμβαίνειν τὸ μηδενὸς ἔξωθεν ὅρου προσδεῖν πρὸς τὸ γενέσθαι τὸ ἀναγκαῖον* (Anal. prior. 1, 1 [24 b 17]).

[2] *Ὅρον δὲ καλῶ εἰς ὃν διαλύεται ἡ πρότασις, οἷον τό τε κατηγορούμενον καὶ τὸ καθ' οὗ κατηγορεῖται* (l. c. 24 b 16).

[3] *Cic.,* De divin. 2, 108.

termini inter se comparati, qui in conclusione coniunguntur aut separantur, communi nomine elementa vel *extrema* syllogismi (*τὰ ἄκρα*, videlicet *τοῦ συλλογισμοῦ στοιχεῖα*) nominantur: subiectum quidem conclusionis *extremum minus* (*ὅρος ἔσχατος, τὸ ἔλαττον*, videlicet *ἄκρων*), praedicatum autem *extremum maius* (*ὅρος πρῶτος, τὸ μεῖζον*, videlicet *ἄκρον*). Cf. n. 163. Tertius, qui nobis argumentum indicat, propter quod extremum minus in maiore extremo potentia contentum esse conspicimus, vocatur, ut diximus, *terminus medius* (*ὅρος μέσος, τὸ μέσον*) vel argumentum.

224. Illa autem praemissa propositio, in qua terminus medius cum extremo maiore comparatur, *maior* dicitur (*λῆμμα*); et illa, in qua cum medio termino comparatur extremum minus, appellatur *minor* (*πρόσληψις*). Ex quo perspicitur denominationem „maioris“ per se non pendere a loco primo vel altero, quo propositio in syllogismo ponitur, sed illi praemissae competere, quae extremum maius contineat, etiamsi ea secundo loco pronuntietur. Verum in philosophicis disputationibus mos invaluit, ut *maior* ea praemissa nominetur, quae primo loco profertur. Praemissae secundae, quae *minor* appellari solet, claritatis gratia in schola vocula *atqui* praefigitur.

Propositio tertia, quae ex duabus praemissis sequitur, vocatur *illatio* (*ἐπιφορά*) vel *conclusio* sive iudicium conclusum vel *consequens* (*τὸ συμπέρασμα*).

Nexus ille consecutionis conclusionem inter et praemissas, qui syllogismum formaliter constituit, appellatur *consequentia*, et particula *ergo* significatur, qua propositio consequens sive conclusio induci solet.

Notandum est igitur discrimen inter consequens et consequentiam. Consequens est id, quod ex praemissis concluditur sive infertur; et consequentia est ipsa consequentis cum praemissis recta conexio. Unde recta potest esse consequentia et tamen falsitas inesse in consequenti; et veritas inesse potest in consequenti, deficiente omnino consequentiae rectitudine.

Haec forma syllogistica, si accurate servetur, ad recte et clare cogitandum multum confert.

Syllogismus, in quo servatur forma, *formatus* nuncupatur. *Informis* sive extra formam ille est, in quo retenta quidem argumenti vi, non tamen de dispositione terminorum et propositionum summus solliciti; quibus syllogismis vita hominis rationalis abundat.

ARTICULUS II.

Leges octo omnis recti syllogismi.

225. Utrum aliquis syllogismus rectus sit an vitio laboret, certis regulis discerni potest, quae ex natura rei tractae ad octo revocari solent, quarum quattuor priores syllogismi terminos spectant, reliquae propositiones:

I. Tum re tum sensu triplex modo terminus esto.
II. Latius hos, quam praemissae, conclusio non vult.
III. Numquam contineat medium conclusio oportet.
IV. Aut semel aut iterum medius generaliter esto.
V. Ambae affirmantes nequeunt generare negantem.
VI. Utraque si praemissa neget, nil inde sequetur.
VII. Peiorem sequitur semper conclusio partem.
VIII. Nil sequitur geminis ex particularibus umquam.

Prima regula[1] prohibet, quominus plures quam tres termini in syllogismo contineantur. Ratio manifesta est; si enim conclusionis subiectum et praedicatum non cum uno termino, qui secundum rem et significationem unus est, comparantur, nihil potest e praemissis inferri, deficiente consequentia. Attendendum igitur hic maxime, ne terminus medius sit aequivocus neve ab una suppositione ad aliam transitus fiat.

Contra hanc legem peccat syllogismus: *Omnes apostoli* (collectiva suppositio) *sunt duodecim. Atqui Petrus est apostolus* (suppositio distributiva). *Ergo Petrus est duodecim.*

Secunda regula terminos in conclusione accipi vetat extensione maiore, quam sumpti sunt in praemissis. Si enim terminus particulariter acceptus in praemissis intellegitur universaliter in conclusione, plus concluditur, quam probatum est.

Falsus igitur est syllogismus: *Omnis circulus est rotundus. Omnis circulus est figura* (i. e. *aliqua*). *Ergo omnis figura est rotunda.* Vel: *Omnis homo est animal (aliquod). Brutum non est homo. Ergo brutum non est animal (ullum)* = est nullum animal.

Tertia regula ex conceptu syllogismi et definitione ratiocinii evidens est. Nam in conclusione identitas aut discrepantia extremorum inter se affirmari debet, non autem termini medii cum uno alterove extremo. In conclusione igitur nullus termino medio est locus.

Unde falso concluditur: *Paulus est magnus. Sed Paulus est philosophus. Ergo Paulus est magnus philosophus.*

[1] *Arist.*, Anal. prior. 1, 25 (41 b 36).

226. *Quarta* regula exigit, ut terminus medius in alterutra saltem praemissa vi universali vel universali aequivalente accipiatur sive distributione completa pro omni re, pro qua sumi potest. Terminus enim bis acceptus particulariter aequivalere potest et saepissime aequivalet duobus.

Falsus est igitur syllogismus: *Aliquis atheus fuit philosophus. Aliquis philosophus non fuit impius. Ergo aliquis atheus non fuit impius.* Falsus quoque: *Aliquod animal est bipes. Equus est animal. Ergo equus est bipes.* Vel: *Homo est substantia. Lapis est substantia. Ergo homo est lapis.*

Potest terminus medius bis esse singularis; nam singularis idem valet atque universalis.

Quinta regula facile intellegitur. Cum enim praemissae affirmant, terminum maiorem et minorem identificari cum termino medio, attento principio identitatis non potest sequi, terminum minorem atque maiorem non identificari inter se. Et haec quidem regula non statuit, ex duabus praemissis affirmativis sequi conclusionem affirmativam, sed dicit solum, ex duabus praemissis affirmativis non sequi conclusionem negativam: aliis verbis: *si* ex duabus praemissis affirmativis *aliquid* sequitur, sequitur conclusio *affirmativa.*

Ex praemissis *Vulpes est animal* et *Leo est animal* non potest sequi *Vulpes non est leo.* Sed ob regulam quartam neque sequitur *Vulpes est leo.*

Sexta regula evidens est ex natura ratiocinii[1].

Itaque falso quis concluderet: *Nullum animal est lapis. Atqui nullus adamas est animal. Ergo nullus (vel omnis) adamas est lapis.* Vel: *Nullum animal est lapis. Atqui nulla planta est lapis. Ergo nulla planta est animal.*

227. *Septima* regula praecipit, ut conclusio sequatur partem debiliorem sive peiorem; in qua praeceptione pars peior intellegitur negativa prae affirmativa et particularis prae universali. Unde vis regulae duplex est:

1. *ut conclusio sit negativa, si alterutra praemissa negativa fuerit;* ratio est, quod, cum altera praemissa est affirmans, altera negans, alterum extremum convenit cum termino medio, alterum discrepat. Non potest ergo in conclusione *affirmari* extrema ista duo inter se convenire;

[1] *Aristoteles* iam hanc syllogismi legem statuit: Ἐν ἅπαντι (συλλογισμῷ) δεῖ κατηγορικόν τινα τῶν ὅρων εἶναι (Anal. prior. 1, 24 [41 b 6]).

2. *ut conclusio sit particularis, si alterutra praemissa fuerit particularis.* Quod sic ostenditur:

a) *Sit primo utraque praemissa affirmativa;* hinc utriusque praedicatum est particulare; una praemissa est particularis, hinc *unius subiectum* etiam est particulare; *unicus igitur terminus universalis* occurrit in praemissis. Hic autem ex regula IV debet esse terminus medius. Hinc termini extremi sunt particulares in praemissis, ideoque ex regula II etiam in consequente, et haec est particularis.

b) *Sit altera affirmativa, altera negativa;* conclusio erit *negativa;* ergo eius praedicatum *universale,* et hinc in praemissis etiam debet *universale* esse. Praeterea terminus medius debet semel esse *universalis.* Ut igitur conclusio esset *universalis,* etiam eius subiectum deberet in praemissis universale esse; quare in praemissis deberent inveniri tres termini universales. Atqui in praemissis ex suppositione unum subiectum et unum praedicatum (scil. praemissae affirmativae) sunt termini particulares. Igitur conclusio universalis esset aut contra regulam II aut contra IV.

Unde falsus est syllogismus: *Omne corpus est extensum. Atqui aliqua substantia est corpus. Ergo omnis substantia est extensa.* Neque minus: *Nulla virtus est fugienda. Atqui aliqua ira est virtus. Ergo nulla ira est fugienda.*

228. *Octava* regula cavetur, ne utraque praemissa sit vere particularis vel particulari aequivalens[1]. Et recte id quidem: Nam 1° si ambae praemissae particulares sunt affirmativae, syllogismus solis constat terminis particularibus; terminus medius contra legem quartam bis particulariter sumptus est. 2° Si ambae sunt negativae, conclusio nulla est ex regula sexta. 3° Si praemissarum particularium altera negativa est, affirmativa altera, per ipsam formam syllogisticam non constat, sub quo respectu et qua extensione unum extremum cum termino medio conveniat et alterum ab eo discrepet. Quam ob rem nihil prorsus concludi potest. Vel aliis verbis: Si una praemissa est negativa, altera affirmativa, conclusio debet esse negativa (ex regula septima) et eius praedicatum accipitur universaliter; debet ergo etiam accipi universaliter in praemissa (ex regula secunda). Duo ergo termini in praemissis accipiendi essent universaliter: terminus medius et terminus maior. At vero unus tantum locus est in praemissis, in quo terminus universaliter accipi possit, hoc est praedicatum praemissae negativae.

[1] Ἐν ἅπαντι (συλλογισμῷ) δεῖ ... τὸ παθόλου ὑπάρχειν. *Arist.* l. c.

Retinendum est autem, hac regula octava sicut et priore parte regulae septimae non tangi praemissas, quae habeant terminum singularem vel particularem universali aequivalentem.

Contra regulam octavam peccat syllogismus: *Aliquis philosophus non fuit impius. Atqui aliquis philosophus fuit atheus. Ergo aliquis atheus non fuit impius.* Vel: *Aliqui divites non sunt beati. Atqui aliqui homines pii sunt beati. Ergo aliqui divites non sunt homines pii.*

Recte autem concluditur: *Cicero fuit eloquentissimus. Atqui Cicero fuit Arpinas. Ergo Arpinatum quidam fuit eloquentissimus.*

229. ***Scholion.*** Sunt qui has syllogismi regulas ad pauciores reducant. Cartesianorum aliqui commendarunt regulam unicam: *Altera praemissarum conclusionem contineat, altera contentam declaret*[1]. *Alph. Gratry: Tres unum sint!*[2] *Ubaghs:* Maior sit universalis, minor sit affirmans, conclusio sequatur partem peiorem antecedentis[3]. Alii: *Nihil dicatur in conclusione explicite, quod non fuerit dictum in praemissis implicite.* Alii: Maior enuntiet argumentationis principium; minor applicet hoc principium rei particulari ostendatque hanc in illo includi aut ab eo excludi; conclusio exprimat rem particularem, ut in maiore contenta erat.

Et hae quidem vel simili modo expressae regulae in se rectae sunt et legitimae; exhibent enim ipsum principium omnis artis syllogisticae antiquitus notum. Sed applicari non possunt nisi ad figuram syllogismi perfectissimam, in qua termini aperte et directe inter se sunt subordinati; ad ceteras autem figuras trahi non possunt, nisi sint ante ad figuram perfectam reductae. Praeterea breviores sunt, quam quae ad detegenda singula vitia, quibus syllogismus laborare potest, satis facile adhiberi possint.

230. **Ad solvendas difficultates:** 1. *Petrus est sexagenarius; Paulus est quinquagenarius; ergo Paulus est iunior Petro.* Videtur quattuor terminis constare et tamen recte concludere. Concludit ex materia, quia quinquagenarius includit rationem iunioris comparate ad sexagenarium.

2. *Solus Deus est aeternus; mundus non est Deus; ergo mundus non est aeternus.* Videtur contra legem *secundam* peccare; sed notandum maiorem utpote exclusivam aequivalere huic: Deus est aeternus, et quidquid non est Deus seu omne praeter Deum non est aeternum.

3. Sed ita mutatus syllogismus peccat contra legem *sextam;* utraque negat. Respondeo, negativa minor aequivalet huic affirmativae: *mundus est aliquid praeter Deum.*

4. *Omne animal rationale est homo; aliquis homo peccat; ergo aliquod animal rationale peccat.* Videtur recte concludere, licet terminus medius

[1] Cf. *Leibniz,* Nouv. ess. l. 4, c. 7, § 8, ed. *Erdmann* 399.

[2] Logique I 294.

[3] Logica n. 224. Cf. *Vallet,* Praecept. philos. I, Paris. 1880, 179.

contra legem *quartam* sit bis particularis. Concludit solum per accidens, quia maior est conversa *definitio* hominis. Syllogismum non concludere vi formae elucet ex simili: Omne animal rationale est bipes; aliquod bipes habet alas; ergo aliquod animal rationale habet alas.

Quae spectant syllogismos compositos et complexos, postea consideranda sunt.

ARTICULUS III.

De generalibus syllogismi figuris earumque modis et regulis.

§ 1. De notione figurae et modi.

231. I. Figura. Recta syllogismi forma ea est, ut *medius* terminus in altera praemissa (maiore) cum syllogismi extremo maiore (conclusionis praedicato), in altera praemissa (minore) cum syllogismi extremo minore (conclusionis subiecto) coniungatur. Ex natura autem syllogismi non determinatur, quem locum in utraque praemissa occupare debeat terminus medius, scil. subiecti aut praedicati. Iam ex diversa medii termini in praemissis collocatione diversae oriuntur syllogismi *figurae*. Figura *(σχῆμα)* est medii termini cum extremis collocatio vel dispositio. „Sciendum est, quod figura proprie reperitur in mathematicis, transumptive autem in syllogismo et hoc ad similitudinem figurae triangularis. Nam sicut triangulus est clausio trium linearum in tribus angulis, ita syllogismus est concursus trium propositionum . . . in tribus terminis.“ [1]

232. Figurae quot. Si stricte retinetur, ut primo loco tamquam *maior* ponatur ea praemissa, quae continet extremum *maius*, scil. conclusionis praedicatum, *quattuor* figurae erunt, scil.:

Si P significet extremum maius, S extremum minus, M terminum medium, quattuor figurae hunc conspectum exhibent:

I.	II.	III.	IV.
M — P	P — M	M — P	P — M
S — M	S — M	M — S	M — S
S — P	S — P	S — P	S — P

Ab *Aristotele* tres tantum priores figuras explicatas habemus, quae pro loco subiecti (sub) et praedicati (prae), quem terminus medius in praemissis tenet, exhibentur versiculo:

Sub prae prima, sed altera bis prae, tertia bis sub.

Quarta esset: prae sub.

[1] *S. Thom.*, Opusc. 43, De natura syllogismorum.

233. ***Scholion.*** Alias figuras omisso stricto discrimine terminorum et signorum alii addiderunt.

1. Quodsi illud inter praemissam maiorem et minorem omittimus discrimen, secundum quod maior extremum maius sive conclusionis praedicatum continere debet et minor extremum minus sive conclusionis subiectum, iam serie praemissarum inversa easdem quattuor figuras etiam hoc modo repraesentare possumus:

I.	II.	III.	IV.
S — M	S — M	M — S	M — S
M — P	P — M	M — P	P — M
S — P	S — P	S — P	S — P

Et vix opus est animadvertere, hac praemissarum inversione ipsas figuras mutari neque confundi neque multiplicari; id quod aliqui opinati sunt.

2. Si quis autem cum nonnullis antiquis peripateticis usum retinere velit praeponendi conclusionis praedicatum eiusdem subiecto, is in praemissis hunc ordinem sequi debebit[1]:

I.	II.	III.	IV.
P — M	M — P	P — M	M — P
M — S	M — S	S — M	S — M
P — S	P — S	P — S	P — S

234. Dum inversio prior neglegit tantum discrimen strictum inter maiorem et minorem, altera, scil. conclusionis inversio, illud habet incommodum, quod in ea littera S non iam, ut receptum est, clare significet conclusionis subiectum nec P eius praedicatum. Unde facile oritur confusio. Ceterum si figuram secundae conversionis verbis exprimis, reincidit in aliquam figuram prioris conversionis. Sume v. g. quartam:

M — P = terminus medius — subiectum conclusionis = M — S;
S — M = praedicatum conclusionis — terminus medius = P — M.

Habetur igitur figura quarta prioris inversionis. — Si eam comparas cum figuris primariis, oriri potest commutatis inter se praemissis quartae figurae aut completa inversione figurae primae.

Ex rationibus practicis infra mox patentibus solam hanc quartam tamquam figuram *quintam* considerabimus (n. 241).

235. II. **Syllogismi modus.** Praeter aptam terminorum dispositionem (figuram) ad conclusionem rectam requiritur etiam recta ratio quantitatis et qualitatis in praemissis, et haec dicitur syllogismi *modus*, qui definitur: *praemissarum ad conclusionem colligendam apta secundum quantitatem et qualitatem complicatio.*

[1] Cf. *Arist.*, Anal. prior. 1, 4 5 6.

Quantitas simul et qualitas propositionum signatur litteris a, e, i, o (cf. n. 190). Ex *quattuor* his elementis in syllogismi *ternis* propositionibus per se fieri possunt combinationes quattuor et sexaginta[1]. Sed per regulam syllogismi generalem sextam excluduntur syllogismi, quorum utraque praemissa est negativa (e e, e o, o e, o o); et per regulam generalem octavam excluduntur syllogismi, quorum utraque praemissa est particularis (i i, i o, o i, o o).

236. Remanent igitur hae praemissarum possibiles combinationes; quae tamen non omnes conclusiones admittunt:

a a, excluditur	conclusio,	e, o (reg. V)	remanet modus a a a, a a i
a i	„	e, o (reg. V), a (reg. VII)	„ a i i
a e	„	a, i „	„ a e e, e a o
a o	„	a, i, e (reg. VII)	„ a o o
i a	„	a, e (reg. VII), o (reg. V)	„ i a i
i e	„	a, e, i (reg. VII)	„ i e o
e a	„	a, i „	„ e a e, e a o
e i	„	a, i, e „	„ e i o
o a	„	a, e, e „	„ o a o

Modi igitur manent duodecim, scil.: affirmativi *quattuor:* a a a, a a i, a i i, i a i; negativi *octo:* a e e, a e o, a o o, e a e, e a o, e i o, i e o, o a o.

Hi duodecim modi, uti ex comparatione elucebit, non omnes in singulis figuris omnibus admittuntur.

§ 2. Regulae in singulis figuris servandae.

237. Communes syllogismi leges, quae alio loco posuimus, figuris singulis si applicantur, hoc fere modo enuntiari possunt:

1. In *figura prima:* M — P
   S — M
   S — P

sit minor affirmans nec maior particularis.

Itaque a) minor debet esse affirmativa. Si enim esset negativa, etiam conclusio (utpote sequens necessario debiliorem partem) esset negativa; haberet ergo (utpote negativa) praedicatum universale. Et hoc

[1] Cf. *Prantl,* Geschichte der Logik I 557 et 590 sqq. Quam methodum irridet Prantl eam vocans „Mosaikspiel", „Zusammensetzspiel der kindisch-blödsinnigen Stoiker". Sed recte *Ueberweg:* „Es ist wahr, daß das Hauptinteresse nicht in den einzelnen Figuren und Modis, sondern in den allgemeinen Prinzipien der Syllogistik liegt. Aber das Prinzip soll sich auch zum System entfalten. . . . Das unabweisbare Mittel ist das mathematische Kombinationsverfahren; dieses ist hier durch die Natur der Sache gefordert und somit durchweg vernunftgemäß . . ." (System der Logik § 104).

ipso praedicatum in maiore, quae affirmativa esse deberet (cum minor iam esset negativa), esset particulare (utpote praedicatum affirmativae). Ergo terminus universaliter intellegendus in conclusione, sumptus esset particulariter in praemissis.

b) Maior debet esse universalis. Si enim esset particularis, terminus medius, qui est subiectum eius, in ea sumeretur particulariter; et in minore, quae esse debet affirmativa et terminum medium pro praedicato habet, is terminus iterum sumeretur particulariter; atque ita peccaretur contra legem quartam.

Modi legitimi primae figurae: a a a (Barbara), e a e (Celarent), a i i (Darii), e i o (Ferio). (a a i includitur in a a a.)

238. 2. In *secunda figura:*

P — M
S — M
S — P

una negans praeeat nec maior sit specialis.

Itaque a) praemissarum alterutra debet esse negativa. Si enim praemissa utraque esset affirmativa, terminus medius, qui in hac figura bis praedicatur, contra legem quartam bis particulariter sumeretur.

b) Maior universalis esse debet, quia subiectum eius in conclusione negativa est praedicatum et hinc universale. Alioquin aliquis terminus particulariter sumptus in praemissis sumeretur universaliter in conclusione.

Modi legitimi: e a e (Cesare), a e e (Camestres), e i o (Festino), a o o (Baroco).

239. 3. In *tertia figura:*

M — P
M — S
S — P

sit minor affirmans, conclusio particularis.

Itaque a) minor debet esse affirmativa. Ex eadem ratione atque in figura prima.

b) Conclusio debet esse particularis, quia subiectum conclusionis in praemissa (minore affirmativa) particulare est (reg. gen. II).

Modi legitimi: a a i (Darapti), e a o (Felapton), i a i (Disamis), a i i (Datisi), o a o (Bocardo), e i o (Ferison).

240. 4. Pro *quarta figura:*

P — M
M — S
S — P

regulae sunt tres:

a) Maior ubi affirmat, generalis tum minor esto.
b) Si minor affirmat, conclusio sit specialis.
c) Si negat haec, maior generalis postulat esse.

a) Si enim maior est affirmativa, terminus medius, qui est eius praedicatum, sumitur particulariter; ergo universaliter sive generaliter accipi debet in minore, cuius est subiectum. Exemplo sit haec: *Omne corpus est extensum; atqui omne extensum est finitum; ergo aliquod finitum est corpus;* vel: *Omne peccatum est liberum; atqui nullum liberum est necessarium; ergo nullum necessarium est peccatum;* vel: *Aliquis doctus est superbus; atqui omnis superbus est contemnendus; ergo aliquis contemnendus est doctus.*

b) Si minor est affirmativa, extremum minus, quod est eius praedicatum, accipitur specialiter sive particulariter; ergo accipi debet particulariter in conclusione, cuius est subiectum: *Nulla planta est lapis; atqui omnis lapis est substantia; ergo aliqua substantia non est planta;* vel: *Nulla planta est bestia; atqui aliqua bestia est polypus; ergo aliquis polypus non est planta.*

c) Si conclusio est negativa, extremum maius in ea sumitur universaliter; ergo etiam universaliter intellegi debet in maiore, cuius est subiectum: *Omnes poetae sunt artifices; atqui nullus artifex caret phantasia; ergo nullus, qui caret phantasia, est poeta.*

Scholion. Non inscite ab aliquibus traditae regulae reductae sunt ad has duas: 1. Terminus medius in alterutra saltem praemissarum complete distribui debet; i. e. accipi universe pro re omni, pro qua accipi potest. 2. Nullus terminus, qui non fuerit distributus in antecedente, distribuendus est in consequente.

Modi legitimi figurae quartae: a a i (Bamalipton), a e e (Calemes), i a i (Dimatis), e a o (Fesapo), e i o Fresisonorum.

241. 5. *Figurae quintae:* $\begin{array}{l} M - S \\ \underline{P - M} \\ \overline{S - P} \end{array}$

regulae sunt tres:

a) Si minor affirmans, maior sit universalis
(secus terminus medius bis esset particularis).

b) Si maior affirmans, conclusio particularis
(quia S in maiore particularis).

c) Si una negans, minor sit universalis
(quia in conclusione negativa P est universale).

Modi legitimi: a a i (Baralipton), e a e (Celantes), a i i (Dabitis), a e o (Fapesmo), i e o (Frisesomorum).

NB. Si quis loco quintae alteram n. 234 notatam elegerit figuram, easdem habebit modos et regulas.

Ratio, ob quam *Aristoteles* tres tantum priores figuras attenderit, ex sequentibus patebit.

ARTICULUS IV.

Figurarum modorumque utilium conspectus et demonstratio.

§ 1. Figurarum modorumque conspectus.

242. Figurae sunt quattuor, si maior intellegitur ea praemissa, quae continet conclusionis praedicatum (extremum maius): neglecta differentia inter maiorem et minorem addi possunt aliae quattuor figurae (n. 233). Omnia alia permutationis tentamina realiter in unam ex istis octo figuris reincidunt (n. 234).

Modi ex syllogismi legibus generalibus admittuntur duodecim, qui tamen non omnes in singulis figuris esse possunt. Ita:

Figura I admittit	**aaa**	eae	aii	eio		(aai)	(eao)			sola:	**aaa**
„ II „	**aoo**	eae		eio	aee		(eao)			„	aoo
„ III „	**oao**		aii	eio		aai	eao	iai		„	oao
„ IV „	(aeo)			eio	aee	aai	eao	iai			
„ V „	aeo	eae	aii			aai	(eao)			et sola:	**ieo**

Modi aai, aeo et eao ut superflui omittuntur in iis figuris, in quibus aaa vel eae eos includens iam occurrit.

243. Ex isto conspectu elucet priores tres figuras continere modos, qui in duabus aliis figuris non occurrunt, quartam autem nullum novum modum afferre: potuit igitur facile ab Aristotele omitti. Placuit tamen aliis rem completam dare. Sed ex duodecim modis per se possibilibus aeo solum implicite, ieo autem nullo modo invenitur in quattuor figuris. Quare addita est quinto loco vel quartae substituta una ex inversis. Oritur ista quinta figura aut permutatis praemissis figurae quartae aut commutato loco S et P in figura prima. — Cum sic pro omni modo possibili habeatur apta figura, nulla ratio fuit, etiam tres reliquas figuras possibiles attendere. Modi istarum quinque figurarum exhibentur his versiculis:

Si quartae figurae quinta substituitur:

I: Barbara, Celarent, Darii, Ferio. V: Baralipton,
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum.
II: Cesare, Camestres, Festino, Baroco. III: Darapti,
Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

Si vero quarta figura retinetur, duo priores versus sunt:

I: Barbara, Celarent, Darii, Ferio. IV: Bamalipton,
Calemes, Dimatis, Fesapo, Fresisonorum.

Versiculi isti ex tempore *Petri Hispani* (papae Ioannis XXI, mortui anno 1277) una cum eiusdem opere, cui titulus „Summulae logicales“,

in communem scholarum usum transierunt. Et structura istorum vocabulorum et significatio subtilis est admodum, id quod postea, cum de syllogismis in faciliorem formam convertendis tractandum erit, diligentius exponemus (n. 250 251).

§ 2. De principiis et directa demonstratione trium priorum figurarum.

244. I. *Figura prima.* Ex ipso conspectu elucet praestantia primae figurae prae ceteris.

1. Eminet *universalitate;* ipsa enim sola admittit omnes quattuor conclusionum species (a e i o), ipsa sola conclusionem universalem affirmativam (a); figura altera nullam affirmativam, figura tertia nullam universalem conclusionem admittit.

2. Eminet *claritate.* Syllogismi perfecti ratio ea est, ut praemissa maior conclusionem contineat, praemissa minor contentam esse declaret. Hoc perfecte obtinet, si maior est universalis et terminum medium secundum totam suam extensionem cum extremo maiore (praedicato conclusionis, P) vel affirmando coniungit vel negando ab eo separat, minor vero extremum minus (subiectum conclusionis, S) cum eodem termino medio affirmando coniungit. Tunc enim evidens est, S eodem modo quo M se habere ad P. Ex his igitur figurae primae claritas provenit:

a) Subiectum et praedicatum conclusionis etiam in praemissis tenent locum respectivum subiecti et praedicati.

b) Conclusio sequitur qualitatem maioris, quantitatem minoris, scil. P, quod in maiore de *omni* M affirmatur vel negatur, evidenter in conclusione etiam de S affirmandum vel negandum est, cum S secundum minorem sit aliquod M; et quidem P aut de omni S aut saltem de aliquo S affirmandum vel negandum est, prout minor est universalis aut particularis.

245. Cum in figura prima maior sit semper universalis, minor semper affirmativa, modi quattuor sic exhiberi possunt:

I. *Modi affirmativi*

Omne M est (continetur in) P

Omne S est (in) M	Aliquod S est (in) M
Omne S est (in) P	Aliquod S est (in) P
(Barbara)	(Darii)

II. *Modi negativi*

Nullum S est (in) P

Omne S est (in) M	Aliquod S est (in) M
Nullum S est (in) P	Aliquod S non est (in) P
(Celarent)	(Ferio)

Relationes his modis expressae verbis exprimuntur his principiis:

Affirmantium modorum:

(P) quod continet includens (M), continet etiam (S) inclusum in eo.

Vel passive:

(S) quod includitur in contento (M), includitur etiam in (P) continente illud.

Negativorum modorum:

(P) quod excludit continens (M), excludit etiam (S) contentum in eo.

Vel passive:

(S) quod includitur in excluso (M), excluditur etiam a (P) excludente illud (M).

Aequivalent principiis:

Dictum de omni dicitur de singulis.

Dictum de nullo negatur de singulis.

Res etiam figuris mathematicis declarari potest[1].

246. *Figurae primae modus primus* (Barbara):

M a P
S a M
S a P

Cum propositio universalis affirmativa hac duplici ratione se habere possit (n. 203, 1):

iam praemissarum quas posuimus schema erit quadruplex:

NB. Legendum est ad normam figurae, i. e. incipe ab M — P, et ita porro.

[1] Geometrica haec per circulos descriptio, qua syllogismorum veritas ad oculum quasi contra acerrimos adversarios depingeretur, post *Cartesii* tempora in schola adhiberi per consuetudinem coepta est (cf. *Drobisch*, Neue Darstellung der Logik[4] 98; *Ueberweg*, System der Logik § 105 sqq). *Christ. Weise* (1708) inter primos laudatur, qui hanc docendi consuetudinem usurpavit. Quam tamen rem iam ipse *Aristoteles* phantasiae discipulorum obiecisse videtur, cum diceret: *Τὸν ἔσχατον ἐν ὅλῳ εἶναι τῷ μέσῳ, καὶ τὸν μέσον ἐν ὅλῳ τῷ πρώτῳ* (Anal. prior. 1, 4 [25 b 32]), et alia in hoc genere similia.

Ad evidentiam conclusionis ostendendam sufficit per se figura 1 ex quattuor. Verificatur autem et in aliis, in quibus per accidens etiam plus sequitur.

Semper igitur omni subiecto S praedicatum P convenire debet, quia totum S semper est in sphaera P.

247. *Figurae primae modus secundus* (Celarent):

M e P
S a M
S e P

Cuius veritas in his evidens est:



Similiter repraesentari possunt modi reliqui primae figurae (Darii, Ferio).

248. II. *Figura secunda* (bis prae). Una semper negans, maior generalis.

e Nullum P est (in) M (= nullum M—P)
a Omne S est (in) M
e Nullum S est (in) P
(Cesare)

i Aliquod S est (in) M
o Aliquod S non est in P
(Festino)

a Omne P est (in) M
e Nullum S est (in) M
e Nullum S est (in) P
(Camestres)

o Aliquod S non est (in) M
o Aliquod S non est (in) P
(Baroco)

Relationes istae his exprimuntur principiis:

1. (S) quod continetur in excluso (M), excluditur a (P) excludente illud (M).

2. (S) quod excluditur a continente (M), excluditur etiam ab eius contento (P).

Figurae secundae modus primus (Cesare):

P e M
S a M
S e P

Cuius rei symbola duo sunt:



Et similiter in reliquis modis huius figurae.

249. III. *Figura tertia* (bis sub). Minor affirmans, conclusio particularis.

Modi affirmativi			*Modi negativi*		
M a P		M i P	M e P		M o P
M a S	M i S	M a S	M a S	M i S	M a S
	S i P			S o P	
(Darapti)	(Datisi)	(Disamis)	(Felapton)	(Ferison)	(Bocardo).

Relationes istae his exprimuntur principiis:

1. (P) quod includit (M) in alio (S) contentum, includit aliquam (saltem) continentis (S) partem (= aliquod S).

2. (P) quod excludit (M) in alio (S) contentum, excludit aliquam continentis (S) partem (= aliquod S).

Figurae tertiae modus primus (Darapti):

M a P
M a S
S i P

Cuius rei signa sunt:



Atque haec ad explicandam rem, de qua agitur, satis.

§ 3. De demonstratione indirecta syllogismorum imperfectorum.

250. I. *Reductio ad primam figuram.* Ope legitimae conversionis propositionum (n. 204 sq), transmutatione praemissae maioris cum minore (fere omnes) modi figurarum reliquarum ad aliquem modum primae figurae reduci possunt. Regulae reductionis artificiose expressae sunt in ipsis vocabulis memorialibus modorum (n. 237 sq 243).

1. Litterae initiales B C D F indicant *modum primae figurae,* ad quem syllogismus reducendus sit. Ita v. g. *Bamalip* reducitur ad *Barbara.*

2. Litterae S et P in medio illorum vocabulorum indicant, propositiones vocali antecedente repraesentatas esse convertendas sive simpliciter (quod indicat S) sive per accidens (quod significat P). Hinc syllogismus in *Datisi* reducitur ad *Darii* conversa simpliciter praemissa minore; syllogismus vero in *Darapti* reducitur conversa minore per accidens; syllogismus in *Fesapo* reduci potest conversa maiore simpliciter, minore per accidens.

3. Littera M monet praemissas per metathesim esse transponendas, ita ut maior fiat minor et minor obtineat locum maioris. Ita ad reducendos syllogismos in *Bamalip, Dimatis* transponendae sunt praemissae solum; in syllogismo secundum *Camestres* praeter transpositionem praemissarum minor et conclusio converti debent simpliciter; syllogismus denique in *Fapesmo* ut reducatur, maior convertenda est per accidens, minor simpliciter, et praemissae transponi debent.

4. Littera C in medio vocabulorum *Baroco* et *Bocardo* ostendit, eius generis syllogismos non posse reduci per ostensionem, sed per conversionem vel deductionem ad contradictoriam propositionem tantum. Nam cum propositio universalis affirmativa per conversionem fiat particularis, propositio vero particularis negativa etiam post conversionem per contrapositionem maneat particularis, et ex mere particularibus nihil sequatur, illi syllogismi directe ad *Barbara* reduci non possunt.

251. Tota haec reducendi industria quo facilius memoria retineri possit, his versiculis continetur:

S vult simpliciter verti, P vero per accid(ens);
M vult transponi, C per impossibile duci.

Exempla:

Ad 2. **Datisi** reducitur ad **Darii**:

Omnis stultus errat.
Aliquis stultus est peccator.
Aliquis peccator errat.

Omnis stultus errat.
Aliquis peccator est stultus.
Aliquis peccator errat.

Darapti reducitur ad Darii:

Omnis bonus est clemens.
Omnis bonus est iustus.
Aliquis iustus est clemens.

Omnis bonus est clemens.
Aliquis iustus est bonus.
Aliquis iustus est clemens.

Fesapo reducitur ad Ferio:

Nullus lapis est animal.
Omne animal est substantia.
Aliqua substantia non est lapis.

Nullum animal est lapis.
Aliqua substantia est animal.
Aliqua substantia non est lapis.

Ad 3. **Bamalip** reducitur ad Barbara:

Omnis homo est animal.
Omne animal est substantia.
Ergo aliqua substantia est homo.

Omne animal est substantia.
Omnis homo est animal.
Ergo omnis homo est substantia.

Etsi propositio particularis affirmativa per se non potest converti per accidens in universalem, haec conversio hoc loco tamen admittitur, quia illa universalis conclusio evidenter continetur in praemissis, quae quidem respectu ordinis, non tamen quantitatis per transpositionem mutatae sunt.

Dimatis reducitur ad Darii:

Aliqua substantia est animal.
Omne animal est vivens.
Aliquod vivens est substantia.

Omne animal est vivens.
Aliqua substantia est animal.
Aliqua substantia est vivens.

Fapesmo reducitur ad Ferio:

Omne animal est substantia.
Nullus lapis est animal.
Aliqua substantia non est lapis.

Nullum animal est lapis.
Aliqua substantia est animal.
Aliqua substantia non est lapis.

Ad 4. Peculiarem difficultatem in *Baroco* et *Bocardo* reperies, qui modi reductionem per ostensionem non videntur admittere. Potest tamen *Bocardo* reduci ad *Darii*, et *Baroco* ad *Ferio*, modo adhibere velis conversionem per contrapositionem et propositionem negativam convertere in infinitam. Hac ratione convertetur:

Ba	PaM	in	Fe	Non-MeP
ro	SoM		ri	SiNon-M
co	SoP		o	SoP

Omnis virtus est bona.
Aliqua ira non est bona.
Aliqua ira non est virtus.

Omne non-bonum non est virtus.
Aliqua ira est aliquod non-bonum.
Aliqua ira non est virtus.

Bo	MoP	in	Da	MaS
car	MaS		ri	Non-PiM
do	SoP		i	Non-PiS

Aliqua ira non est mala.
Omnis ira est passio.
Aliqua passio non est mala.

Omnis ira est passio.
Aliquod non-malum est ira.
Aliquod non-malum est aliqua passio.

252. II. *Reductio indirecta sive per deductionem ad impossibile.* Aliqua conclusio evidenter est legitima, si ex opposito sive contradictorio consequentis sequitur evidenter oppositum sive contradictorium antecedentis, i. e. alterutrius praemissae. Et ex hoc principio fit reductio ad impossibile, cum ex opposito consequentis infertur oppositum antecedentis, i. e. cum ex assumpta conclusionis alicuius contradictoria et ex una praemissarum iam concessarum per syllogismum primae figurae infertur contradictoria alterius praemissae pariter ante concessae.

Haec reductionis ratio cum utilitate praecipue adhibetur in modis *Baroco* et *Bocardo*. Ut igitur fiat haec reductio, una ex praemissis retinenda est; et propositio contradictoria conclusionis adhibenda tamquam praemissa altera. Quaenam vero praemissa omitti debeat, significatur per vocalem O, quae in vocabulis *Baroco* et *Bocardo* reperitur; debet igitur in *Baroco* mutari minor, in *Bocardo* maior. Quod autem fit in *Baroco*, id etiam in ceteris modis figurae secundae fit; et id quod in *Bocardo* fit, fit in reliquis figurae tertiae. Unde versiculi:

Maiorem servat variatque secunda minorem.
Tertia maiorem variat servatque minorem.

In quarta figura contradictoria conclusionis fit maior in omnibus modis excepto *Calemes*, in quo fit minor.

De quinta autem figura hi sunt versiculi:

Maior fit minor et fit contradictio maior
Excipe *Celantes*, in quo convertitur ordo.

In modo *Celantes* igitur minor fit maior in argumento novo, et contradictoria conclusionis negatae erit minor.

Neque omittendum est, deductionem ad impossibile non solum fieri posse in forma syllogismi *categorici* inferentis impossibile, sed etiam in forma syllogismi *hypothetici: Si contradictoria meae sententiae falsa est, mea sententia est vera. Atqui ista falsa est. Ergo mea sententia vera.*

253. III. *Reductio per expositionem.* Haec reductio fit, cum termino medio, qui singularis est, substituto in locum medii communis, infertur eadem conclusio, quae inferebatur in syllogismo habente terminum communem. Quae reductio veritatem syllogismo ostensam reddit evidentiorem; sed non valet nisi ad inferendam conclusionem particularem.

Ostendenda sit v. g. consequentia in hoc syllogismo: *Aliqui, qui ecclesiam persecuti sunt, facti sunt apostoli Christi. Atqui omnes, qui ecclesiam persecuti sunt, fuerunt inimici Dei. Ergo aliqui, qui facti sunt apostoli Christi, fuerunt inimici Dei.* Iam intra ambitum termini medii „qui persecuti sunt ecclesiam" invenio *Paulum*, de quo utrumque verum fuit, quod in conclusione affirmandum est. Hinc syllogismum expositorium evidenter legitime concludentem formo: *Paulus factus est apostolus Christi. Atqui Paulus fuit inimicus Dei. Ergo aliquis factus est apostolus Christi, qui fuit inimicus Dei.*

Quamvis hac ratione syllogismus expositorius in omni figura adhiberi possit, aptissime tamen usurpatur in tertia, in qua medium bis subicitur, et omnis conclusio est particularis.

SECTIO II.

De argumentorum divisionibus secundum formam.

254. Syllogismus simplex, compositus, complexus. Imprimis syllogismum simplicem et compositum distinguere solent. Quae tamen divisio ab aliis paulo aliter proponitur.

Aliqui syllogismum simplicem illum intellegunt, cuius terminus medius in praemissis cum utroque extremo *solo* et *integro* coniungitur. Simplici opponunt complexum et compositum. Complexum illum intellegunt, cuius conclusio terminum complexum continet, qui integer in una ex praemissis non continetur, sed partim in una, partim in altera; in quo genere est syllogismus: *Sol est res inanima; sed Persae sunt colentes solis; Persae igitur sunt colentes rei inanimae.* Et compositum illum dicunt, cuius maior est propositio composita, integram conclusionem continens; hi igitur ad compositum revocant condicionalem, disiunctivum, copulativum. Et inter syllogismum simplicem et categoricum ita distinguunt, ut syllogismus omnis sit categoricus, cuius propositiones omnes terminum alterum immediate cum altero coniungunt; id quod in syllogismis omnibus accidit, exceptis disiunctivo et condicionali. Ex hac igitur dividendi ratione syllogismus categoricus latius patet quam syllogismus simplex.

Communior illa divisio est, qua syllogismum omnem categoricum *simplicem* vocant, *compositum* autem vel hypotheticum illum, cuius propositiones non omnes sint categoricae. *Complexum* illum dicunt, qui propositiones complexas continet, i. e. tales, quae licet ipsae simplices sint, tamen, quia aliqua earum pars complexa est, quandam compositarum speciem prae se ferunt.

Scholion. Syllogismorum divisio alia ab aliis est proposita.

Antiquiores peripatetici distinxerunt syllogismos categoricos et hypotheticos; categoricos etiam simplices vel praedicativos

vocarunt. Hypotheticorum dixerunt alios esse proprie hypotheticos, alios disiunctivos, coniunctivos alios.

Posteriores distinxerunt compositos et simplices; compositos distribuerunt in hypotheticos, disiunctivos, coniunctivos; simplices in complexos et incomplexos.

Chrysippus stoicus[1] distinxerat species quinque, quarum haec exempla sunt:

Si est A, est B — A est — ergo est B.
Si est A, est B — non est B — ergo non est A.
Non potest simul esse A et B -- est A (B) — ergo non est B (A).
Aut A est aut B — A est — ergo non est B.
Aut A est aut B — non est B — ergo est A.

Wolff distinguit syllogismum simplicem et compositum; composito adnumerat hypotheticum (condicionalem, conexum) et disiunctivum[2].

Kant tres ponit species coordinatas: syllogismum categoricum, hypotheticum, disiunctivum, quas ex tribus relationis categoriis ducit, ex substantialitate, causalitate, communitate[3]. Alii aliter.

ARTICULUS I.

De syllogismo hypothetico.

255. *Syllogismus hypotheticus* unam vel plures propositiones continet, quae cum nihil absolute affirment aut negent, solum unius affirmationis vel negationis ab altera dependentiam exprimunt. Conclusio igitur nititur in conexione, quae est inter condicionem et condicionatum[4].

Et fieri quidem potest, ut in propositione minore ponatur novus terminus, i. e. terminus, qui non reperitur in maiore, velut in hoc syllogismo: *Sicut vita, mors ita. Atqui vita bona. Ergo mors bona;* vel: *Ubi thesaurus, ibi cor. Atqui in pulvere thesaurus. Ergo in pulvere cor.* Qui syllogismi dicuntur esse secundum assumptionem (κατὰ πρόσληψιν). Fieri etiam potest, ut in minore idem terminus ponatur categorice, qui in maiore positus fuit hypothetice, velut: *Si bene vivis, bene morieris. Atqui bene vivis. Ergo bene morieris.* Et hi syllogismi dicuntur esse secundum

[1] Cf. *Diog. Laërt.*, De vitis, dogm. philos. 7, 1, 49; *Sext. Empir.*, Adv. math., ed. Chouel 162 260.

[2] Logica § 403 416. [3] Logik § 60.

[4] Hunc syllogismum hypotheticum, quatenus ex hypothesi ficta procedat, quae non ut probata vel vera, sed tantum ex gratuito concessis accepta, nullam ad gignendam scientiam vim habere dicit *Aristoteles*, Anal. prior. 1, 44 (50 a 16).

transumptionem (κατὰ μετάληψιν). Sed nemo non videt syllogismos assumptivos facile in transumptivos converti posse.

Cum conclusio in syllogismo hypothetico consequi possit aut vi positae condicionis, aut vi coniunctionis, aut vi disiunctionis, triplex nascitur huius syllogismi species; quarum prima illa est, quae nomen *condicionalis* retinet, altera *disiunctiva*, tertia *coniunctiva*. In quibus tamen species condicionalis praecipua est.

§ 1. De syllogismo condicionali.

256. Syllogismus condicionalis ex antecedente condicionali categoricam eruit conclusionem. Maior syllogismi est propositio condicionalis; minor alterutram partem maioris (condicionem aut condicionatam) affirmat vel negat.

Cum veritas propositionis condicionalis sit in nexu, qui est inter condicionem et condicionatum, duae sequuntur concludendi figurae legitimae (n. 175).

1. Primo enim ex principio: Posita condicione ponitur condicionatum, consequens est, ut recte concludatur a veritate condicionis ad veritatem condicionati, velut cum dicis: *Si Deus est sanctus, odit peccatum. Atqui Deus est sanctus. Ergo odit peccatum.*

Non vero ex affirmatione condicionati sequitur condicionem esse affirmandam. Ita si quis dicit: *Si multum curris, fatigaris;* inferre licet: *atqui multum curris, ergo fatigaris;* at non concludit: *atqui fatigaris, ergo multum curris.* Nam ex alia causa quis potest fatigari.

2. Ex secundo principio: Sublato condicionato tollitur condicio legitime inferimus a falsitate condicionati falsitatem condicionis. Legitime ergo concludes: *Si ecclesia errat, Deus mentitur. Atqui Deus non mentitur. Ergo ecclesia non errat*[1].

Non tamen vice versa ex negatione condicionis infertur negatio condicionati; v. g. *Si multum curris, fatigaris. Atqui non multum curris. Ergo non fatigaris.* Conclusio illegitima est, potes enim ex alio labore fatigari.

Duplex igitur est figura syllogismi hypothetici: *affirmativa,* in qua condicio affirmatur, *negativa,* in qua condicionatum negatur.

[1] Praeclarum quoque huius rei exemplum illud est, quod ex scriptis *S. Augustini* (De civit. Dei 2, 13) afferunt hoc loco rhetorici. Attendens ille ad sacerdotes idololatras, quos Graeci summo honore prosequebantur, Romani a dignitatibus omnibus arcebant: Proponunt, inquit, Graeci: *Si dii tales colendi sunt, profecto etiam tales homines honorandi.* Assumunt Romani: *Sed nullo modo tales homines honorandi sunt.* Concludunt christiani: *Nullo modo igitur dii tales colendi sunt.*

257. Praecipue vero animadvertenda est illa partium propositionis maioris (condicionalis) diversitas, quae affirmatione et negatione constituitur. Nam utraque pars affirmativa esse potest, potest etiam utraque esse negativa. Praeterea condicio negativa esse potest, dum condicionatum est affirmativum, et contra. Quapropter *ex quattuor modis* argumentatio procedere potest. Qua de re sunt duae regulae:

1. In priore figura legitima qualitas negativa aut affirmativa partium semper servatur tum in minore tum in conclusione, velut cum dicitur: *Si homo non est animal brutum, non vivere debet ut animal brutum. Sed homo non est animal brutum. Ergo non debet vivere ut animal brutum.*

In figura altera legitima mutatur in minore et conclusione qualitas partium: *Si bene agis, non vapulas. Atqui vapulas. Ergo non bene agis.*

2. Quaecumque est qualitas partium, in prima figura argumentatio est semper affirmativa; semper enim in conclusione veritas condicionati affirmatur. In secunda autem figura semper est negativa, quia semper in conclusione negatur condicionis veritas.

Hac igitur ratione omnes syllogismi condicionalis modi exhiberi possunt.

Pro prima figura:

a) Modus ponendo { ponens: Si A est, est B — A est — Ergo est B.
tollens: Si A est, non est B — A est — Ergo non est B.

Si homo cogitare potest, anima eius est immortalis.
Si Christus fundavit ecclesiam, non est magistra erroris.

b) Modus tollendo { ponens: Si A non est, est B — A non est — Ergo est B.
tollens: Si A non est, non est B A non est — Ergo [non est B.

Si cum hac vita non omnia pereunt, vae peccatori!
Si duellum non est lege naturali licitum, non fit ullo praeiudicio honestum.

Pro secunda figura:

a) Modus tollens { tollendo: Si A est, est B — non est B — Ergo non est A.
ponendo: Si A est, non est B est B — Ergo non est A.

Si Christus est merus homo, est omnium pessimus.
Si homo necessario agit, non est moralitatis capax.

b) Modus ponens { tollendo: Si A non est, est B — non est B — Ergo est A.
ponendo: Si A non est, non est B — est B — Ergo est A.

Si Christus non surrexit, vana est fides nostra.
Si Deus non est, mundus non est.

258. Sed adhibentur interdum syllogismi, in quibus omnes propositiones condicionales sunt, velut: *Si plantae se ipsas perficiunt, vivunt. Atqui si vivunt, non sunt machinae. Ergo si plantae se ipsas perficiunt, non sunt machinae.* Sed tota haec argumentandi ratio, rem si spectas, a ratione categorica non differt. Ex hoc enim principio proficiscitur, quod absolutum est: *Condicio condicionis est condicio condicionati.* Et ad hanc formulam generalem revocari potest: Primum est condicio secundi et secundum est condicio tertii; ergo primum est condicio tertii.

Distinguere solent hypotheticum syllogismum purum et mixtum. *Purus (ὁ δι' ὅλων ὑποθετικός)* est, cuius utraque praemissa hypothetica est; *mixtus,* qui ex una praemissa hypothetica constat, altera categorica.

Quae res his exemplis illustrari potest: *Si Deus est, sanctus est. Si sanctus est, peccatum odit. Ergo si Deus est, peccatum odit. — Si quis se ipsum diligit, diligit Deum. Si quis inimicum odit, non diligit Deum. Ergo si quis se ipsum diligit, non odit inimicum. — Si scientia sanam rationem sequitur, in errores graves incidere non potest. Si scientia sanam rationem sequitur, ecclesia eam adiuvat. Ergo si ecclesia scientiam adiuvat, interdum scientia sic procedit, ut in errores grares incidere non possit* (hoc modo concludendum ratione *formae,* ratione *materiae* conclusio amplior esse poterit). — *Si pauperes Deum diligunt, non sunt infelices. Si pauperes vitam religiosam degunt, Deum diligunt. Ergo si pauperes sunt infelices, non degunt vitam religiosam.*

Deinde fieri potest, ut conclusio argumenti sit condicionalis hoc modo: *Machinae non habent vitam. Ergo si plantae vitam habent, non sunt machinae.* In quo syllogismo altera praemissarum ut condicio in ipsam conclusionem ingeritur, quo efficacius attentio mentis dirigatur in ipsam consequentiae rectitudinem.

Nonnumquam denique accidit, ut condicionales compositae sint in argumentatione hoc modo: *Si Deus est ens a se, cum sit necessarium, est ens immutabile. Atqui Deus ens est a se. Ergo cum sit ens necessarium, est ens immutabile.* Quae condicionales hoc modo compositae vocari possunt *condicionales causales,* quia condicionali additur causa sive ratio, qua consequentia nititur.

§ 2. De syllogismo disiunctivo et coniunctivo.

259. 1. **Syllogismus disiunctivus** est ille syllogismus hypotheticus, cuius praemissa maior propositionem disiunctivam continet (n. 176). Cuius rei exemplum sit illud *Tullii: Aut metuamus Carthaginienses oportet, si incolumes eos reliquerimus, aut eorum urbem diruamus. At metuere quidem non oportet. Restat igitur, ut urbem diruamus.*

Cuius syllogismi cum condicionali coniunctio vel eo apparet, quod facile in condicionalem verti potest hoc modo: *Si Carthaginienses metuere non oportet, urbs eorum delenda est. Atqui metuere non oportet. Restat igitur, ut urbem diruamus.*

Regula primaria: Ad legitimam consequentiam requiritur, ut *disiunctio* sit *completa.* Cum in propositione *proprie* disiunctiva omnes partes ex natura rei neque simul esse verae queant neque simul falsae, pro syllogismo disiunctivo duplex habetur concludendi figura legitima. Aut enim 1° una parte in minore negata, reliqua pars in conclusione affirmatur, aut 2° una parte disiunctionis in minore affirmata, reliqua pars in conclusione negatur. In utraque porro figura pro diversa partium qualitate diversus est concludendi modus.

In I^{a} figura:	In II^{a} figura:
Hic homo est aut diligens aut piger.	
Est aut B aut C.	Est aut B aut C.
Non est B.	Est B.
Ergo est C.	Ergo non est C.
Hic homo est aut piger aut non sanus.	
Est aut B aut non C.	Est aut B aut non C.
Non est B.	Est B.
Ergo non est C.	Ergo est C.
Hic homo est aut non sanus aut piger.	
Est aut non B aut C.	Est aut non B aut C.
Est B.	Non est B.
Ergo est C.	Ergo non est C.
Hic homo est aut non sanus aut non diligens.	
Est aut non B aut non C.	Est aut non B aut non C.
Est B.	Non est B.
Ergo non est C.	Ergo est C.

In propositione *improprie* disiunctiva cum una saltem debeat esse vera, non quidem omnes partes simul possunt esse falsae: sed omnes simul possunt esse verae. Quapropter, una parte in minore affirmata, non recte reliqua pars in conclusione negatur; non igitur in hoc syllogismo alia praeter primam figuram legitime adhiberi potest.

Quod his exemplis illustratur: *Petrus magistrum suum vel ex levitate vel ex falso respectu humano vel ex ignavia vel ex perfidia negavit. — Eleemosyna, quam avarus dabit, generatim vel non libere vel non pura inten-*

tione vel non ex rebus suis vel non benigno modo fiet. — Opus artis est vel honestum vel non pulchrum.

Quibus omnibus ex rebus haec colliguntur:

1. Qualitas eius partis, quae loco minoris ponitur, mutatur in prima figura, non mutatur in secunda; qualitas vero partis, quae in conclusione infertur, conservatur in prima figura, non autem in secunda.

2. Ratio argumentationis in prima figura semper est affirmativa, in secunda negativa, propterea quod in hac conclusio partem maioris ipsam quam continet invertit, in illa vero eam talem qualis est relinquit.

3. Regulae statutae vim habent etiam in syllogismis, quorum disiunctiva pluribus quam duobus membris constat. Qua in re id tantum est observandum, si in conclusione plura membra habeantur, affirmationem eorum disiunctive, negationem vero copulative esse intellegendam.

260. 2. **Syllogismus coniunctivus** est ille syllogismus hypotheticus, in cuius praemissa maiore propositio coniunctiva ponitur.

In propositione stricte coniunctiva non potest utrumque membrum esse verum, quamvis per se utrumque possit esse falsum (n. 177). Hinc a falsitate unius membri concludere non licet ad veritatem alterius. Unica ergo est huius syllogismi figura, quae pro diversa tamen qualitate propositionis coniunctivae diversos habet concludendi modos: *Custodes ad Christi sepulcrum non potuerunt et dormire et videre discipulos corpus furantes. Non potestis Deo servire et mammonae.*

In propositione autem non stricte coniunctiva exceptio ab hac regula habetur, cum membra enumerata sunt omnia, quae ex natura rei illi subiecto convenire possunt. Tum enim propositio coniunctiva aequivalet propositioni disiunctivae, quae et alteram concludendi figuram admittit, quae est a falsitate unius membri ad veritatem alterius. Velut: *Deus non potest simul esse sanctus et peccatum non odisse. Christus non potest simul esse non verus Deus et homo iustus. Ecclesia non potest esse simul fallibilis et magistra gentium.*

Quibus dictis liquet, recte inferri ex negata una parte affirmandam alteram (fig. I), et ex affirmata una negandam alteram (fig. II) in syllogismis proprie disiunctivis et improprie coniunctivis; in syllogismo vero improprie disiunctivo solum ex negatione unius partis recte affirmationem concludi alterius (fig. I), et in syllogismo proprie coniunctivo tantum ex affirmatione unius partis recte sequi negationem alterius (fig. II).

§ 3. Syllogismi hypothetici ad categoricum reductio.

261. Syllogismum proprie condicionalem, quem diximus inter hypotheticos esse praecipuum, ad categoricum reduces, si in conclusione quaeris duo extrema et pro termino medio sumis illum, qui in utraque praemissa est positus. Id cum generaliter praecipi soleat, enucleatius quoque dici potest, ita ut vel ad materiam advertatur animus vel etiam ad formam.

Materiam si spectas, ut fiat reductio, vel praesto est propositio categorica, vel quaerenda est, quae ad legitimam reductionem inservire possit. Ita syllogismus: *Si mundus est a Deo creatus, omnino a Deo pendet. Atqui mundus est a Deo creatus. Ergo . . .* reducetur ad hunc: *Quidquid est a Deo creatum, a Deo omnino pendet. Atqui . . . Ergo . . .* Difficilius erit negotium, cum convertendus sit syllogismus: *Si Deus non exsistit mundus non exsistit. Atqui mundus exsistit. Ergo Deus exsistit.* Qui aliqua ratione converti potest in hunc categoricum: *Causa mundi exsistentis exsistit. Atqui Deus est causa mundi exsistentis. Ergo Deus exsistit.* Quam difficultatem experieris, quotienscumque condicio et condicionatum diversa subiecta habent.

Formam si spectas, haec tenere satis erit: 1° in figura syllogismi condicionalis prima loco termini medii esse condicionem, in secunda autem condicionatum; 2° syllogismos condicionales figurae primae reduci ad *Barbara,* secundae figurae ad *Camestres.*

Reductionem syllogismi *disiunctivi* et *coniunctivi* quod attinet, propositiones disiunctivas et coniunctivas in propositiones condicionales facile converti posse vidimus. Ita propositio disiunctiva: Est aut A aut B, his aequivalet propositionibus: Si A est, non est B; et si A non est, est B; vel si mavis: Si B est, non est A; et si B non est, est A. Quod facile applicabis ad exemplum: *homo est aut pro Christo aut contra Christum.*

Consimiliter propositio coniunctiva: Non potest simul esse A et B, mutabitur in hanc: Si A est, non est B; vel: Si B est, non est A. Vides igitur, in quam condicionalem mutanda sit haec: *homo non potest simul servire Deo et peccato.*

Itaque syllogismi disiunctivi et coniunctivi interveniente syllogismo condicionali facile in categoricos mutantur. Sed etiam *immediate* interdum sine difficultate in categoricos convertuntur secundum hanc formulam:

Ratio { negandi / affirmandi } A (vel B) est ratio { affirmandi / negandi } B (vel A)

Adest ratio { negandi / affirmandi } A (vel B)

Ergo adest ratio { affirmandi / negandi } B (vel A)

ARTICULUS II.

Aliae species syllogismi compositi earumque reductio.

§ 1. De syllogismis categoricis, qui propositionem vel aperte vel occulte compositam continent.

262. 1. In syllogismis, qui propositiones *copulativas* vel *adversativas continent*, modo per terminum medium simplicem complura de uno vel unum de compluribus, modo per terminum medium multiplicem unum de altero vel complura de compluribus concludere possumus. Hinc aliquando una solum, aliquando utraque praemissa erit composita, et varia id quidem ratione. Attendendum igitur in singulis rebus, num et quomodo syllogismus copulativa vel adversativa propositione multiplex in syllogismos simplices resolvi possit atque debeat. Exemplis res patebit. Syllogismus hic quamvis compositus in plures resolvi non potest: *Qui nihil est et tamen alte de se sentit, superbus est. Atqui is qui nihil est et tamen alte de se sentit, etiam stultus est. Ergo superbus etiam stultus est.* E contrario hic alter syllogismus in quattuor dissolvi poterit: *Vanum et periculosum est sectari bona, quae pereunt. Atqui divitiae et honores sunt bona, quae pereunt. Ergo vanum et periculosum est sectari divitias et honores.*

263. 2. Syllogismi, quibus inest propositio *correlativa*, interdum contra regulas pluribus quam tribus terminis constare videntur: at facta resolutione omnis difficultas evanescit.

Velut in his exemplis: *Inde maxima gaudia vel maximos dolores nanciscimur, unde pendet aeternitas. Atqui aeternitas pendet a morte. Ergo a morte maxima gaudia vel maximos dolores nanciscimur.* Vel: *Homo tanti ab aliis aestimatur, quanti valet. Atqui non raro tanti valet, quantum habet pecuniae. Ergo homo non raro tanti aestimatur, quantum habet pecuniae.*

Quae ita explicantur: *Momentum, a quo pendet aeternitas, est momentum, a quo . . . nanciscimur. Atqui momentum, a quo pendet aeternitas, est mors. Ergo mors est momentum, a quo . . . nanciscimur.* Et: *Mensura valoris est mensura aestimationis hominis. Atqui mensura valoris est non raro pecunia. Ergo pecunia non raro est mensura aestimationis hominis.*

264. 3. Syllogismus totus continetur in quavis propositione *causali*. Si igitur in aliquo syllogismo habetur propositio causalis, videndum saepe, numquid quasi exempli causa vel per modum comparationis adiectum sit, quod ad syllogismum per se non pertineat.

Haec causalis propositio: *Vita hominis in terra misera est, nam plurimis malis periculisque abundat,* hunc syllogismum ex-

hibet: *Quod plurimis malis periculisque abundat, miserum est. Atqui vita hominis in terra plurimis . . . abundat. Ergo vita hominis in terra misera est.*

Quodsi iam illa propositio causalis alium syllogismum ingreditur, membrum aliquod supervacaneum est et quasi comparationis causa additum: *Vita hominis . . . abundat. Mors hominis plurimis malis periculisque abundat. Ergo mors hominis misera est* (sicut etiam vita ob eandem rationem).

265. 4. In syllogismis, qui unam vel alteram propositionem aperte vel occulte *exclusivam* habent, praecipue attendendum, ut exclusiva rite in exponentes propositiones resolvatur. Tum vis earum et significatio patet, et facile secundum regulas communes argumentum componi aut refutari poterit et omnis etiam exceptio a regulis communibus, quae fortassis adesse videbatur, eo ipso sublata erit.

Solus Deus est omnipotens.	=	*Deus est omnipotens, et quidquid non est Deus, non est omnipotens.*
Sed nulla creatura pura est Deus.	=	*Sed omnis creatura pura non est Deus.*
Ergo nulla creatura pura est omnipotens.	=	*Ergo omnis creatura pura non est omnipotens.*

Planta habet solum vitam vegetativam.	=	*Planta habet (vitam vegetativam et) non vitam sensitivam.*
Sed brutum habet vitam sensitivam etiam.	=	*Brutum habet vitam (vegetativam et) sensitivam.*
Ergo brutum non est planta.	=	*Ergo brutum non est planta.*

E contrario syllogismus qui sequitur non concludit, quia supponit propositionem exclusivam, quae non est exclusiva: *Omnes electi sunt vocati (et non electi non sunt vocati?). Sed pauci sunt electi. Ergo pauci sunt vocati.*

Propositio denique: *anima hominis tantum non est naturaliter corruptibilis,* ex se ambigua est et facile falsae conclusioni occasionem praebere poterit, nisi recte secundum rem de qua agitur exponatur.

5. Si propositio reduplicativa vel specificativa in syllogismo continetur, cavendum, ne reduplicatio vel specificatio a suo termino seiungatur, ut in hoc exemplo: *Homo, quatenus est animal, est ens mortale. Sed homo est rationalis. Ergo aliquod animal, quatenus est rationale, est ens mortale.*

§ 2. De syllogismo complexo.

266. **Syllogismus complexus** generatim ille est, qui propositionem complexam continet. Et fieri potest, ut haec complexio nonnum-

quam aliquam difficultatem pariat ratiocinantibus. Ex sescentis rebus, quae sese considerationi offerre possint, aliquas tantum speciminis causa breviter indicandas sumimus:

1. Occurrunt syllogismi, in quibus unum vel alterum extremum complexum in praemissis divisum est, ut una pars cum termino medio in maiore, altera in minore componatur, hoc pacto: *Catholici credunt magisterio ecclesiae. Atqui ecclesia est infallibilis. Ergo catholici credunt magisterio infallibili.*

2. Inde etiam oritur difficultas, quod in conclusione propositio, quae incidens videtur, revera est principalis, et quae principalis videtur, tantum incidens in argumenti ratione. Velut in hoc syllogismo: *Christiana lex praecipit, ut proximos nostros sicut nosmet ipsos diligamus. Atqui peccatores sunt proximi nostri. Ergo christiana lex praecipit, ut peccatores . . . diligamus.*

3. Ad hunc locum pertinent syllogismi, qui terminis constant obliquis, i. e. non in casu nominativo positis. Hoc modo: *Vere humilis est, nec laudes quaerere nec vituperiis offendi. Atqui omnes sancti fuerunt vere humiles. Ergo omnium sanctorum fuit, nec laudes quaerere nec vituperiis offendi.*

4. Denique cautio adhibenda est in syllogismis, qui tres propositiones negativas continere videntur. Velut cum quis dicit: *Quidquid non habet partes, non potest dissolutione perire. Atqui anima humana non habet partes. Ergo anima humana non potest dissolutione perire.*

Ad horum syllogismorum difficultates solvendas eorumque legitimam consequentiam evidentius ostendendam non remanet, nisi ut syllogismos complexos in simplices redigamus. Quod ut plurimum facilius fieri poterit, si ex syllogismo complexo tres illos conceptus atque ipsos terminos, in ratiocinio inter se comparatos, seligere studeamus selectosque in syllogismum simplicem componamus. Neque raro in hac reductione maxime proderit, conceptus positivos verbis etiam affirmativis reddere, non vero negativis. Ceterum vel iuvenili ingenio breve post exercitium iam non erit difficile, syllogismum quemlibet per substitutionem ad legum communium normas revocare. Ita in exemplis positis nullo negotio syllogismos evidentes compones, si brevi consideratione et legitima verborum commutatione has praemissas maiores inveneris: *Ecclesia est magistra infallibilis. — Secundum legem christianam proximos ut nosmet ipsos diligere debemus. — Vere humilis non quaerit laudes nec vituperiis offenditur. — Ens simplex non potest dissolutione partium perire.*

§ 3. De syllogismo modali.

267. *Modalem* dicunt syllogismum, in quo vel utraque praemissa modalis est vel altera modalis, altera „de inesse“ sive absoluta. Modales autem, quae in uno eodemque syllogismo coniunguntur, eiusdem rationis esse possunt vel diversae. Huius igitur syllogismi materia proxima sunt duae propositiones, quarum saltem una modalis sit, quae multis modis inter se permisceri possunt. Materia remota sunt tres termini, in quibus non numeratur modus. Modus sicut in conversione modalium non numeratur inter praedicata et subiecta, ita in syllogismis modalibus non numeratur in terminis. Quo autem facilius natura syllogismi modalis perspiciatur, convenit, ut mutetur in absolutum. Ita syllogismum: *Necesse est, omne animal mori. Atqui necesse est, omnem hominem esse animal. Ergo necesse est, omnem hominem mori*, convertes in hunc: *Omne animal mori debet. Atqui homo est animal. Ergo omnis homo mori debet*[1].

Verum nunc quaeritur, quae indoles tribuenda sit conclusioni, si indoles praemissae maioris diversa est ab indole praemissae minoris. Qui locus sane lubricus est neque sine ratione logicorum crux esse dicitur. At saepissime in omni scientia occurrunt argumentationes vel *ex* necessario aut impossibili vel *ad* necessarium aut ad impossibile, quare accuratius rem proponere placet.

Regulas disponimus secundum diversas conclusiones.

268. I. *De consequente necessario.*

Regula generalis: *Consequens necessarium sequitur ex omni et solo modo legitimo cuiusque figurae cum utraque praemissa necessaria.*

„Sciendum est, quod syllogismi de necessario aliqui habent ambas propositiones necessarias, et tunc in quacumque figura vel modo fiant, semper conclusio est necessaria.“[2] Videtur quidem secundum *Aristotelem* et multos qui eum sequuntur, etiam sequi posse consequens necessarium sub quibusdam condicionibus, si altera tantum propositio est necessaria, altera absoluta. Sed ex distinctione de dicto simpliciter et dicto de nunc, quam deinde adhibent, elucet eos solum tunc respicere casus, in quibus propositio in se quidem est necessaria, nec tamen id explicite per modum additum declaretur.

Docuerat *Aristoteles* fieri posse, ut ex maiore necessaria et minore „de inesse“ (mere affirmativa seu absoluta) sequeretur conclusio necessaria,

[1] *Fonseca*, Instit. dial. 6, 29.

[2] *S. Thom.*, Opusc. 44 de tot. log. summa tract. 7, c. 13.

veluti in hoc exemplo: *Omne currens necessario movetur. Atqui Socrates currit. Ergo Socrates necessario movetur* [1]. Contra recte *Eudemus* et *Theophrastus* statuerunt conclusionem semper partem debiliorem sequi. Maior ceteroquin distinguenda est secundum sensum compositum et divisum et secundum necessitatem simpliciter et secundum quid (hypotheticam), quod patet syllogismo posito: Quod necessario movetur, semper movetur; atqui currens necessario movetur; ergo currens semper movetur. *Distinguo minorem* et *consequens:* currens reduplicative sumptus, i. e. qua et quando currens est, necessario (et semper) movetur, *conc.;* ille qui nunc currens est, semper currit et movetur, *negatur*. Porro omnino distingui debet inter *necessario sequitur* et *sequitur necesse esse*. Prius verum est de omni conclusione legitima; alterum requirit, ut terminus medius *necessario* coniungatur cum utroque extremo.

Cum propositio necessaria aequivaleat duplici, scil. de dicto et de modo, ad conclusionem vere necessariam ex natura ratiocinii duo requiruntur: modus legitimus figurae ad consequentiam dicti, et *necessitas* utriusque praemissae, quia peiorem sequitur conclusio partem.

269. II. *De consequente impossibili.*

Regula generalis: *Conclusio de impossibili seu consequens impossibile sequitur ex omni et solo syllogismo, qui aequipollet syllogismo legitimo ad consequens necessarium.* Ratio est evidens, quia quaelibet propositio impossibilis habet aequipollentem necessariam (cf. schema n. 198).

Necessarium a aequipollet impossibili o et vice versa
„ e „ „ i „
„ i „ „ e „
„ o „ „ a „

Utriusque regulae veritas facile ad oculos demonstrari potest applicatione schematum geometricorum, quae habentur supra n. 246 sq.

270. Ex dictis patet, quid in qualibet figura sequi possit ex syllogismis, qui habent aut utramque praemissam necessariam, aut utramque impossibilem, aut unam necessariam, alteram impossibilem.

1. Si utraque praemissa est necessaria, simpliciter applicandae sunt regulae figurarum, v. g.

Necesse est omnem hominem esse animal
Necesse est omnem musicum esse hominem
Sequitur omnem musicum esse animal
(Est enim *Barbara* legitimus modus fig. I^{ae}.)

[1] *Ueberweg,* System der Logik § 119.

2. Si iungitur praemissa necessaria cum praemissa impossibili, huic substituatur aequipollens necessaria; solum si tunc oritur modus legitimus figurae, adest consequentia, v. g.

Impossibile est aliquod mutabile esse necessarium } = { Necesse est nullum mutabile esse necessarium
Necesse est omnem arborem esse mutabilem

Sequitur:

Impossibile est aliquam arborem esse necessariam } = { Necesse est nullam arborem esse necessariam

Maior enim impossibilis aequipollet necessariae M e P, et sic est syllogismus necessarius in *Celarent*, legitimo modo I^ae^ figurae.

3. Si utraque praemissa est impossibilis, substituatur utrique aequipollens necessaria, v. g.

Impossibile est aliquod mutabile esse necessarium } = Necesse nullum M—P Ce-
Impossibile est aliquam arborem non esse mutabilem } = Necesse omnem S—P la-
Sequitur: Impossibile est aliquam arborem esse necessariam } = Nullum S—P rent

Sed contra:

Impossibile est omne animal esse hominem = Necesse est aliquod animal non esse hominem } Necesse M o P
Impossibile est nullum asinum esse animal = Necesse est aliquem asinum esse animal } Necesse S i m

Nihil sequitur; nam utraque praemissa est particularis.

Haec de consequente necessario et impossibili sufficiunt.

In prima figura omnis propositio modalis necessaria a, e, i, o et etiam omnis modalis impossibilis demonstrari potest.

In figura secunda solum demonstrari possunt modalis necessaria negativa e et o, et ideo solum modalis impossibilis i et a.

In figura tertia solum demonstratur modalis necessaria particularis i et o, et ideo impossibilis a et e.

Necessaria a (et impossibilis o) in sola prima figura obtinetur ut conclusio.

271. III. De consequente *possibili et contingente* (i. e. quod S possit non esse) haec sufficiant:

1. Ex regulis illationis immediatae sequitur omnem conclusionem *affirmativam* (sive absolutam sive necessariam) includere propositionem *possibilem*, et omnem negativam dicere rem posse non

esse: nam ab *esse* valet illatio ad *posse* et a *non-esse* ad *posse non-esse*.

2. De conclusione *contingente* ex praemissa utraque contingente cum *Aristotele* omnes statuunt, quod dicit *S. Thomas*: „Sciendum, quod in prima figura, utraque propositione exsistente de contingenti, etiam conclusio erit de contingenti sic: Contingit omne album esse musicum, contingit omnem hominem esse album. Ergo contingit omnem hominem esse album. Et sic de aliis modis." [1] Non vero id ad reliquas figuras extendi potest. Sed cum conclusiones de contingenti et possibili minoris sint momenti, non diutius iis immorandum.

272. IV. De syllogismis mixtis et possibilibus aliqua sufficiant exempla.

Possibile est omne sedens stare.
Possibile est omnem canem sedere.
Possibile est omnem canem stare.

Necesse est omnem musicum esse hominem.
Aliquis albus potest esse musicus.
Aliquis albus necessario est homo.

Possibile est omne rationale loqui.
Omnis homo necessario est rationalis.
Possibile est omnem hominem loqui.

Possibile est omnem mathematicum loqui.
Caius est mathematicus.
Caius potest loqui.

Omne currens movetur.
Caius potest currere.
Caius potest moveri.

Nullum viride est album.
Aliquod animal necessario est viride.
Aliquod animal necessario non est album.

Omne animal movetur.
Homo est necessario animal.
Homo movetur.

Nullus grammaticus ignorat declinationes.
Possibile est omnem hominem ignorare declinationes.
Possibile est nullum hominem esse grammaticum.

Possibile est omnem geometram ridere.
Omnis geometra est mathematicus.
Possibile est aliquem mathematicum ridere.

[1] Opusc. 44 de tot. log. summa tract. 7, c. 14.

ARTICULUS III.

De argumentationibus secundum formam a syllogismo diversis.

273. I. **Enthymema** *(ἐνθύμημα)* sive syllogismus decurtatus est, ut dicit *Boethius,* oratio, in qua, non omnibus ante constitutis propositionibus, infertur festinata conclusio, velut cum quis dicit: *Virtus est, qua nemo male uti potest. Ergo virtus est simpliciter bona;* vel: *Id quo nemo male uti potest, est simpliciter bonum. Ergo virtus est simpliciter bona.* Itaque, quod enthymema est in ore, est in mente syllogismus; et syllogismum profers, si sumptionem quae subauditur exprimas. Neque difficile est praemissam suppressam supplere, modo animadvertatur, utrum extremorum in antecedente enthymematis expressum sit. Si enim in antecedente invenitur extremum maius sive praedicatum conclusionis, omissa est minor; si extremum minus sive subiectum conclusionis, supplenda erit maior. Si attenditur deinde ad locum, quem in antecedente occupat extremum, cognosci poterit figura, ad quam enthymema completum trahi debeat. In hoc enthymemate: *Nullus avarus est felix. Ergo aliquis dives non est felix,* reticetur minor, quae duplici ratione poni potest: *Atqui aliquis dives est avarus,* qui syllogismus primae figurae est; vel: *Atqui aliquis avarus est dives,* qui syllogismus in figura tertia est.

Quodsi nullum extremorum in antecedente reperiatur, syllogismus complendus erit hypotheticus, velut cum dico: *Paucissimi fiunt admodum divites. Ergo permulti sunt pauperes.*

Simili fere modo ex unica propositione enthymematica integer syllogismus extrahi potest; in quo genere sunt: *Homo libero arbitrio praeditus, actionum suarum rationem reddere debet;* vel: *Deus sanctus peccatum odit.*

Scholion 1. Et multifariam falsitas occultata sub forma „enthymematum" cotidianum vitae usum regere solet. Cuiusmodi sunt: Hoc placet sensui; ergo faciendum. Hoc molestum; ergo omittendum. Hoc infeliciter; ergo imprudenter et male factum. Hoc felicem eventum habuit; ergo bene factum. Hoc laudatum ab hominibus; ergo bonum. Hic vel ille dixit; ergo verum. Ego hoc dixi; ergo infallibile. Odi istum; ergo pessimus est. Erga illum iucunde afficior; ergo bonus est. Cupio hoc ita esse; ergo est. Ille pulchre dicit; ergo verum est, quod dicit. Hoc non apparet; ergo non est. Ego non intellego; ergo non est verum.

Scholion 2. Enthymema primo sumebatur pro syllogismo ex probabilibus et signis confectus, velut: Liberi parentes amant; atqui Petrus est filius Andreae; ergo Petrus Andream amat. Inde enthy-

mematis vox translata est ad significandum syllogismum quemlibet incompletum sive decurtatum[1], cuius videlicet praemissa una propter facilitatem mente retinetur.

274. II. **Epichirema** (*ἐπιχείρημα*. aggressio[2]) est syllogismus abundans, cuius praemissa una vel utraque sui rationem additam habet. Cum haec addita propositio causalis ipsam syllogismi formam non afficiat, de huius argumentationis rectitudine ex reliquis partibus propositionum secundum communes leges syllogismi iudicandum est. Quia autem unaquaeque propositio causalis in se completum syllogismum complectitur, apertum est epichirema pro numero propositionum causalium in duos vel tres syllogismos dissolvi posse. Quod exemplo facile sibi quisque illustrare potest: *Homo habet animam spiritualem, potest enim cogitare. Atqui anima spiritualis est immortalis, quia ens spirituale corrumpi non potest. Ergo homo habet animam immortalem.*

Scholion. Epichirema etiam ad argumenta probabilia et rhetorica referebatur. Ut argumentatio probabilis efficacior esset, a dialecticis et magis etiam a rhetoribus additae sunt rationes. Inde nomen translatum est ad omnem syllogismum abundantem.

275. III. **Polysyllogismus** vel syllogismus concatenatus est syllogismorum catena sive argumentatio, in qua uni syllogismo alter ita coniungitur, ut conclusio praecedentis sit loco praemissae syl-

[1] Hac de re *Trendelenburg:* „Enthymematis nomen si qui inde ducunt, quod propositio vel assumptio *ἐν θυμῷ* (animo) retineatur, cum ab origine graeca, tum ab Aristotelis usu discedunt. Verius igitur I. Facciolati putat enthymema dici, quia sit sententia quaedam seu commentatio mentis nostrae quaerentis in re aliqua, quid vero consentaneum sit et ad persuadendum accommodatum; esse enim *ἐνθυμεῖσθαι* versare animo, cogitare, commentari“ (Elementa logic. Arist.[5] § 37, p. 115).

[2] *Ἔστι δὲ φιλοσόφημα μὲν συλλογισμὸς ἀποδεικτικός, ἐπιχείρημα δὲ συλλογισμὸς διαλεκτικός, σόφισμα δὲ συλλογισμὸς ἐριστικός, ἀπόρημα δὲ συλλογισμὸς διαλεκτικὸς ἀντιφάσεως* (*Arist.*, Top. 8, 11 [162 a 15]). Passim distinguere solet Aristoteles 1° *φιλοσόφημα*, quod est *συλλογισμὸς ἀποδεικτικός* sive syllogismus scientificus, quia ex propositionibus veris et certis et causam conclusionis exhibentibus conclusionem infert, quae scientiam gignat. — 2° *ἐπιχείρημα*, quod est *συλλογισμὸς διαλεκτικός* sive syllogismus inquisitorius, quia ex propositionibus probabilibus procedit et a dialecticis in disputando adhibetur ad inveniendam veritatem. — 3° *σόφισμα*, quod est *συλλογισμὸς ἐριστικός* sive syllogismus contentiosus, quia constat ex praemissis, ex quibus videtur sequi conclusio, sed non sequitur, et quia solum ad inutiles altercationes inservit. — 4° *ἐνθύμημα*, quod est *συλλογισμὸς ἐξ εἰκότων ἢ σημείων* sive syllogismus ex verisimilibus et signis, quia ex propositionibus probabilibus et signis certis vel probabilibus conclusiones oratorias infert, quae accusationes vel defensiones auditoribus credibiles reddant. Ex hoc fine enthymema ab *Aristotele* etiam vocatur syllogismus rhetoricus (cf. Rhet. 1, 2 [1356 b 4]).

logismi sequentis. Qui praecedit, prosyllogismus vocatur; qui sequitur, episyllogismus. Progressus a prosyllogismo ad episyllogismum (a principiis ad principiata) dicitur syntheticus vel episyllogisticus, regressus ab episyllogismo ad prosyllogismum vocatur analyticus vel prosyllogisticus. Cum in polysyllogismo forma syllogistica expressa sit, vix restat, quod explicatione indigeat. Facile enim regulae syllogismorum singulis partibus applicantur.

Sed tamen quaestio ab aliquibus logicis est posita, quotuplici modo syllogismus bimembris, qui ex quattuor terminis (P, M, N, S) constat, effici possit. Exemplum sit hoc: *Quidquid hominem perficit (M), dignum est eius studio (P). Atqui scientiae omnes (N) hominem perficiunt (M). Ergo scientiae omnes (N) hominis studio dignae sunt (P). Atqui logica (S) est scientia (N). Ergo logica (S) studio hominis est digna (P).* Hac de re cogitanti apertum erit syllogismum, qui incipiatur in figura prima et secunda, continuari non posse nisi in figura prima vel tertia; — syllogismum inceptum in figura tertia non continuari nisi in eadem figura tertia; — confici non posse talem syllogismum in sola figura secunda; — tres figuras simul in uno syllogismo reperiri posse, si initium sit in figura secunda, sequatur prima, finis sit in figura tertia[1].

276. IV. **Sorites** *(σωρείτης)*, gradatio, sive ut *Tullius* interpretatur, *acervalis*[2], est propositionum series ita conexarum, ut identidem praedicatum praecedentis fiat subiectum sequentis, donec formetur conclusio, in qua subiectum primae cum praedicato ultimae coniungatur; ut cum quis dicit: *Qui bene vivit, bene moritur. Qui bene moritur, salvabitur in iudicio. Qui salvabitur in iudicio, aeterna fruetur beatitudine. Ergo qui bene vivit, aeterna beatitudine fruetur.* Quae gradatio ut recta sit, requiritur, ut ne una quidem praemissa falsa sit vel dubia; ut praedicatum propositionis praecedentis, dum in locum subiecti propositionis insequentis transfertur, eandem plane vim et significationem retineat. Cavendum igitur est, ne inter propositiones affirmantes ullā intermisceatur, quae revera sit negativa (nisi forte conclusionem negantem praecedat immediate).

Duplicem soritem distinguere solent, aristotelicum[3] et goclenium. Prior dicitur *rectus*, in quo praedicatum prioris propositionis sumitur ut subiectum propositionis subsequentis, et in

[1] Istas regulas accurate expositas invenies apud *Drobisch*, Neue Darstellung der Logik[4] § 105—113.

[2] „Soritas hos vocant, quia acervum efficiunt uno addito grano. Vitiosum sane et captiosum genus" (Acad. prior. 2, 16). „Vitiosi sunt soritae. Frangite igitur eos, si potestis, ne molesti sint. Erunt enim, nisi cavetis" (ibid. c. 29).

[3] Licet vox „sorites" ab *Aristotele* non sit adhibita, haec tamen argumentandi ratio ab eo est indicata (Anal. prior. 1, 23 et 25 [41 a 18; 42 b 1]). So-

conclusione finali subiectum primae propositionis cum praedicato ultimae coniungitur. Alter est *goclenius* vel inversus; in eo subiectum prioris propositionis fit praedicatum posterioris, et conclusio finalis subiecto ultimae propositionis et praedicato primae constituitur. Praemissarum ordo in altero hoc sorite plane contrarius est atque in illo priore, ut ex his formulis manifestum est:

Sorites aristotelicus	Sorites goclenius
A = B	D = E
B = C	C = D
C = D	B = C
D = E	A = B
Ergo A = E	Ergo A = E

Uterque sorites hoc modo in syllogismos communes resolvi potest:

B = C	D = E
A = B	C = D
Ergo A = C	Ergo C = E
C = D	C = E
A = C	B = C
Ergo A = D	Ergo B = E
D = E	B = E
A = D	A = B
Ergo A = E	Ergo A = E

Ex hac utriusque soritis analysi patet:

1. Sorites aristotelicus incipit a praemissa minore primi syllogismi, deinde sequuntur ex ordine solummodo praemissae maiores syllogismorum componentium et conclusio demum finalis. In sorite goclenio autem primo loco ponitur praemissa maior primi syllogismi; postea adduntur ex ordine praemissae minores syllogismorum componentium; ultimo infertur conclusio.

2. In sorite recto, excepto praedicato ultimae propositionis, quod fit praedicatum conclusionis, praedicata singulorum membrorum munere termini medii funguntur; in sorite inverso autem subiecta singularum propositionum termini medii partes explent, excepto subiecto propositionis conclusionem praecedentis.

Sorites aut propositionibus categoricis aut propositionibus hypotheticis constare poterit. Ad rem illustrandam ponantur exempla:

rites, qui est inversus, vocatur goclenius a *Rud. Goclenio*, doctore marburgensi, qui in libro „Isagoge in Organum Aristotelis“ (Francofurti 1598) primus huius argumentationis mentionem fecit. Si morem Aristotelis attendamus, qui propositiones a praedicato incipere solebat, sorites inversus potius ab ipso nominandus est. Cf. *Ueberweg*, System der Logik § 125.

Deus est ens a se.	*Quod est contra rectam rationem, est immorale.*
Ens a se est ens necessarium.	*Quod stultum est, est contra rectam rationem.*
Ens necessarium est ens infinitum.	*Superbia est stultum aliquod.*
Ens infinitum est unum.	*Incredulitas est superbia quaedam.*
Ergo Deus est unus.	*Ergo incredulitas est immoralis.*
Vel: *Si Deus est ens a se, est ens necessarium.*	*Si quid contra rectam rationem est, immorale est.*
Si est ens necessarium, est ens infinitum.	*Si quid stultum est, contra rectam rationem est.*
Si est ens infinitum, est unus.	*Si quid superbum est, stultum est.*
Ergo si Deus est ens a se, est unus.	*Si quis incredulus est, superbus est.*
	Ergo si quis incredulus est, immoralis est.

Atque his dictis intellegitur soritem aristotelicum altero multo faciliorem esse et clariorem. Cum vero omnis longior argumentatio ex natura sua fallaciis erroribusque facilius aditum praebeat, prae reliquis syllogismi communis regulis in sorite maxime attendendum est, 1° ut singulae propositiones sint verae legitimeque inter se cohaereant: secus haberetur saltus in concludendo; 2° ut eadem vocis significatio eademque suppositio singulorum terminorum retineatur; 3° denique ut propositionum quantitas et qualitas ex regulis de syllogismorum figuris determinata observetur.

Scholion. Vix opus est adnotare soritem, de quo modo egimus, omnino differre ab illa sophistica *Chrysippi* argumentatione, quae ab eo *sorites chrysippeus* appellatur. Assumpto acervo 20 granorum v. g. tritici interrogabat sophista ille, num grana illa pauca essent an multa. Si interrogatus ea pauca esse respondit, alter ipsum et 21 et 22 et 23 et minutis successive additis tandem plane multa pauca dicere coegit. Si vero multa esse putavit, philosophus illum et 19 et 18 et 17 et minutis successive subtractis paucissima denique multa appellare adegit. Sed cum pauca et multa notiones sint neque ex natura rei, neque ex usu hominum omnino secundum fines determinatae, tota haec captiosa argumentatio in eo consistit, quod fallaciter pauca vel multa diverso semper sensu accipit [1].

Ut vero ab his vitiis caveatur vel ut vitium, quod lateat, facilius detegatur, tenendum est syllogismum hunc concatenatum facile in syllogismos plures, qui in eo constricti et velut truncati insunt, resolvi posse, ita quidem, ut tot fiant syllogismi simplices, quot sint in sorite praemissae una dempta.

[1] Cf. *Cic.*, De divinat. 2, 4; *Horat.*, Epist. 2, 1, 39 sq.

277. V. **Dilemma** est argumentatio, in qua duobus membris adversario disiunctive propositis, ex utroque aliquid contra ipsum concludi ostenditur; unde hoc ipsum absolute concludendum esse infertur: ut est illud *Tertulliani* adversus Traiani decretum: *Aut nocentes sunt christiani, aut innocentes: si nocentes, cur inquiri prohibes? si innocentes, cur delatis poenam irrogas?*

A syllogismo disiunctivo differt ita: in hoc uno membro negato alterum affirmatur, et contra; in dilemmate autem utrumque sumitur et ex utroque assumpto adversarius confunditur.

Dilemma si totum integrum verbis exprimitur, quattuor propositionibus constat; id quod ex hoc dilemmate apparet, quo quis scepticos, qui negant ullam veritatem certo a nobis cognosci posse, bene confutare potest: *Aut possibilis est certitudo, aut non est possibilis. Si est possibilis, male dicitis, quia falsum dicitis. Si non est possibilis, non minus male dicitis, quia aliquid saltem pro certo affirmatis. Tacendum ergo est vobis. Quidquid enim dixeritis, male dicetis.* Sed raro dilemma tanta extensione proponitur, cum quo brevius, eo fortius argumentum esse soleat. A *S. Hieronymo*[1] dilemma „syllogismus cornutus“ vocatus est.

Si propositio disiunctiva pluribus membris constat, argumentatio fit trilemma, quadrilemma, polylemma.

Dilemma cum nihil aliud sit quam complexio disiunctiva duorum enthymematum, si consequentiam habet, ad syllogismos duos revocari potest. Per dilemma argumentatur, qui dicit: *Si peccatum committis, aut in peccato perdurabis aut a peccato converteris: si perdurabis, infelix eris; si non perdurabis, id detestaberis, quod nunc facis. Ergo peccatum committere non debes.* Cuius dilemmatis vis patet, si his syllogismis explicatur: *Si peccatum committendum esset, id fieret aut cum perduratione in peccato aut cum conversione a peccato. Atqui neutrum fieri debet.* Non primum: *Nam nemo debet ruere in perniciem. Atqui peccans et in peccato perdurans ruit in perniciem. Ergo peccatum committi non debet cum perduratione in peccato.* Non secundum: *Nam nemo debet facere, quod postea detestabitur. Atqui peccans, qui se a peccato conversurus est, facit, quod postea detestabitur. Ergo peccatum non est committendum ab eo, qui postea convertere se vult.* Et generatim si conclusio ab adversario intenta significatur littera A, condiciones vero, quibus positis verificari possit, litteris B et C, sine negotio hunc syllogismum hypotheticum compones:

[1] In epistula ad Oceanum.

Si A verum esset, esset aut in suppositione B aut in suppositione C. Atqui neque supposito B neque supposito C verum est A. Ergo A omnino verum non est.

278. In adhibendo dilemmate *tres* sunt *servandae regulae:*

1. *Disiunctio sit completa;* si enim tertium sit praeter illa, quae cum disiunctione sunt proposita, adversarius hoc tertio membro addito effugium habebit.

Quod vitium invenitur in dilemmate prolato ab *Omar: Libri bibliothecae alexandrinae aut continent eadem, quae Alcoran, aut contraria; si eadem, inutiles sunt et tradendi flammis; si contraria, mali sunt et iterum tradendi flammis.*

2. *Quod infertur, ex suo membro certo et legitime profluat.*

Si ita argumentaris: *Aut animus perit cum corpore aut post mortem erit superstes. Si perit, mors non est timenda, cum nihil sentiat amplius. Si manet superstes, mors iterum timenda non est, cum vita sit futura beata*, utraque illatio ab adversario negabitur. Nam si animus cum corpore peribit, dolores gravissimi ipsam mortem comitari poterunt; si animus erit superstes, miseria aeterna mortem subsequi poterit. Ex neutra ergo hypothesi sequitur mortem non esse timendam.

3. *Ne sit reciproca disiunctio.* Reciproca erit, cum adversarius eadem enuntiatione disiunctiva uti atque ex ipsius membris aliquid adversus proferentem concludere potest.

Unde male quis dissuaderet amico, ne munus in civitate obiret, argumentans ita: *Aut bene officium geres aut male; si bene, displicebis hominibus; si male, Deo.* Retorqueri enim potest argumentatio: *Aut bene geram aut male; si bene, placebo Deo; si male, hominibus.* Quo captioso dilemmatis genere *Protagoram* usum esse legimus, qui a discipulo suo *Euathlo* ex convento mercedem disciplinae accepturus erat, si is ex causa prima coram iudice victor evasisset. Cum autem lis prima de hac ipsa solvenda mercede instituta esset: *Aut pro me,* inquit Protagoras, *dicent iudices aut pro te; si pro me, solves ex sententia iudicum; si pro te, solves ex inito pacto.* Cui Euathlus: *Aut pro me dicent iudices aut pro te; si pro me, nihil solvam ex eorum sententia; si pro te, nihil solvam ex condicto.*

SECTIO III.

De argumentorum divisionibus secundum materiam.

279. **Huius tractationis ordo et ratio.** Hactenus de argumentationis *forma* et divisionibus argumentorum secundum formam diximus. Argumentatio secundum formam legitima ratione materiae, quae in ea proponitur, potest esse *vera* sive conformis ordini ontologico aut *falsa*. Si vera est, aut cum *necessitate* veritas proponitur, et haec argumentatio vocatur *demonstrativa* (perfecta);

aut cum sola *probabilitate*, et est argumentatio *probabilis*[1]. Demonstratio *scientiam*, argumentatio probabilis *opinionem* gignit. Si falsa est, gignit errorem.

Primo articulo de *demonstrativa*, altero de *probabili* argumentatione tractabitur. In articulo tertio, missis iis argumentis, quae praemissas evidenter falsas aut dubias continent, eam tantum argumentationem falsam consideramus, quae defectu laborat magis occulto et vocatur *argumentatio fallax* seu *sophistica*.

ARTICULUS I.

De argumentatione demonstrativa.

§ 1. De demonstrationis natura et principiis.

280. **Demonstratio quid sit.** Demonstratio *(ἀπόδειξις)* est argumentatio legitima ex praemissis evidentibus seu omnino certis. Cuius duplex definitio ab *Aristotele*[2] est tradita. Una ex effectu sive fine petitur, ut demonstratio dicatur ratiocinatio, quae certam et firmam rei conclusae notitiam praebeat, vel brevius: *syllogismus gignens scientiam (συλλογισμὸς ἐπιστημονικός)*. Altera ex demonstrationis principiis vel si mavis ex materia petitur, ut dicatur *ratiocinatio constans ex propositionibus omnino veris, necessariis, primis sive immediatis, et quae priores sint ac notiores causaeque conclusionis*[3].

Verae esse omnino debent praemissae, „quia quod non est, sciri non potest“. Deinde *primae* sive *immediatae* esse debent, quatenus fundatae esse debent in veritatibus, quarum cognitio aliam non praesupponit, et quae per se certae et evidentes sunt, ut ulteriore demonstratione non egeant.

„Detur, quod aliquis demonstrator syllogizet ex demonstrabilibus sive mediatis. Aut ergo habet illorum demonstrationem, aut non habet. Si non habet, ergo non scit praemissas et ita nec conclusionem propter praemissas. Si autem habet, cum in demonstrationibus non sit procedere in infinitum . . ., tandem erit devenire ad aliqua immediata et indemonstrabilia. Et sic demonstratio oportet, quod procedat ex immediatis

[1] *Ἀπόδειξις μὲν οὖν ἐστιν, ὅταν ἐξ ἀληθῶν καὶ πρώτων ὁ συλλογισμὸς ᾖ, ἢ ἐκ τοιούτων, ἃ διά τινων πρώτων παὶ ἀληθῶν τῆς περὶ αὐτὰ γνώσεως τὴν ἀρχὴν εἴληφεν· διαλεκτικὸς δὲ συλλογισμὸς ὁ ἐξ ἐνδόξων συλλογιζόμενος. Arist.*, Top. 1, 1 (100 a 27).

[2] Anal. post. 1, 2 (71 b 17).

[3] *Ἀνάγκη τὴν ἀποδεικτικὴν ἐπιστήμην ἐξ ἀληθῶν τ'εἶναι καὶ πρώτων καὶ ἀμέσων καὶ γνωριμωτέρων καὶ προτέρων καὶ αἰτίων τοῦ συμπεράσματος* (Anal. post. 1, 2 [71 b 20]).

vel statim vel per aliqua media."[1] Ut tota quam Aristoteles de demonstratione tradidit doctrina recte intellegatur, prae oculis habendum est, quod saepius a scholasticis est observatum. „Quia perfectum est regula sui et imperfecti, ideo Aristoteles agens de demonstratione totus est in eo, ut describat perfectam, potissimam, idealem demonstrationem; per illam enim facile deinde cognoscuntur imperfectae ac deficientes ab ideali."[2]

Praemissas esse debere *causas conclusionis,* per se satis intellegitur; ex ipsis enim cognitio conclusionis gignitur.

Et *priores* conclusione esse debent saltem ut prius cognitae. Quam ob rem praemissae etiam *notiores* conclusione sint oportet; secus enim conclusioni evidentiam afferre seu certam illam efficere non possent.

„Semper enim", ut *Stagirita* docet, „id magis tale est, propter quod unumquodque tale est; ut puta id magis dilectum est, propter quod diligimus; quocirca si propter prima scimus et credimus, illa quoque scimus et credimus magis, quia per illa scimus et credimus etiam posteriora." Hoc Aristotelis axioma certe vim habet, si a) praedicatum sit commune causae et effectui; b) illud suscipiat magis et minus; c) sit positivum; d) sit numero diversum a causa et effectu neque sit eadem forma utriusque[3].

Necessarias tandem praemissas certitudo exigit, quae conclusione creanda est. Nam tum solum conclusio certa est et firma, si saltem ultimatim ex sumptionibus oritur necessariis.

Neque sine ratione *Aristoteles* in definienda breviter demonstratione *syllogismi* mentionem facit. Argumentationes enim reliquae vim demonstrativam habent, quatenus ad syllogismi formam trahi possunt. Id etiam aliqua ratione de inductione valere videbimus. „Quamdiu perseverat pura inductio, formalis argumentatio non est; redacta vero in formam syllogismi, et formalis erit et demonstrativa, si in materia idonea construatur."[4]

281. Demonstrationis praecognitiones et praecognita[5]. Celebre est *Aristotelis* axioma: *Omnis doctrina omnisque disciplina fit ex cognitione praecedente.* Nam priusquam fiat demonstratio, quid quaeratur videndum est. A *quaestione* omnis argumentatio incipit: quaestio autem non oritur nisi ex aliqua praeexsistente cognitione.

---

[1] *S. Thom.* in l. 1 anal. post. lect. 4, Ostendit quod demonstratio.

[2] *Sylv. Maurus,* Quaest. philos. l. 1, q. 67.

[3] Cf. *S. Thom.* in l. 1 anal. post. lect. 6; in l. 2 met. lect. 2; in 3 dist. 28, q. 1, a. 1 ad 2.

[4] *Conimbricenses,* Comment. in Arist., in l. 1 anal. post. c. 2, q. 2, a. 1.

[5] *Alamannus,* Summa philos. 1, q. 21. *Sylv. Maurus* l. c.

Praecognitio definiri potest: anticipata quaedam animo circa rem plenius cognoscendam notitia. Est autem haec in demonstratione triplex: praeparans, dirigens, efficiens. Praenotio *praeparans* est cognitio sensuum homini ad intellectionem necessaria secundum tritum illud: *Nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in sensu.* Is enim homini modus intellegendi naturalis est, ut discursus iudicium supponat, iudicium apprehensionem, apprehensio sensationem. Praenotio *dirigens* est notitia intellectiva extremorum, quae in proposita quaestione simulque in demonstranda conclusione continentur. Praenotio *efficiens* sive influens est notitia intellectiva praemissarum, ex quibus conclusio deducenda est.

Iterum duplex praecognitio hic distinguenda est: *an sit* et *quid sit.* Praecognitio *an sit* duplex est: an res sit exsistens sive actu sive potentia tantum, et an propositio sit vera. Et praecognitio *quid sit* etiam duplex est: quid *nominis* et quid *rei*, i. e. quid nomen significet et quae sit alicuius rei essentia.

282. Et hae quidem praecognitiones sunt. Ea autem, quorum sunt praecognitiones, vocantur *praecognita.* Sed praecognita vel potius praecognoscenda non vocari solent ea omnia, quae praecognoscenda sunt in ordine ad totum discursum faciendum, sed ea tantum, quae ordinem ad conclusionem habent, i. e. de quibus aliquid cognosci debet immediate, antequam eliciatur conclusio.

Praecognita eius generis *Aristoteles* recte docuit esse tria: conclusionis vel quaestionis *subiectum* et eiusdem *praedicatum* atque etiam *principia* sive *praemissae.* Subiectum illud est, de quo aliquid quaeritur. Praedicatum illae sunt affectiones sive passiones, in quibus demonstrandis qui argumentatur versatur. „Id cuius scientia per demonstrationem quaeritur, est conclusio aliqua, in qua propria passio de aliquo subiecto praedicatur, quae quidem conclusio infertur ex aliquibus *principiis.*“ [1]

Scholion. Si deinde quaeratur, *quidnam* de unoquoque praecognito cognosci a concludente debeat, imprimis certum est de nullo praecognito praenoscendum esse id, quod de eo quis sit probaturus: id enim si iam cognosceretur, demonstrationis non indigeret. Verum de unoquoque praecognito accurate praecognosci debet *quid nominis,* ut sciamus, de quo agatur.

De *praemissis* praeterea praecognosci debet, *quod sint,* i. e. sintne verae; nam „esse“ alicuius propositionis est eius veritas. Id vero ut praenoscatur, requiritur, quia necessitas demonstrandae conclusionis aliam causam non habet nisi praecognitam veritatem praemissarum.

[1] *S. Thom.* in l. 1 anal. post. lect. 2.

De *subiecto* conclusionis, quod etiam *datum* vel *suppositum* vocari solet, sciri debet, sitne ens verum sive possibile. Nam in quaestionibus, quae poni solent, non attinet quaerere de proprietatibus rei fictae sive impossibilis. Fieri quidem potest, ut ipsa alicuius rei possibilitas trahatur in quaestionem; tum sane satis est praenoscere definitionem nominis.

De *praedicato* conclusionis, quod etiam *quaesitum* vel *interrogatum* nuncupant, praeter „quid nominis" requiritur nihil, quod praenoscatur. Eo enim, quod in conclusione praedicatum subiecto inesse probatur, illud esse satis demonstratur, cum inesse non possit, nisi sit.

283. **Demonstrationis principia**, si latius ea vox accipiatur, sumptiones omnes sunt sive praemissae, ex quibus conclusio deducitur. Pressiore autem sensu *(ἀρχή)* significat positiones eas, ex quibus demonstratio vim suam et necessitatem primo haurit: „Principia in unoquoque genere sunt illa, quae cum sint vera, tamen non convenit demonstrare in illa scientia, in qua sunt principia." [1]

Propterea scientiae non argumentantur ad sua principia probanda [2], sed ex principiis argumentantur ad ostendenda alia in ipsis scientiis. „Sed tamen considerandum est in scientiis philosophicis, quod inferiores scientiae non probant sua principia, nec contra negantem principia disputant, sed hoc relinquunt superiori scientiae; suprema vero inter eas, scilicet metaphysica, disputat contra negantem sua principia, si adversarius aliquid concedit, si autem nihil concedit, non potest cum eo disputare, potest tamen solvere rationes ipsius." [3]

Scholion. Fieri igitur potest, ut declaratione opus sit, qua ostendatur principia vera esse; „et hoc ideo, quia nihil est adeo verum, quin voce negari possit. Nam et hoc principium notissimum, quod non contingit idem esse et non esse, quidam ore negaverunt" [4]. Quocirca *Aquinas* laudat *Aristotelem*, quod diserte dixerit: Si aliqua scientia *tentet* probare principia communia; „quia philosophia prima non demonstrat principia prima, sunt enim indemonstrabilia simpliciter, sed aliqui errantes tentaverunt ea demonstrare. . . . Vel etiam etsi non possunt demonstrari simpliciter, tunc philosophus primus tentat monstrare eo modo, quo est possibile, scilicet contradicendo negantibus ea per ea, quae oportet ab iis concedi, non per ea, quae sunt magis nota. Sciendum est etiam, quod primus philosophus hoc modo non solum demonstrat ea, sed etiam aliquid de iis monstrat sicut de subiectis, sicut quod impossibile est. mente concipere opposita eorum" [5].

[1] *S. Thom.* in l. 1 anal. post. lect. 18.

[2] *Φανερὸν ὅτι οὐκ ἔστι τὰς ἑκάστου ἰδίας ἀρχὰς ἀποδεῖξαι· ἔσονται γὰρ ἐκεῖναι ἁπάντων ἀρχαί, καὶ ἐπιστήμη ἡ ἐκείνων κυρία πάντων. Καὶ γὰρ ἐπίσταται μᾶλλον ὁ ἐκ τῶν ἀνώτερον αἰτίων εἰδώς· ἐκ τῶν προτέρων γὰρ οἶδεν, ὅταν ἐκ μὴ αἰτιατῶν εἰδῇ αἰτίων. Ὥστ' εἰ μᾶλλον οἶδε καὶ μάλιστα, κἂν ἐπιστήμη ἐκείνη εἴη καὶ μᾶλλον καὶ μάλιστα. Arist.*, Anal. post. 1, 9 (76 a 16).

[3] *S. Thom.*, S. th. 1, q. 1, a. 8.

[4] *S. Thom.* in l. 1 anal. post. lect. 19.

[5] Ibid. lect. 20.

Principia autem ad conclusionem aut actu pertinent aut virtute tantum; et *actu* quidem, si ad probandum definite et directe adhibentur ut praemissae; *virtute* autem, si pro natura ratiocinii vel rei indole, de qua quaeratur, supponuntur; ut est principium contradictionis vel identitatis. Generatim principia illa, quae vocantur rationis, per cognitionem non actualem, sed virtualem vel habitualem ad efficiendam conclusionem, quod suum est, tribuere solent; latent enim in mente per modum habituum. Nunc de illis tantum dicendum, quae actu exhibentur.

284. Inter varias principiorum divisiones imprimis notanda est ea, qua distinguunt principia communia, propria, extranea. Quae enim loco principiorum ponuntur, aut ad omnem scientiam pertinent, ut est illud: *ab aequalibus aequalia si demas, remanent aequalia*, et vocantur *principia communia* sive *principia ex quibus* (fit demonstratio); aut ad speciale alicuius scientiae obiectum pertinent, et vocantur *principia propria* vel *principia circa quae* (demonstratio versatur), in quo genere sunt definitiones[1], quae rei essentiam explicant; aut denique sunt hausta ex sola experientia, ita ut per se declarent contingentem tantum alterutrius extremi cum medio conexionem, et vocantur *principia extranea*. Propria igitur et communibus et extraneis opponuntur. Et scientia quaelibet quae demonstranda sibi sunt proposita, ita efficit, ut a suis proficiscatur principiis propriis: communia autem principia omnes suum in usum convertunt.

Scholion. Principia communia eo efficiuntur propria, quod ad proprium alicuius scientiae subiectum contrahuntur. Ita principium, quod est commune: *quae sunt eadem cum uno tertio, sunt eadem inter se*, fit proprium mathesis, si hoc modo circumscribitur: *duae quantitates, quae cum eadem tertia conveniunt, conveniunt inter se.* Quam rem *Aristoteles* indicavit, cum diceret principia communia accipi in unaquaque scientia „secundum analogiam“[2], i. e. „secundum quod sunt proportionata illi scientiae“[3]. Et est in perspicuis principia communia in singulis disciplinis adhiberi non posse, nisi prius hoc modo propria effecta fuerint[4]. Principia igitur communia sunt causa remota, et principia propria sunt causa proxima scientiae. Recte igitur *Aquinas:* „Iudicium debet sumi ex principiis propriis rei, inquisitio autem fit etiam per communia. Unde

[1] *Ὁρισμὸς μὲν γὰρ τοῦ τί ἐστι καὶ οὐσίας· αἱ δ' ἀποδείξεις φαίνονται πᾶσαι ὑποτιθέμεναι καὶ λαμβάνουσαι τὸ τί ἐστιν, οἷον αἱ μαθηματικαὶ τί μονὰς καὶ τί τὸ περιττόν, καὶ αἱ ἄλλαι ὁμοίως. Arist.*, Anal. post. 2, 3 (90 b 30).

[2] Anal. post. 1, 10 (76 a 38). In hunc modum dixit *Aquinas:* „Ea quae sunt diversorum generum quasi generalissimorum, sunt diversa principia secundum rem, licet sint eadem secundum analogiam“ (De malo q. 8, a. 1 ad 13).

[3] Ita explicat *S. Thom.* in h. l. lect. 18, Distinguit principia.

[4] Cf. *S. Thom.* in l. 1 anal. post. lect. 43.

etiam in speculativis dialectica, quae est inquisitiva, procedit ex communibus, demonstrativa autem, quae est iudicativa, procedit ex propriis.“ [1]

Neque praetereunda est divisio, qua dicunt principia esse aut per se evidentia aut *lemmata* aut *postulata*. Lemma est id, quod ut probatum alibi sumi potest. Postulatum est aliquid, quod argumentanti aperte concedendum est.

Illa principia, quae ab interrogante ad aliquid problema solvendum proponuntur, problematis *data* vocantur, quae videndum semper est utrum ad solvendum problema satis sint necne.

285. Dividuntur quoque principia in *analytica* et *synthetica* sive experimentalia. Analytica ea sunt, in quibus praedicatum ad essentiam definitionemve subiecti pertinet vel ab ea per rationem internam deducitur. Ea natura sua universalia sunt universalitate metaphysica; sunt necessaria, quia eorum oppositum numquam nusquamque esse potest.

Principia analytica aut *mediata* sunt aut *immediata* sive *per se nota*, i. e. ita nota, ut quis iis assentiri possit sine assensu praevio de quidditatibus sive subiecti sive praedicati. Potest autem principium per se notum esse tum *quoad se* tantum sive absolute, tum etiam *quoad nos* sive respective. Principium per se notum quoad se est omne illud, quod praedicatum in ratione subiecti contentum habet. Per se notum quoad se et quoad nos est illud principium, in quo etiam nos cognoscimus praedicatum in ratione subiecti contineri [2].

Positiones, quae singularium disciplinarum sunt propriae et ideo principia propria vocantur, ut plurimum sunt per se nota quoad se tantum; unde a docentibus exponenda sunt, ut est illud *Euclidis: duae lineae rectae non parallelae, si satis prolongentur et sunt in eadem planitie, tandem inter se occurrant necesse est.* Illa autem, quae ad scientiam generatim pertinent et ideo principia communia vocantur, vix non semper per se nota sunt etiam quoad nos, ita ut expositionis non indigeant.

Atque etiam principiorum syntheticorum alia immediata sunt, mediata alia. Immediata sunt illa, quae nullo interveniente ratiocinio solam experientiam consequuntur, quae ad facta singularia tantum referri possunt. Mediata sunt illa, quae interveniente aliquo ratiocinio ad vim quandam universalem evehuntur; qua in re inductionem adhibendam esse scimus.

286. **Multiplex est demonstrationis divisio.** Ita distinguitur demonstratio *universalis* et *particularis* secundum praemissarum et

[1] S. th. 2, 2, q. 51, a. 4 ad 2.
[2] Cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 2, a. 1; De verit. q. 10, a. 12.

conclusionis *quantitatem*. Distinguitur *ostensiva* sive apodictica (*ἀπόδειξις, δεικτική*) et *privativa* (*στερητική*) secundum *qualitatem*; ostensiva ex solis praemissis affirmativis procedit, privativa ex praemissa affirmativa et negativa. Distinguitur *directa* et *indirecta* (apagogica sive ad impossibile), quae ex positione adversaria conclusionem aperte falsam deducit, ex quo indirecte veritas contradictoriae infertur. Demonstratio directa ex *termino medio* dividitur in demonstrationem *a priori* et *a posteriori*. Tandem ex comparata *quantitate praemissarum* et *conclusionis* distinguitur demonstratio *deductiva* et *inductiva*.

§ 2. De demonstratione directa (a priori et a posteriori).

287. **Prius et posterius** potest considerari in ordine cognitionis seu logico et in ordine rerum seu ontologico. Ex natura demonstrationis patet praemissas semper esse priores in ordine nostrae cognitionis. Demonstratio *a priori* igitur est, si veritas, quae est in conclusione, secundum ordinem ontologicum a veritate eorum pendet, quae sunt in praemissis. Et *a posteriori* trahi dicitur, si in eodem ordine ontologico veritas, quae est in praemissis, pendet a veritate, quae est in conclusione. „Non enim est necesse, quod omne, quod est principium cognoscendi, sit principium essendi“ [1], sed etiam „contingit, ex effectu causam cognoscere ... secundum quod effectus sumitur ut medium ad cognoscendum de causa, quod sit, et quod talis sit“ [2].

288. Cum ista divisione intime cohaeret divisio in demonstrationem *propter quid* et *quod* (vel *quia*). Demonstratio perfecta ab *Aristotele* vocata est demonstratio *propter quid* (*διότι*), quia non modo praedicatum quoddam subiecto convenire ostendit, sed etiam causam aut *rationem ontologicam* declarat, *propter quam* praedicatum illud subiecto conveniat. A perfectione huius demonstrationis deficit illa quae ab *Aristotele* dicta est demonstratio *quod sit* sive *quia est* (*ὅτι*), quae solum docet rem ita esse, et a declaranda causa proxima et adaequata abstinens, rem esse ostendit ex eius effectu. Quae scientiam quidem gignit, sed imperfectiorem tantum. Neque enim ex cognito effectu perfecte scimus, cur res sit, nisi per alias demonstrationes ad causas usque proximas deveniamus.

Demonstratio a priori nonnumquam dicitur demonstratio „simpliciter“, demonstratio a posteriori autem demonstratio „secundum quid“.

[1] *S. Thom.*, S. th. 1, q. 85, a. 3 ad 4. [2] *S. Thom.*, S. c gent. 3, 49.

Scholion. Perspicuum est quoque demonstrationem, quae trahatur a priori, tum solum fieri posse, cum causa vel ratio ontologica, cur res est, etiam in ordine logico prior est et notior effectu vel rationato, quod ab ea dependet. Cum autem effectus vel rationatum cognoscitur prius quam eius causa vel ratio, id quod pro humanae naturae condicione saepissime nobis contingit, demonstratio *a posteriori* procedat necesse est. „Quandoque autem, id quod est magis notum quoad nos, est etiam magis notum simpliciter et secundum naturam; sicut accidit in mathematicis, in quibus propter abstractionem a materia non fiunt demonstrationes nisi ex principiis formalibus. Et in talibus fiunt demonstrationes ex his, quae sunt notiora simpliciter. Item quandoque id, quod est notius quoad nos, non est notius simpliciter; sicut accidit in naturalibus, in quibus essentia et virtutes rerum, propter quod sunt in materia, sunt occultae et innotescunt nobis per ea, quae exterius de ipsis apparent. Unde in talibus fiunt demonstrationes ut plurimum per effectus, qui sunt notiores quoad nos et non simpliciter.“ [1]

Rursus demonstratio, quae est a priori, duplex distingui potest: altera *propria,* quae propter veras et immediatas causas rem demonstrat; *impropria* altera, quae propter causas (rationes) remotas et minus proprias aliquid probat. Itaque demonstratio ex causa *immediata* peti potest, velut cum ex *admirativo* ostenditur risibile, vel ex *Dei immutabilitate* ostenditur Dei aeternitas: aut ex causa *mediata,* velut cum ex *rationali* ostenditur risibile, vel ex *Dei essentia* ostenditur Dei aeternitas. In utraque re demonstratio perfecta quidem est; perfectior tamen, si ex causa immediata petitur. Et perfectior etiam est, si causa adaequata attenditur, quam inadaequata. Quod qui considerat, facile intelleget, cur demonstratio perfectissima ea dicebatur ab *Aristotele,* quae *definitionem* subiecti pro medio habeat.

289. Demonstratio regressiva sive regressus demonstrationis[2]. Demonstrationes *a posteriori* et *a priori* nonnumquam ita coniungi possunt, ut per demonstrationem a posteriori discamus causam esse et deinde a causa diligenter considerata ad effectum regrediamur. In quo negotio a circulo vitioso cavendum est; cuius vitium in eo consistit, quod termini utriusque demonstrationis non cognoscuntur nisi per alteram et in utraque eodem modo formantur. Regressus autem hoc vitio carebit, si termini demonstrationis secundae paulo aliter accipiuntur atque in priore, neque lucem eam solam habent, quam ex priore hauserunt, sed insuper

[1] *S. Thom.* in l. 1 anal. post. lect. 4, versus finem.

[2] Cf. *Alamannus,* Summa philos. 1, q. 22, a. 2; *Sylv. Maurus,* Quaest. philos. l. 1, q. 68.

interveniente aliqua operatione mentis in se ipsis quasi illuminati sunt. Tum enim fieri potest, ut exordiis demonstrationis prioris novam lucem ingerant et quasi replicent. Neque repugnat eius generis regressum esse in duabus demonstrationibus, quarum altera a priori est et altera a posteriori. Sed frequentissimus ille est regressus, in quo demonstratio primo loco posita *a posteriori* est, et secunda *a priori*. Saepissime enim accidit, ut ex effectibus in conclusionibus nostris de rebus incipiendum sit; et iam consequens est, ut ex causa melius cognita ad effectum clarius perspiciendum revertamur. Ita *ex animi spiritualitate* animi incorruptibilitatem probare possumus, et ex animi incorruptibilitate aliis etiam argumentis probata rursus animi spiritualitatem inferre licet. Et *ex mundi ordine* divinam providentiam discimus, qua bene perspecta ad contemplandum mundum regredientes multo melius ipsum mundi ordinem intellegimus. Hic legitimus regressus demonstrativus definitur: argumentatio duplex iisdem constans terminis, quarum posterior id, quod in priore conclusum est, adhibet ad concludendum id, quod prioris erat principium, ita tamen, ut termini in utraque paulo aliter intellegantur.

§ 3. De demonstratione deductiva.

290. Argumentum deductivum est illud, quo ex universaliore antecedente consequens minus universale deducitur. Per accidens ratione materiae consequens potest esse aeque universale. Argumentum deductivum potest esse sive a priori sive a posteriori. Argumentum inductivum illud est, quo id quod omnibus vel compluribus saltem inferioribus alicuius subiecti universalis convenire videmus, etiam huic subiecto universali convenire concludimus. Est semper argumentum a posteriori[1]. Argumenti inductivi haec ratio est: Id quod de enumeratis singulis et individuis subiectis

[1] Exemplo rem illustrat *Ueberweg:* „*Induktiv* verfuhren *Kepler* und seine Nachfolger in der Begründung der nach ihm benannten Gesetze, indem sie die Wahrheit der am Mars, dann auch an andern Planeten nachgewiesenen Resultate verallgemeinerten. *Syllogistisch* aber ist das umgekehrte, durch *Newton* ermöglichte Verfahren, wonach zuerst auf Grund des Gravitationsprinzips nachgewiesen wird, daß sich jeder Weltkörper um sein Centrum gravitationis in einer Bahn bewegen muß, die einen Kegelschnitt darstellt, und zwar so, daß der Radius vector in gleichen Zeiten gleiche Sektoren der Bahnebene abschneidet, und daß, wenn mehrere Körper sich in geschlossenen Bahnen um denselben Zentralkörper bewegen, die Quadratzahlen der Umlaufszeiten sich verhalten müssen wie die Kubikzahlen der mittleren Entfernungen und wonach dann diese Sätze auf die einzelnen Planeten, Trabanten und Kometen angewandt werden“ (System der Logik § 99).

affirmatur aut negatur, etiam de toto universali, cui illae numerata subiciuntur, affirmandum aut negandum est [1].

291. Deductionis vis et praestantia. Deductionis proprium esse scimus, ut sit via, quae ex cognitione universaliore deducat ad cognitionem rei magis particularis vel etiam singularis. Quo in processu illud universale attenditur, quod ad rei de qua quaeritur essentiam pertinet et est causa eorum, quae in re necessario insunt [2]. Nam universale, quod proprium *(οἰκεῖον)* est nec tantummodo commune *(κοινόν)*, ipsius rei quasi lex est et ratio.

Et hanc nexus causalis, qui in perceptis rerum essentiis fundetur, claram cognitionem ad vim et robur deductionis requiri bene tenendum est. Nisi enim praemissa maior in cognito hoc nexu causali atque essentiali fundata sit, in alia re nisi in perceptis omnibus singularibus, quae in praemissa maiore continentur, fundamenta habere non potuit; atque ita ipsa etiam deducenda conclusio ante explicite cognita esse debuit, quam praemissa maior poni posset. Velut si concludo: *Milites omnes huius cohortis sunt homines probi; atqui Caius est miles huius cohortis; ergo Caius est homo probus*, certe propositionem maiorem ut omnino veram ponere non possum, nisi prius etiam Caium esse hominem probum cognovero. Alia sane res esset, si nexum causalem et hinc cohaerentiam necessariam inter *esse militem huius cohortis* et *esse hominem probum* cognoscerem; tum enim ad praemissas ponendas non oporteret, ut praecognovissem Caium probum esse. Ita post *Kepleri* et *Newtonii* tempora certum est esse nexum causalem inter *esse sidus* et *subesse legi attractionis universalis*. Unde nemo dubitat, quin haec lex etiam de sideribus nondum cognitis valeat; neque ad id requiritur ulla sideris novi observatio vel experientia. Atque id *Aristoteles* significare voluit, cum diceret causam esse terminum medium in syllogismo [3]. Cum autem eorum, quae in re insunt, causa praecipua sit ipsa rei essentia, apparet intimam esse syllogismi cum rei essentia coniunctionem [4]. Quapropter

[1] Ἅπαντα πιστεύομεν ἢ διὰ συλλογισμοῦ ἢ ἐξ ἐπαγωγῆς (Anal. prior. 2, 23 [68 b 13]). Μανθάνομεν ἢ ἐπαγωγῇ ἢ ἀποδείξει. Ἔστι δ' ἡ μὲν ἀπόδειξις ἐκ τῶν καθόλου, ἡ δ' ἐπαγωγὴ ἐκ τῶν κατὰ μέρος (Anal. post. 1, 18 [81 a 40]). Et hanc indicat differentiam, quae sit inter syllogismum et inductionem: Ἐπαγωγὴ ἡ ἀπὸ τῶν καθ' ἕκαστον ἐπὶ τὰ καθόλου ἔφοδος, οἷον εἰ ἔστι κυβερνήτης ὁ ἐπιστάμενος κράτιστος καὶ ἡνίοχος, καὶ ὅλως ἐστὶν ὁ ἐπιστάμενος περὶ ἕκαστον ἄριστος. Ἔστι δ' ἡ μὲν ἐπαγωγὴ πιθανώτερον καὶ σαφέστερον καὶ κατὰ τὴν αἴσθησιν γνωριμώτερον καὶ τοῖς πολλοῖς κοινόν, ὁ δὲ συλλογισμὸς βιαστικώτερον καὶ πρὸς τοὺς ἀντιλογικοὺς ἐνεργέστερον (Top. 1, 12 [105 a 13]).

[2] Ὧι γὰρ καθ' οὗτο ὑπάρχει τι, τοῦτο αὐτὸ αὑτῷ αἴτιον. Τὸ δὲ καθόλου πρῶτον· αἴτιον ἄρα τὸ καθόλου (Anal. post. 1, 24 [85 b 24]).

[3] Τὸ μὲν γὰρ αἴτιον τὸ μέσον (Anal. post. 2, 2 [90 a 6]).

[4] *Arist.*, Met. 7, 9 (1034 a 31). In quem locum *Aquinas:* „In syllogismis omnium principium est substantia, id est ‚quod quid est rei'. . . . Intellectus speculativus procedit ad demonstrandum passiones de subiectis ex

passim docet *Aristoteles* essentiam vel definitionem, quatenus exhibeat praemissam maiorem, esse syllogismi principium; et syllogismum, quatenus exhibeat in termino medio causam rei, adducere ad cognoscendam rei essentiam vel definitionem [1].

Atque in hoc quidem investigandarum causarum studio et facultate coniungendi omnia per cognitionem nexus causalis et ascendendi ratiocinando usque ad causam altissimam ingens humani animi praestantia cernitur, qua substantiis omnibus vel formis rerum naturalium magnopere antecellit.

292. **Deductionis principia.** *Aristoteles* deductionem considerat sub ratione duplici: 1° ut inferiorum subsumptionem sub superioribus eiusdem generis [2]; 2° ut progressum cogitandi sive ut cogitationem a praedicato ad praedicatum progredientem secundum axioma: praedicatum praedicati est etiam praedicatum subiecti [3]. Sed harum considerationum prior est principalis.

Deductionis principia generalia sunt eadem, quae rectissime ab *Aristotele* [4] ut syllogismi principia assignata sunt, quae vocari solent *dictum de omni* et *dictum de nullo;* ex quibus quidquid de subiecto universali affirmatur, de quovis contento sub hoc subiecto affirmandum est, et quidquid negatur de subiecto, negandum est de quovis contento sub hoc subiecto (n. 245).

Scholion. Haec duo principia ab aliis alia ratione pronuntiantur; et prius quidem: Quidquid est sub contento, est sub continente: vel: Id quod includit continens, includit etiam contentum. Alterum vero: Quidquid est extra continens, est extra contentum: vel: Id quod excludit continens, excludit etiam contentum. Verum hae dicendi formulae non re, sed voce tantum inter se diversae sunt. *Affirmari* enim per modum praedicati universalioris de re minus universali idem est atque *includere* illam: et *negari* de aliqua de re idem est atque *excludere* illam.

§ 4. De demonstratione inductiva.

293. **Inductionis notio et definitio.** Inductio vi vocis latissime accepta in socraticam, topicam sive rhetoricam, strictam distinguitur. Quarum prima id proprium habet, ut formandae definitionis causa vel conceptus universalis multorum sententias interrogando exquirat, quid homines ut plurimum de re aliqua iudicent. Eo ergo nititur inductio *socratica,* quod nobis conceptus rerum

consideratione eius, quod quid est" (In l. 7 met. lect. 8, Manifestat modos praedictos, ad finem).

[1] *Arist.,* Anal. post. 1, 8 (75 b 31); 2, 2 sqq (90 a 6); De anima 2, 2 (413 a 13).

[2] Ita Anal. prior. 1, 4 sqq. [3] Categ. c. 3. [4] Anal. prior. 1, 1.

manifestantur illis iudiciis, in quibus homines ut plurimum conveniunt. *Topica* inductio, quae a rhetoribus tractatur, est oratio, quae rebus in dubiis captat assensionem eius, quocum disputatio est; quibus assensionibus fit, ut illi *dubia* quaedam res propter similitudinem earum rerum, quibus assentit, probetur. Quae inductio ea nititur ratione, quod in causis similibus similiter sentiendum sit. *Stricta* autem inductio, de qua nunc dicimus, est „progressio ab aliquibus singularibus vel ab omnibus sufficienter enumeratis ad conclusionem universalem“ [1].

Definivit *Aristoteles* inductionem, ut sit a singularibus ad universale progressio [2]. Et Stagirita quidem, quamquam semper sibi constans docuit inductionem sicut syllogismum deductivum esse cognitionem mediatam, in qua sicut in syllogismo reperiantur tres termini, tamen eadem doctrinae constantia inductionem a syllogismo (deductivum hoc loco intellegimus) diversam esse contendit [3], inductione syllogismo suppeditari principia affirmans [4]. Syllogismi proprium est, ut probetur primum de tertio per medium; inductionis autem, ut probetur primum de medio per tertium. Exemplo sit syllogismus: *Quidquid vacat bile, est longaevum. Atqui omnis homo, equus, mulus vacat bile. Ergo omnis homo, equus, mulus est longaevus.*

Cui syllogismo suppeditatur, quod loco maioris ponitur principium per inductionem, quae ad hunc modum instituenda erat:

---

[1] *Scotus* in l. 2 prior. anal. q. 8, n. 8.

[2] *Ἐπαγωγὴ ἡ ἀπὸ τῶν καθ' ἕκαστον ἐπὶ τὰ καθόλου ἔφοδος* (Top. 1, 12 [105 a 13]; cf. Top. 1, 18 [108 b 7]; Anal. prior. 2, 23 [68 b 28 sqq]; Top. 8, 8 [156 a 35 sqq]). Retinendum est interdum Aristotelem sub voce inductionis sensum subicere latiorem, ita ut comprehendat id omne, quod ad formanda universalia adducit. Hanc distinguit in *abstractionem (ἀφαίρεσιν)*, quae conceptibus universalibus formandis inservit, et *inductionem proprie dictam*, per quam formantur propositiones universales propter cognitum nexum causalem (cf. De part. animal. 4, 2 [677 a 37]).

[3] *Εἴπερ μανθάνομεν ἢ ἐπαγωγῇ ἢ ἀποδείξει* (Anal. post. 1, 18 [81 a 40]). *Ὅλως ἀνάγκη συλλογιζόμενον ἢ ἐπάγοντα δεικνύναι ὁτιοῦν ἢ ὁντινοῦν* (Rhet. 1, 2 [1356 b 7]). *Ἅπαντα γὰρ πιστεύομεν ἢ διὰ συλλογισμοῦ ἢ ἐκ ἐπαγωγῆς* (Anal. prior. 2, 23 [68 b 13]). *Ἡ μὲν γὰρ δι' ἐπαγωγῆς, ἡ δὲ συλλογισμῷ* (Ethic. Nicom. 6, 3 [1139 b 28]). Cf. Top. 1, 8 (103 b 3).

[4] Multis ex locis apparet Aristotelem inductioni praeclarum illud munus tribuere, ut principia suppeditet, ex quibus syllogismus proficiscatur, ut igitur via sit, quae ad principia ducat: *Ἡ μὲν οὖν ἐπαγωγὴ ἀρχῆς ἐστι καὶ τοῦ καθόλου, ὁ δὲ συλλογισμὸς ἐκ τῶν καθόλου* (Ethic. Nicom. 6, 3 [1139 b 29]). Legatur his de rebus Anal. prior. 1, 18 23; 2, 23 (68 b 15); Anal. post. 1, 1 18; Top. 1, 12. Et inductionem niti sensu docet, quippe qui rerum sit singularium. Dicit enim: *Ἐπαχθῆναι μὴ ἔχοντας αἴσθησιν ἀδύνατον· τῶν γὰρ καθ' ἕκαστον ἡ αἴσθησις* (Anal. post. 1, 18 [81 b 5]).

Omnis homo, equus, mulus est longaevus. Atqui omnis homo, equus, mulus vacat bile. Ergo quidquid vacat bile, est longaevum[1].

Vel hoc modo:

A est res impenetrabilis, B est impenetrabilis, et C et D.
Atqui A, B, C, D sunt corpora.
Ergo omnia corpora sunt impenetrabilia.

Vel ita: *Paulus mendax est, Titus mendax, Caius mendax.*
Atqui Paulus, Titus, Caius sunt Cretenses.
Ergo omnes Cretenses mendaces sunt.

Vel sic: *Rectangulum tres angulos habens, hos habet aequales duobus rectis; etiam acutangulum; idipsum obtusangulum.*
Atqui eiusmodi rectangulum, acutangulum, obtusangulum sunt triangula.
Ergo omnia triangula habent tres angulos aequales duobus rectis.

Haec exempla inspicienti est manifestum formulam inductionis esse posse hanc:

$$\frac{S}{\ldots\ldots} \quad P$$
$$\frac{S}{\ldots\ldots} \quad M$$
$$M = P$$

In qua M terminum medium syllogismi significat, S extremum minus et P extremum maius, ita ut formula syllogismi sit:

$$M = P$$
$$S \quad M$$
$$S \quad P$$

Id igitur, quod est medium in syllogismo, in inductione conclusionem ingreditur[2], ut extremum minus (subiectum). Cf. n. 295.

294. Quibus ex dictis apparet syllogismum (deductivum)[3] inter et inductionem aliquam esse *oppositionem*[4]. Oppositio duplex potissimum assignatur:

[1] *Arist.*, Anal. prior. 2, 23.

[2] *Ἐπαγωγὴ μὲν οὖν ἐστὶ καὶ ὁ ἐξ ἐπαγωγῆς συλλογισμὸς τὸ διὰ τοῦ ἑτέρου θάτερον ἄκρον τῷ μέσῳ συλλογίσασθαι, οἷον εἰ τῶν Α Γ μέσον τὸ Β, διὰ τοῦ Ι δεῖξαι τὸ Α τῷ Β ὑπάρχειν· οὕτω γὰρ ποιούμεθα τὰς ἐπαγωγάς.... Δεῖ δὲ νοεῖν τὸ Γ τὸ ἐξ ἁπάντων τῶν καθ' ἕκαστον συγκείμενον· ἡ γὰρ ἐπαγωγὴ διὰ πάντων. Arist.*, Anal. prior. 2, 23 (68 b 15 27).

[3] Nomine syllogismi hoc loco syllogismus proprie dictus intellegitur; „syllogismo enim *communiter* dicto non opponitur inductio", ut monet *Albertus Magnus*, „quinimmo sic sumendo syllogismum est verum dicere, quod inductio est syllogismus: sed syllogismo *proprie* dicto opponitur inductio" (L. 2 prior. anal. tract. 7, c. 4).

[4] *Τρόπον τινὰ ἀντίκειται ἡ ἐπαγωγὴ τῷ συλλογισμῷ· ὁ μὲν γὰρ διὰ τοῦ μέσου τὸ ἄκρον τῷ τρίτῳ δείκνυσιν, ἡ δὲ διὰ τοῦ τρίτου τὸ ἄκρον τῷ μέσῳ. Φύσει μὲν*

1. In syllogismo deductivo ab universalibus ad particularia descendimus, in inductione a singularibus vel particularibus in notitiam ducimur universalem. Attamen non omnis mentis a re singulari vel particulari ad universale transitio est illa inductio, de qua hoc loco sermo est. Nam etiam in abstrahendi negotio mens ad positiones universales cognoscendas transit a notitia singulari proficiscens, velut cum quis *domum* videns *totum quiddam* esse, cuius cubiculum sit pars, ex hac singulari experientia ad affirmandum inducitur, totum quodlibet sua parte maius esse. Qua in re singularia requiruntur quidem, ut cognoscantur termini et mens ad intellegendum excitetur; sed ad ostendendam positionis veritatem necessaria non sunt, cum haec intellectis terminis per se menti inspicienti pateat. Unde vis argumentationis ex ipso transitu non hauritur. Etenim ad inductionem proprie dictam requiritur, ut de subiecto universali revera concludamus id, quod de inferioribus eiusdem singillatim affirmandum vel negandum esse experti cognovimus. Unde inductio recte definitur: *argumentatio, in qua ex enumeratione sufficienti singularium per experientiam cognitorum ad veritatem universalem recte concluditur.*

295. 2. Altera ratio oppositionis illius quam tetigimus in eo cernitur, quod syllogismus terminum medium habet, qui per se ab utroque extremo (secundum extensionem) diversus est; inductio termino medio, qui hoc pacto ab extremis discriminetur, omnino caret.

Nemini quidem dubium esse potest, quin etiam in inductione terminus medius reperiatur [1]. Si igitur *Aristoteles* docet inductionem esse „primae et immediatae propositionis" et in iis versari, „quorum non sit medium", et esse progressionem quandam sive methodum, qua mens a factis singularibus in sensum incurrentibus ad universalia quasi volare videatur, id tantum significare vult, inductionem fieri sine medio, quod quoad ambitum a subiecto conclusionis diversum sit. Si enim, ut in schemate usurpato maneamus, haec est inductio:

S
——
. . . . . P
S
——
. . . . . M
M P

S
elucet subiectum conclusionis (M) idem prorsus esse atque medium (. . . . .). Qua de re scite *Complutenses* aiunt in inductione non esse extrema

οὖν πρότερος καὶ γνωριμώτερος ὁ διὰ τοῦ μέσου συλλογισμός, ἡμῖν δ' ἐναργέστερος ὁ διὰ τῆς ἐπαγωγῆς. *Arist.*, Anal. prior. 2, 23 (68 b 32).

[1] Cf. *Arist.*, Anal. prior. 2, 23.

inter se unita, quae prius cum diverso medio coniuncta sint, et hac in re causam esse, cur syllogismus et inductio sint argumentationes specie inter se differentes. „Quoniam, inquiunt, argumentationes differunt per dispositionem seu formam: sed syllogismus et inductio habent dispositiones et formas specie sive essentialiter distinctas: siquidem in syllogismo extremitates uniuntur cum medio in praemissis, ex vi cuius unionis uniuntur postea inter se in conclusione, ac proinde ibi proprie datur medium uniens extrema: inductio vero habet dispositionem longe diversam; nec enim in ea datur medium uniens extrema; sed loco plurium terminorum singularium, qui sunt in antecedenti, ponitur terminus communis aequivalens in consequenti: ergo sunt argumentationes specie distinctae.“ [1]

296. Num inductio ad syllogismum revocanda sit. Antiquiores scholae peripateticae omnes Stagiritae vestigiis omnino inhaerentes inductionem ut alterum argumentandi genus a syllogismo *deductivo* separant, intellegentes inductionem sicut syllogismum tribus iudiciis constantem. „Est autem haec“, ut dicit *Albertus Magnus*, „una quaedam species ratiocinationis dialecticae inductio, illa vero syllogismus.“ [2]

Sed inter recentiores haud pauci arbitrati sunt inductionem esse syllogismum truncatum, in quo alterutra praemissa reticeatur, ut fieri assolet in enthymemate. Sed horum alii aliam ex praemissis omissam putant. Nostro tempore notissima est eorum doctrina, qui praemissam maiorem omissam esse censent. „Omnis inductio“, inquit *Wolff* [3], „est enthymema contentum sub hoc syllogismo categorico generali: Quidquid competit singulis inferioribus, id etiam competit omni superiori, sub quo continetur. Sed hoc competit vel non competit singulis inferioribus. Ergo hoc competit vel non competit omni superiori.“

Sed wolffiana haec reductio 1. *supervacanea* est et omittenda. Inductionis legem et fundamentum recte quis dixerit principium illud: Quidquid convenit singulis inferioribus, convenit toti superiori; sicut fundamentum syllogismi in illo principio cernitur: Quidquid convenit toti superiori, convenit etiam singulis inferioribus. Ecquis syllogismos omnes ad unum generalem revocandos esse duxerit, cuius maiore fundamentum hoc exprimatur? Lex enim fundamentalis non ingreditur ipsum syllogismum ut ipsius elementum seu pars.

2. Praeterea illa ad syllogismi formam translata inductio non est integra, sed ex ea parte manet *manca*, ex qua sananda putabatur. Quod quo facilius intellegatur, exemplum ponatur huiusmodi:

Quidquid competit singulis inferioribus, id etiam superiori competit.
Atqui mendacitas competit Paulo Cretensi et Tito et Caio.
Ergo omnibus Cretensibus competit mendacitas.

---

[1] Collegii *Complut.* artium cursus tom. 1, l. 4, c. 1.
[2] L. 1 top. tract. 3, c. 4. Cf. *S. Thom.* in l. 1 anal. post. lect. 3.
[3] Log. part. 1, sect. 4, c. 6, § 479.

Mancam dicimus hanc argumentandi formam, quia in his syllogismis id ipsum desideratur, propter quod inductiones in eos transformabantur. Illico enim apparet in praemissis subiectum conclusionis: *Cretenses omnes* deesse, cum tamen natura syllogismi postulet, ut in alterutra praemissa subiectum conclusionis comparetur cum termino medio. Cuius rei ipse *Aristoteles* nos monitos esse voluit [1]. Et res manifesta est tum solum per inductionem institutam *ratione formae* nos certos esse posse, *Cretenses omnes esse mendaces,* cum *Paulum, Titum, Caium esse Cretenses omnes* sciverimus. Id autem ut sciamus, numeratio sola non suppeditat.

297. Alii iam ante *Wolffii* tempora inductionem syllogismum vel enthymema esse dixerunt, in quo non propositio maior, sed *minor* omissa esset [2].

Paulus, Titus, Caius mendaces sunt.
(Atqui Paulus, Titus, Caius sunt Cretenses omnes.)
Ergo Cretenses omnes mendaces sunt.

Atque id quidem satis luculente. Non tamen his verbis syllogismus proprie dictus exprimitur. Syllogismum in hac re habebis: *Omnes Cretenses sunt mendaces. Atqui Paulus, Titus, Caius sunt Cretenses. Ergo Paulus, Titus, Caius sunt mendaces.*

Vides igitur in syllogismo demonstrari, notionem summam sive praedicatum (extremum maius) notioni infimae sive subiecto inesse, atque id demonstrari interiecto medio; in inductione autem ostendi, notionem summam inesse notioni mediae, idque demonstrari per notionem infimam. Quod *Albertus* hoc modo significat: „Inductio et syllogismus, qui est ex inductione, est alterum extremum de medio per alterum sive tertiam extremitatem syllogizare. Dico autem tertium, quia tria sunt: primum et medium et tertium: et syllogizatur in syllogismo inductivo primum de medio per tertium.“ [3]

At, inquies, cur inductio haberi non possit syllogismus figurae tertiae? [4] Nam sicut hic, ita ibi terminus medius in praemissa utraque subiectum est. Respondeo id ideo fieri non posse, quia in syllogismis figurae tertiae conclusio omnis particularis est, in inductione autem semper universalis [5].

Dices fortasse: Inductio, cuius exemplum posuit *Aristoteles* hoc modo, est syllogismus figurae primae: *Homo, equus, mulus est longaevus. Atqui quidquid vacat bile, est homo, equus, mulus. Ergo quidquid vacat bile, est longaevum.* Sed revocandum est in memoriam, reductionem de qua quaeritur ratione formae fieri, non autem ratione materiae. Haec autem, quae nunc facta est, secundum materiam tantum est facta.

„Dicendum“, ut ad rem accommodate *Albertus Magnus,* „quod inductio in syllogismum reducitur materialiter et non formaliter, ita quod forma

[1] Anal. post. 1, 5.
[2] Videsis *Sanseverino,* Log. part. I, vol. 2, p. 304.
[3] L. 2 prior. anal. tract. 7, c. 4.
[4] Cf. *Arist.,* Anal. prior. 2, 23; *Drobisch,* Logik § 147.
[5] Cf. *Trendelenburg,* Logische Untersuchungen II 370 sqq.

inductionis reducatur in formam syllogismi: sed quia materia nunc exsistens sub forma inductionis reducitur ad acceptionem formae syllogisticae . . . ideo, cum inductio reducitur in ipsum, non salvatur in eo natura syllogismi proprie dicti secundum modum, hoc est, secundum quod est ostendere in ipso primum de medio per tertium, quod proprium est inductionis." [1]

Quibus ex rebus iudicari potest, posse quidem aliquam fieri inductionis ad syllogismum reductionem, quatenus materia in forma inductionis contenta transfundatur in formam syllogisticam: attamen formam inductionis a forma syllogismi deductivi omnino diversam esse: aliis verbis: manet diversitas essentialis inter demonstrationem deductivam et inductivam; neque potest inductio in *simplicem* syllogismum deductivum converti.

298. Ut autem vis *demonstrativa* inductionis (et etiam eius relatio ad ratiocinium in genere) explicetur, necessario considerandae sunt divisiones inductionis:

1. in inductionem *completam* et *incompletam;*
2. in inductionem *perfectam* et *imperfectam.*

Completa est inductio, in qua omnia singularia per se actu sive in propria forma inducuntur ut per experientiam vel experimentum probata.

Incompleta est, in qua aliquibus in propria forma enumeratis fit conclusio ad omnes.

Perfecta est vel *imperfecta,* prout conclusionem universalem gignit aut certam aut tantum probabilem.

Inductio completa potius est illatio immediata (per abstractionem et subsumptionem) quam proprie dicta argumentatio per ratiocinium. Semper est perfecta, modo iudicia de singularibus sint certa. De hac inductione completa non opus est ultra quid dicere.

299. Inductio incompleta *ex sola enumeratione* seu per modum abstractionis et subsumptionis non potest gignere certam conclusionem universalem. Qua de re *Scotus:* „Ad habendum opinionem de conclusione sufficit inducere de aliquibus singularibus: sed ad inferendum de necessitate oportet inducere de omnibus." [2] Probabilitas autem addita ad probalitatem non fit necessitas vel certitudo. Ut igitur inductio enumerative quocumque gradu incompleta possit fieri vere *demonstrativa, tot* ac *tales* observationes

[1] l. 2 prior. anal. tract. 7, c. 4.
[2] In l. 2 anal. prior. q. 8, concl. 5, ad ultimum.

de singularibus requiruntur, quot et quales requiruntur et sufficiunt, ut ostendatur *necessaria* conexio inter praedicatum et subiectum. Quamprimum id obtinet, inductio incompleta est talis, ut quoad valorem suum obiectivum aequivaleat inductioni completae.

Aristoteles cum videret singularia sive particularia quodammodo universalis partes esse, curandum quidem esse docuit, ut hae partes ad efficiendum totum acciperentur omnes, utque ita inductio eam vim haberet, quae ex enumeratis partibus omnibus eveniret [1]. Neque tamen Stagirita id postulavit, ut inductio fieret per explicitam omnium omnino partium singularium enumerationem — id enim in rebus plurimis fieri non posse probe intellexit. Sed contentus erat, ut acciperentur *satis* ea, quae apparerent *(ληφθέντων γὰρ ἱκανῶς τῶν φαινομένων)* [2], sive sensu cognoscerentur. Et ubi primum certi esse possumus, id quod in aliquibus observatis rebus singularibus insit, etiam ceteris rebus eiusdem speciei non observatis convenire, iam res acceptae sunt satis *(ἱκανῶς)*, et enumerationem factam pro plena et integra accipere nobis licet, etiamsi explicite integra et plena non est, sed actu incompleta esse videtur.

Praedicatum aliquod subiecto alicui individuali convenire potest aut mere per accidens et contingenter et ex ratione aliqua individuali, aut potest subiecto convenire necessario et ex ratione aliqua in illius subiecti specifica natura seu essentia fundata. Quae solum contingenter subiecto conveniunt, generatim modo adsunt, modo absunt, vel saltem variatis utcumque condicionibus et circumstantiis variantur. Ad perficiendam igitur solidam inductionem, quae nititur et incipit ab experientia et procedit ratiocinando, aeque necessaria est prudens et diligens *observatio* (cum experimento) et recta applicatio *principiorum* inductionis.

300. **Observatio et experimentum ad inductionem recte instituendam necessaria** (cf. n. 339). Inductionem omnem ab experientia proficisci diximus. Est autem in nobis experientia, dum singularia per sensum cognoscimus. Itaque maximopere in inductionis negotio necessarium est, ut recta et certa de rebus acquiratur experientia, a cuius quippe veritate veritas ipsius inductionis pendeat.

Experientia externa est, si facta externa respicit: interna, quae facta interna manifestat. Cum de eventibus externis agitur,

[1] *Ἡ γὰρ ἐπαγωγὴ διὰ πάντων* (Anal. prior. 2, 23 [68 b 28]).
[2] Anal. prior. 1, 30 (46 a 20).

maxime iuvamur *observatione* et *experimento*. Cum de rebus internis experientia habenda est, illa potissimum observatio adhibebitur, quae speciali *meditationis* nomine insignitur, quae nihil aliud est quam cogitationum nostrarum accurata inspectio.

Experimenti vox apud veteres latius patet. Est enim experimentum, ut dicit *Aquinas*, „ex collatione plurium singularium in memoria receptorum", et addit: „Ex memoriis in hominibus experimentum causatur, quia ex multis memoriis unius rei accipit homo experimentum de aliquo." [1] Id igitur, quod vocarunt experimentum, ex sensibus efficitur et ex memoria, siquidem singularia sensibus apprehenduntur et memoria retinentur. Posterioris autem temporis logici inter observationem et experimentum distinguunt.

Observatio in eventibus, ut quasi sponte occurrunt, perspiciendis colligendisque se continet, neque ad hunc finem naturalem rerum condicionem immutat nisi omnino extrinsecus. *Experimentum* autem certas quasdam effectuum naturalium producendorum causas ponit, substantias substantiis subdit easque inter se miscet, atque ita arte quadam et industria effectus novos et insolitos progignere conatur. Id „tentare naturam vocant". „Tentare", ut dicit *Aquinas*, „est proprie experimentum sumere de aliquo. Experimentum autem sumitur de aliquo, ut sciatur aliquid circa ipsum. Et ideo proximus finis cuiuslibet tentantis est scientia." [2]

Quotuplex observatio et experimentum requiratur, pendet a materia. Accidere potest, ut ex aliunde iam notis et cum iis pauca, immo unicum factum novum sufficiant ad manifestandam causam vel rationem, ob quam praedicatum subiecto conveniat [3].

Aristoteles in libris, qui exstant, de arte observandi et experiendi nihil ex industria dixit. Verum in omnibus suis libris, ut recte observat *Sanseverino* [4], iis praesertim, quibus scientiam rerum naturalium complexus est, observationes assidue a se factas exposuit, et si quid a suis antecessoribus vel non observatum vel observatum perperam fuit, illud diligenter adnotavit [5]. Neque solum observationes adhibuit, sed adhibendas esse praecepit, eo quod ratio sine observationum praesidio naturas rerum assequi non posset [6]. Atque in historia animalium, in physiognomicis, in iis quae de respiratione, de iuventute, de aliis rebus scripsit, multi sunt loci, qui ostendant ab Aristotele omnes illas leges observatas esse, quas *Baco de Verulamo* ad artem experiendi refert, et

[1] In l. 1 met. lect. 1. [2] S. th. 1, q. 114, a. 2.

[3] Cf. de hac tota quaestione *Vogt*, Stundenbilder der philos. Propädeutik: Logik p. 124 sq.

[4] Log. IV 176. [5] De respiratione c. 1—7 (470 a 19 sq).

[6] De animalium motione c. 1 (698 a 12).

qui ignoraverunt Baconem, sancte tenuerunt *Galilei, Kopernicus, Tycho, Kepler, Boyle, Hooke, Borelli, Kircher.*

301. Inductionis principium generale ab aliis aliis verbis concipitur. Alii dicunt: *In rebus naturalibus proprietas semper observata in individuis alicuius speciei ceteris omnibus individuis eiusdem speciei convenit.* Alii: *Eadem causa naturalis in iisdem condicionibus posita eundem effectum producit.* Newton: *Effectuum naturalium eiusdem generis eaedem assignandae sunt causae*[1]. Quod principium verbis *S. Thomae* enuntiari potest: *Natura uno et eodem modo operatur, nisi impediatur*[2], vel: *Natura determinata est ad unum*[3]. Alii dicunt: *Reperiuntur a nobis in mundo leges perpetuae et universales.* J. St. Mill: *Naturae cursus uniformis est*[4]. Cf. infra n. 695 sq.

Sed utcumque principium effertur, semper ab illo principio primitivo deducitur, quo *nihil fieri sine ratione* sive causa enuntiatur. Ex quo principio recte infertur etiam rationem sive causam esse, cur res aliqua universe et constanter in observatis individuis alicuius speciei insit. Nulla autem ratio, quae *praeter* naturam horum individuorum indicatur, illi facto explicando satis esse potest. Ubicumque igitur individuum est eiusdem naturae, id etiam eadem proprietate praeditum sit necesse est. Nam, ut est apud *Aquinatem*, „oportet, ut quae ad aliquam naturam pertinent, conveniant omnibus suppositis in natura illius“[5].

302. Principia specialia, quibus principium inductionis generale applicatur, sunt haec:

1. Praedicatum, quod variatis utcumque adiunctis (condicionibus, circumstantiis) *externis* rei alicui constanter convenit, debet habere *rationem constantem* in ipsa illa re seu ipsi *illi rei intrinsecam.* Est applicatio principii rationis sufficientis ad constantiam et uniformitatem rei seu effectus.

2. Ratio intrinseca *constans* alia esse non potest nisi ipsius rei natura. Aliis verbis debet ultimatim esse in rei aut notione generica aut in differentia specifica, brevi in specifica eius natura: potest proxime fundari in aliquo rei *proprio;* sed non potest constantia illa habere rationem sufficientem in rei accidente (logico).

3. Quod ad naturam aliquam pertinet, convenire debet omnibus individuis, quae eam naturam habent.

[1] De mundi systemate l. 3: Regul. philosophandi reg. 2.
[2] S. th. 1, q. 19, a. 4. [3] Ibid. q. 41, a. 2.
[4] System of logic book 3, ch. 3. [5] De pot. q. 9, a. 9 ad 2.

303. Inductio incompleta perfecta est verum et strictum ratiocinium. Ad formam igitur ratiocinii, i. e. ad syllogismum aliqua ratione reduci potest, non tamen ad syllogismum deductivum *simplicem*, uti iam diximus. Sed reducitur ad *syllogismorum saltem trium complexionem;* quorum maiores sunt tria principia modo enumerata, minores ex observatione hauriuntur. Neque vero est necesse, ut explicite isti tres syllogismi formentur, cum satis sit ostendisse et nosse conclusionem inductivam istis principiis inniti. Si ostenderis variatis utcumque circumstantiis externis et etiam variato statu accidentali interno praedicatum constanter tali subiecto convenire, id sufficit ad inducendam conclusionem universalem.

Notandum: Accidere potest, ut inter adiuncta sint aliqua, quae a nobis variari vel mutari non possint. Si igitur in tali casu res omnibus condicionibus reliquis (per nos mutabilibus) variatis constanter eundem agendi modum ostendit, non possumus statim concludere illum constantem agendi modum ab ipsa natura rei provenire; sed possumus et debemus agnoscere hanc legem particularem: Illa res sub adiunctis illis immutabilibus semper ita agit. Immo quandocumque agitur de causis necessariis (non liberis), cum primum effectum aliquem percipiamus, statim recte inferimus eam rem sub iisdem adiunctis semper eundem effectum producturam esse. Quo accuratius deinde variatis circumstantiis inquirimus, eo clarius et distinctius secernimus inter rei accidentalia et rei propria, et ita inductio est medium uberrimum acquirendi conceptus distinctos et adaequatos essentiarum.

Necessitas inductionis iam ab *Aristotele* et *scholasticis* agnita fuit. Maiorem inductionis esse attentionem et frequentiorem eius usum, ex quo scientiae naturales magis magisque excoli coeptae sunt, non est mirandum, sed laudandum. Numquam tamen oblivioni dandum fuit inductionem solam nulli scientiae perfectae sufficere.

Neque enim ipsa inductio est a deductione independens; nam generalia inductionis principia ex analysi idearum et argumentis deductivis hauriri debent. Qui id neglegi voluerunt, ut *Baco, J. St. Mill*, ad veram certitudinem inductionis non pervenerunt[1].

Quod magis patebit, postquam in critica singuli cognitionis humanae fontes fuerint tractati.

§ 5. De demonstratione indirecta.

304. Distinguitur demonstratio in directam et indirectam. *Directa* est, cum praedicatum quaestionis subiecto convenire aut non convenire ostendimus propter notas aliquas, quae vel subiecto vel praedicato insunt. Hoc modo „Deum non esse pendentem ab

[1] Cf. *Sigwart*, Logik II² 410 416 sqq.

alio" demonstrabis propter notam „causae primae", quae est de subiecti ratione, hoc syllogismo: *Causa prima ab alio non pendet. Atqui Deus est causa prima. Ergo Deus ab alio non pendet.* — *Indirecta* est demonstratio, cum ex contradictoria propositionis demonstrandae deducimus conclusionem aperte absurdam. Demonstratione indirecta argumentaberis contra negantes aeternitatem Dei: *Quod non est aeternum, ab aliqua causa productum est. Atqui vos dicitis Deum non esse aeternum. Ergo Deum ab aliqua causa productum esse debetis dicere, i. e. causam primam ab aliqua causa priore productam esse; quod aperte absurdum esse videtis.*

Demonstratio indirecta proferri etiam potest per formam disiunctionis; sed ut vera sit, disiunctio ita completa esse debet, ut res omnes, quae aliqua ratione cogitari possunt, proponantur.

Per utramque hanc viam ad certitudinem de conclusione habendam pervenire possumus et adversarios, ut assentiantur, cogere. Verum inter priorem et alteram id est discriminis, ut demonstratione directa ostendatur, quam ob causam conclusio sit admittenda, indirecta ostendatur dumtaxat, rem esse admittendam. Illa ad affirmandum adducit, haec a negando absterret: illa docet per ostensam veritatem, haec cogit propter fugiendam absurditatem [1].

Directa demonstratio etiam vocatur apodictica sive probans. Indirecta etiam *elenctica* sive *refutatio* vocatur (*ἔλεγχος. ἀναασκευή*), quia adversam propositionem impugnat eo, quod ostenditur eius falsitas vel contradictoriae veritas [2]. In quo negotio pariter curandum est, ut sententia refutanda et accurate intellegatur, et fideliter referatur, et unde ortum duxerit, ostendatur [3]. Neque id minus de argumentis ab adversario allatis curandum est, quae singillatim sunt subruenda vel eo, quod ostendatur desiderari in iis consequentiam, vel refutando sumptiones argumentorum, vel distinguendo eorum vim et pondus ita, ut ostendatur, quae sit vera eorum potestas, quae falsa. Ex quo apparet argumentationem elencticam sine apodictica esse vix posse.

305. Inter argumenta indirecta haec sunt praecipua:

1. *Argumentum ab absurdo* (sive ex absurda hypothesi; accuratius ex hypothesi alicuius absurdi n. 175), quo ostenditur sump-

[1] Qua ratione haec argumentatio indirecta potissimum inserviat refutationi et illi quam dicunt „crisi negativae", praeclaris exemplis ostendit *Trendelenburg,* Logische Untersuchungen II 432 sqq.

[2] *Ὁ γὰρ ἔλεγχος ἀντιφάσεως συλλογισμός* (*Arist.,* Anal. prior. 2, 20 [66 b 11]). *Ἔλεγχος δὲ συλλογισμὸς μετ' ἀντιφάσεως τοῦ συμπεράσματος* (De sophist. el. c. 1 [165 a 2]).

[3] *Arist.,* Ethic. Nicom. 7, 15 (1154 a 22).

tionem thesi contradictoriam esse falsam et absurdam. Commode id ad refellendos adversarios adhibetur, et saepe ab *Aristotele* adhibitum videmus. Qua de re *Bonitz:* „In examinandis refutandisque superiorum philosophorum sententiis, qua in re multum operae ponit Aristoteles, plerumque eo utitur disputandi genere, ut non tam ipsa principia, unde profecti sunt, evertat, sed alia quaedam, quae ipsi placitorum auctores non deduxerunt, inde consequi demonstret, atque ita eos, ut aiunt logici, ad absurdum ducat." [1]

2. *Argumentum negativum* adhibemus, cum nullum ad nostram demonstrandam sententiam usurpamus, sed negamus ullam rationem esse, quae pro sententia contradictoria afferri possit. Hoc modo onus probandi adversario imponimus eumque provocamus, ut proferat, si quid habeat, quod dici possit; velut cum quis argumentatur: Consideratis omnibus nulla apparet in re contradictio; res ergo possibilis est. Vel: Nulla est causa, qua id efficiatur; ergo id non exsistit. Vel: Id gratis affirmatur; ergo gratis negari potest. Vel: Auctores omnes, qui huius facti mentionem facere et potuerunt et debuerunt, de eo silent; factum ergo non est credibile (cf. n. 749).

3. *Argumentum ex datis* sive *ad hominem* efficitur, cum pro confirmanda nostra sententia principia ponimus, quae in se quidem falsa sunt vel dubia, ab adversario tamen pro veris habentur. Quod argumentandi genus potius adhibetur, ut adversarius, implicatus difficultatibus, adigatur ad nostram accipiendam sententiam, quam utile est ad nostrae sententiae veritatem ostendendam. Sic contra mahumetanum pugnare possumus auctoritate Mahumetis.

Ad hunc locum illud etiam argumenti genus trahi potest, quo rem, de qua quaeritur, ut certam et concessam sumimus atque ad aliquid, de quo nulla est dubitatio, pervenimus, et ex quo res, quae proposita est, colligitur.

Hanc rem advertit *S. Ioannes Damascenus*, hoc ponens exemplum: „Quaestio haec proponatur, utrum anima immortalis sit. Quaesitum illud tamquam certum et indubitatum sumo ac dico: Quandoquidem immortalis est anima, est profecto tam bonis quam improbis actionibus merces constituta. Quod si merces constituta est, sane est, qui iudicium subeat, et qui iudicis obeat partes; esse quoque, qui rebus humanis provideat, et providentiam esse necesse est. Ad providentiam itaque pervenimus, quae quidem apud omnes extra dubitationem est. Atque hinc per compositionem sic disputo: Quoniam providentia est et index, sunt

[1] Considerationes criticae in libros met., Berolini 1842, 62.

quoque praemia et poenae. Quia autem sunt praemia et poenae, est etiam, de quo iudicium feratur. Cum ergo sit, de quo iudicium feratur, immortalis anima sit necesse est." [1]

306. 4. *Retorsio argumenti* fit, cum adversarium cogimus, ut ipse suum argumentum solvat, deducentes ex statutis ab ipso principiis vel extracta ab ipso conclusione, aut falsum esse, quod ipse verum dixerit, aut verum, quod ipse falsum.

5. *Inversio argumenti* fit, cum medium sive argumentum, quo adversarius utitur pro sua parte, invertimus ad rem nostram probandam.

6. *Instantia (ἔνστασις)* fieri dicitur, cum quis vim alicuius veritatis propositae negare conatur, provocans ad aliquid, quod cum ea veritate componi non possit.

7. *Argumentatio per distractionem* ab illo adhibetur, qui, neglecta responsione ad adversarii argumenta, eius mentem ad aliud vocat, quod iste solvere vel non potest vel non vult; inquientes quasi: Si tu recusas, etiam mihi recusare licet. Qua argumentandi ratione pertinacibus exploratae veritatis adversariis silentium imponi potest. Atque etiam iis occurri potest, qui difficilium rerum probationi quantumvis solidae et receptae acquiescere numquam volunt, sive propter parvitatem ingenii sive propter superbiae magnitudinem.

8. *Argumentum ad ignorantiam* adhibetur, cum adversarium provocamus, ut nostra solvat argumenta vel ut proferat meliora. Qua ratione etsi pro veritate per se nihil efficitur, non tamen sine utilitate homini importuno et cavillatori occurrere possumus.

9. *Argumentum ad verecundiam* ille adhibet, qui adversarium pondere auctoritatis opprimere conatur, tam vehementer extollens suae sententiae auctores et patronos, ut quicumque his contradicat, superbiae vel stolidae audaciae accusandus esse videatur. Neque id sine utilitate est, cum est causa cum iis, qui revera ex aliqua arrogantiae specie veritati refragari videntur.

ARTICULUS II.

De argumentatione probabili.

§ 1. De analogia.

307. *Analogia* (vel potius argumentatio ex analogia) ea est operatio, qua ex observatis et cognitis ad non observata atque

[1] Dialect. c. 68 (*Migne* 94, 664). Cf. *Roselli*, Logica q. 27, a. 5.

ignota propter similitudinem concludendo pervenimus. Ad analogiam referuntur quasi duae species: similitudo et exemplum (*παράδειγμα*). *Similitudinem* adhibemus, cum proprietates vel effectus vel causas unius analogi ex iis, quae alterius sunt, cognoscere volumus, velut cum quis ex condicionibus, quae ad *navem* recte gubernandam in nauarcho requiruntur, condiciones colligit, quae ad rem publicam administrandam sint necessariae. *Exemplo* ab una re gesta ad aliam similem ob paritatem rationis congruo modo concludimus; sicut illud *Augustini: Potuerunt illi et illae: ergo et tu poteris.* Quod si res non facta, sed ad iuvandum intellectum ficta sit, exemplum *parabola* dicitur.

Ad argumentationem ex analogia reducitur etiam illa, quae a *proportionalitate* trahitur, qua ab una proportione nobis nota aliam proportionem non compertam inferimus.

308. *Analogiae principia.* Quod in uno similium valet, valet in ceteris, et vice versa. Res similes producunt effectus similes, similes habent fines, similibus reguntur in agendo legibus. Dissimilibus dissimilia, contrariis contraria conveniunt.

Ex quo apparet analogiam secundum argumenti formam spectari posse ut enthymema atque ad syllogismum revocari hoc modo: Causae similes similes effectus producunt; atqui causae A et B similes sunt; ergo similes effectus producunt. Atqui effectus causae A, quem novi, talis est. Ergo effectus causae B, quem non novi, eiusdem rationis erit.

309. Analogia per se non valet, ut scientiam vel certitudinem in mente efficiat, sed opinionem tantum seu probabilitatem. Nam quamdiu in analogia tantum innitimur, non sumus certi proprietatem, quam deducimus, ad ipsam analogi essentiam pertinere; sed id nobis suadetur dumtaxat ex aliqua similitudine. Iam vero fieri potest, ut duo rerum ordines quantumvis similes, cum tamen in quibusdam inter se discrepent, et in ea proprietate, quam communem esse conicimus, et in aliis plurimum differant, cum praesertim naturae ordo sit nobis magna ex parte inexploratus. Sed nemo est, quin videat, quo plura sint et graviora ea, quibus duae res inter se conveniant, eo maiorem etiam esse probabilitatem argumenti analogiae[1].

§ 2. De hypothesi.

310. I. **Natura hypothesis.** Hypothesis intellegitur sumptio in se probabilis, qua indicatur causa, quae ad explicandum certum et

[1] Cf. *Tongiorgi,* Instit. log. n. 324.

notum effectum satis sit. Hypothesis definiri solet, ut sit propositio, cuius veritas nondum est demonstrata, quae tamen interim assumitur tamquam vera, quia ad indicandam causam quorundam factorum satis idonea est[1].

Non semper tamen hodierna significatio huic voci suberat. De *Stagirita* recte est apud *Trendelenburg:* „Quidquid aut rem esse aut non esse postulat, Aristoteli est ὑπόθεσις (l. 1 anal. post. c. 10). . . . Inde facillime ea significatio manavit, quam nunc quidem hypothesis habet. Quoniam autem scientia eo intenta est, ut in suo quaeque genere infinitae rerum varietati causam aperiat, haec quidem per se occulta ingenio anticipatur, anticipata autem ὑπόθεσις proponitur, ex qua, quae consequentia sunt, ducantur ut cum rebus comparata, causam, si discrepent, refutent, si congruant, confirment.“[2] Hunc hypotheticum cognoscendi modum *S. Thomas* in mente habuit, cum scriberet: „Ad aliquam rem dupliciter inducitur ratio: Uno modo ad probandum sufficienter aliquam radicem, sicut in scientia naturali inducitur ratio sufficiens ad probandum, quod motus caeli. . . . Alio modo inducitur ratio, non quae sufficienter probet radicem, sed quae radici iam positae ostendat congruere consequentes effectus, sicut in astrologia ponitur ratio excentricorum et epicyclorum ex hoc, quod hac positione facta possunt salvari apparentia sensibilia circa motus caelestes. Non tamen ratio haec est sufficienter probans, quia etiam forte alia positione facta salvari possent.“[3]

Pro varia autem eventuum natura triplex hypothesium classis indicari solet: physica, moralis, logica sive hermeneutica.

Physica est, quae ad explicandos naturae eventus ponitur, qui, cum naturalibus (non liberis) legibus regantur, proxime ad causas necessarias naturae rei internas referendi sunt. *Moralis* in iis adhibetur, quae a libertate pendent et moribus hominum. Hoc modo ex factis externis opinamur de ingenio hominum internaque sententia; ex actionibus intentionem agentis colligimus. Hypothesis denique *hermeneutica* in explicandis auctorum sententiis versatur vel in interpretando aliquo vocabulo et in huius generis similibus.

---

[1] „Die Hypothese ist die vorläufige Annahme einer ungewissen Prämisse, die auf eine dafür gehaltene Ursache geht zum Zwecke ihrer Prüfung an ihren Konsequenzen“ (*Ueberweg,* System der Logik § 134. Cf. *Trendelenburg,* Logische Untersuchungen II 420 sqq). „Hypothesen im wissenschaftlichen Sinne sind weder Tatsachen noch willkürliche und unbegründete Annahmen, sondern Voraussetzungen, die um der Tatsachen willen gemacht werden, aber selbst der tatsächlichen Nachweisung sich vorläufig entziehen“ (*W. Wundt,* Logik I[3] 439). Cum his convenit, rem si spectes, definitio a *Sanseverino* expressa: „Hypothesis est opinio ex pluribus principiis probabiliter constituta ad explicandam causam aut naturam alicuius rei, quae neque experientia innotescit neque adhuc ratione demonstrata est“ (Logica IV 301).

[2] Elem. log. Arist. § 66. [3] S. th. 1, q. 32, a. 1 ad 2.

311. ***Scholion 1.*** Errant, qui id omne hypothesim vocant, quod non immediate in se ipso sensu percipi possit.

Ex natura enim hypothesis perspicuum est id tantum hypothesim vocari posse, cuius veritas explorata nondum est, sed quod ad tempus ponitur tantum, ut cognoscatur, consentiantne ea, quae inde consequantur, secum ipsa et cum aliis rebus. Unde stulte dicunt, qui notitiam, quam prudens quisque habet de exsistentia substantiarum incorporearum vel de exsistentia Dei, vel qui generatim omnes certas ab effectu percepto ad causam non perceptam conclusiones vocant „hypotheses".

Scholion 2. Errant quoque, qui nomen hypothesis trahunt ad significandas quaslibet fictiones gratuitas vel opinationes vanas.

Namque hypothesis est „opinio ex observationibus, experimentis, rerum analogia vel notionibus bene definitis probabiliter deducta ad explicandam alicuius rei naturam causamque, ulteriori quidem disquisitioni et confirmationi committenda" [1]. Itaque ipsa ratione ad formandas hypotheses idcirco impellimur, quod causas rerum cognitarum cognoscere et generatim ex iis, quae iam habeamus cognita, ad ea progredi cupimus, quae adhuc sunt incognita.

Scholion 3. Differt quoque hypothesis stricte sumpta a sola *coniectura* vel suspicione, qua quis factum aliquod hoc vel alio modo se habere suspicatur. Attamen difficile est nonnumquam, inter hypotheses (vi vocis pressa) et coniecturas suspicionesve certum limitem ponere. Quam ob rem historici vel iudices vel philologi non vituperandi sunt, suspicionem aliquam vel coniecturam nomine hypothesis insignientes.

312. ***Scholion 4.*** Postquam de notione hypothesis accurate dictum est, vix opus est animadvertere hypothesim ex se solam dumtaxat *probabilitatem* gignere posse.

Qui enim hypothesim enuntiat, hoc modo ratiocinatur: Si haec causa exsisteret, hi eventus nobis exhiberentur; atqui hi eventus nobis exhibentur. Quibus ex praemissis, quae est natura syllogismi condicionalis, certo non sequetur causam illam exsistere. Verumtamen si hypotheses omnes, quae fieri possunt, colligis demonstrasque, omnes reiciendas esse praeter unam, quippe quae una factis respondeat, tum profecto absolute concludes: Haec causa certe exsistit. Et quae fuit hypothesis, in *thesim* mutabitur vel *theoriam* certam. Sed etiam ante hanc certam comprobationem hypotheses adhiberi possunt; cavendum tamen, ne ipsis utamur pro rebus certis.

Hac de re *Aquinas:* „Omnes plurima a se asserunt ignorata, sicut Aristoteles quadraturam circuli et rationes ordinis corporum

[1] *Iacob. de Bye,* Oratio universam hypothesium philosophicarum theoriam exhibens, Lugd. Batav. 1790, parte I, c. 1. Vide *Sanseverino,* Logica IV 301.

caelestium, in quibus, ut ipsemet dicit, nonnisi *topicas* rationes reddere potest; et quid sit in iis necessarium et eorum motoribus, aliis reservat." [1] Alio loco mentio incidit diversarum hypothesium, quas astronomi posuissent ad explicandos motus siderum, et addit Aquinas: „Illorum autem suppositiones, quas adinvenerunt, non est necessarium esse veras; licet enim talibus suppositionibus factis appareant solvere [irregularitates], non tamen oportet dicere has suppositiones esse veras, quia forte secundum aliquem alium modum nondum ab hominibus comprehensum apparentia circa stellas salvatur." [2]

313. II. **De usu hypothesis** primus aliqua praecepit *Plato* [3]. Et ipsum *Aristotelem* haud raro hypotheses adhibuisse constat [4].

Ex recentioribus aliqui usum hypothesium nimium coartarunt, immo fere vetuerunt. Inter quos praecipui illi sunt, qui *Baconis Verulamii* exemplum secuti experientiae et observationi sensili partes omnes in scientia contulerunt. Neque *Thomas Reid* abstinere potuit, quin in usum hypothesium vehementer inveheretur, nihil illarum ope inventum esse asseverans [5].

Non est infitiandum, propter hypotheses male adhibitas non raro scientiae haud leves difficultates creatas esse. Accidere enim facile potest, ut alicuius hypothesis inventor vel amator ita sit eius amore captus et obcaecatus, ut illam non habeat pro sola hypothesi, sed pro veritate probata, ut nihil videat, quod sit suae hypothesi contrarium. Unde multi errores, praeiudicia, falsae theoriae sunt orta, quae progressui scientiae magno impedimento fuerunt.

Sed his non obstantibus quivis videt magnam hypothesium utilitatem esse. Saepenumero enim homines adhibitis hypothesibus ad veras rerum causas cognoscendas adducti sunt et ad praeclara inventa, quibus vita humana magnopere exornatur. Hypothesibus detectae sunt leges, quibus res innumerabiles mirabili inter se ordine conectuntur. Et multa etiam facta, quae omissis hypothesibus numquam fortasse in cognitionem hominum venissent, nunc facili opera sunt cognita.

Cuius rei exempla cum plurima sint, pauca afferemus. Per hypothesim primum systema kopernicanum propositum et post reiectam hypo-

[1] S. c. gent. 3, 44. [2] In l. 2 de caelo et mundo lect. 17.

[3] Phaedon 100 A 101 D 107 B: Parmen. 127 sqq 134 sqq. Cf. *Ueberweg*, System der Logik § 134.

[4] Inter alios locos cf. Meteor. 1, 7 (344 sqq).

[5] Essais sur les facultés intellectuelles, Ess. 1, c. 3.

thesim ptolemaicam niti veritate cognitum est. — De planetarum itineribus *Kepler* proposuit sibi hypotheses viginti, et intervallo quodam paucorum minutorum adductus est, ut a considerationibus tychonicis regressus, novam hypothesim poneret, cuius deinde veritas multis observationibus et computis mathematicis est explorata. „Sola igitur haec octo minuta viam praeiverunt ad totam astronomiam reformandam.“ — Ut hypothesis deinde proponebatur primo lex universalis gravitatis, cuius veritas postea extra omne dubium est positum.

Atque id ipsum in sescentis rebus evenisse videmus. Immo multae sunt in natura res, in quibus perscrutandis vix aliter fieri potest. Nam, ut recte observat *Boscowich*, „non semper ea potest teneri via in naturae principiis investigandis, ut observationes quaedam proponantur, ex quibus recta ratiocinatione deducantur conclusiones, quae naturae leges generales contineant: verum, ut in enucleatione epistulae secretis notis scriptae, coniectando primum, et plures positiones inter se conferendo ad vocalarum quarundam expositionem devenitur, tum illas ipsas positiones iam retinendo in reliquis, iam corrigendo paulatim, post frequentissimos errores pervenitur tandem ad clavim aliquam generalem, quae idoneum aliquem sensum aperiat, quo ubi deventum est, clavis illa habetur pro vero, nisi quid in contrarium occurrat, sic in naturae investigatione procedendum“ [1].

314. III. Regulae de formandis hypothesibus. 1. Imprimis ipsum factum, cuius causa inquiritur, diligenter in omnes partes expendendum est; omnia, quoad eius fieri possit, adiuncta considerentur; compareturque ipsum cum aliis rebus sive similibus sive oppositis. Facile enim per analogias ad inveniendam veram causam deducimur.

2. Factum illud, si fieri potest, in multas partes dissolvatur, quo melius condiciones, quae ad causam de qua igitur momentum habent, ab aliis distingui possint.

3. Adminiculante vel aliqua inductione vel analogia vel oppositione fiat hypothesis, quae omnibus compertis facti condicionibus explicandis par esse videatur. Ex quo apparet vehementer peccare eos, qui hypotheses fingunt omni fundamento carentes.

Hanc regulam *Newton* praecipit, cum dicit: „Hypotheses non fingo“, postulatque, ut causa *vera* sit. Ut autem causa „vera“ sit, necesse est:

1° ut sit *possibilis et congruens notis naturae et vitae legibus.* Unde hypothesis, quae est contra leges metaphysicas vel mathematicas (ut est apud materialistas hypothesis de rebus improductis et per casum in ordinem redactis), vel quae est naturae dissona (ut est hypothesis de spiritibus in atomis vel plantis insidentibus), a limine reicienda est.

[1] Cit. apud *Sanseverino*, Logica parte 3, c. 8.

Necesse est 2°, ut et ipsa hypothesis et quae ex ea per legitimam consequentiam deducuntur, *nulli facto,* quod per experimentum vel observationem certo constat, *contradicat.*

Necesse est 3°, ut ea *facta,* ad quae explicanda ponitur, non inepte *explicet.*

Et 4° multum veritas causae confirmata erit, si alia facta similia inde iam sunt explicata. In natura enim omnia cohaerent, omnia inter se coaptata sunt.

Tandem 5° multum commendatur hypothesis simplicitate. Haud inepte enim in proverbio est: Simplex est sigillum veri.

315. IV. **Regulae de comprobandis sive verificandis hypothesibus.** 1. Postquam hypothesis propter condiciones facti principales est posita, videndum est, faciatne ea satis etiam condicionibus reliquis. Et quo pluribus ex his condicionibus sufficit, eo maiorem probabilitatem adipiscitur.

2. Deinde accurate ea omnia expendenda sunt, quae ex sumpta hypothesi consequuntur. Et quo consequentiae magis cum observatis factis et veritatibus aliunde cognitis conveniunt, eo maior est hypothesis probabilitas.

3. Praeterea etiam cum aliis naturae legibus cognitis est comparanda. Et crescit hypothesis probabilitas, quo plus fundamenti in his legibus habet, et quo plures eventus sunt, quorum causae una hypothesi explicantur; et quo minus aliarum hypothesium subsidiariarum indiget, et quo magis excluditur aliarum causarum possibilitas. Et magis etiam crescit, cum ex posita hypothesi deductae erant conclusiones particulares, quarum veritas post per experientiam comprobata est. Ita hypothesis *undulationis* post comprobata est propter detectam luminis refractionem conicam.

4. Post peractam probationem hypothesis aut cessat aut manet.

Hypothesis cessat, ubi vel certo falsam vel certo veram eam cognovimus. Et falsa quidem esse deprehenditur, si quidpiam ex ea consequitur, quod cum sanis rationis principiis vel cum certo experientiae facto evidenter pugnet; vel etiam si alia causa facti, de quo quaeritur, intellegitur esse vera. Vera autem esse deprehenditur vel eo, quod certo apparet factum aliam causam habere non posse nisi hanc, vel eo quod hypothesis omnibus facti condicionibus satisfaciat et consequentiae plurimae, quae ex hypothesi oriantur, per experientiam comprobatae fuerint.

Hypothesis, quae tali modo fuerit confirmata, fundamenta praebet condendae *theoriae,* quae ratione certa phaenomena ex causis sive legibus universalioribus explicat. Sed in huius vocis usu non omnes conveniunt. Alii enim eam tantum doctrinam theoriam vocari volunt, quae

probatis atque firmatis hypothesibus sit superstructa[1]. Alii nomen theoriae etiam illi doctrinae permittunt, quae hypothesis rationem nondum exuit[2].

Servatur autem hypothesis, si per comprobationem neque vera neque falsa esse demonstratur, igitur probabilis remanet.

§ 3. De probabilitatis aestimatione.

316. Hanc aestimationem iudicium intellegunt, quo determinemus, quanta sit alicuius opinionis probabilitas.

Ex ratiocinio paritur conclusio probabilis, cum vel alterutra vel utraque praemissa probabilis est. Et primo quidem, si in legitimo ratiocinio una pars antecedentis est tantum probabilis, altera certa, consequens erit tantum probabile. Quando enim non est certum duo convenire uni tertio, neque certum esse potest ea inter se convenire. Ob rationem similem, si in polysyllogismo, quo aliqua probatio efficitur, vel una propositio irrepat, quae solum probabilis sit, conclusio probabilitatis limites non egredietur.

Si deinde in ratiocinio legitimo utraque praemissa sit probabilis tantum, probabilitas consequentis tanta erit, quanta est probabilitas unius praemissae diminuta per fallibilitatem alterius partis. Consequens enim de fallibilitate sive incertitudine utriusque praemissae participat. Ex simili ratione efficitur, ut propositio, quae a multis hypothesibus pendet, quarum una alias supponit, probabilitatem minorem habeat. Sed haec, probabilitatem conclusionum quod attinet, hoc loco satis.

Saepissime in vitae usu cotidiano atque etiam in multis artibus et disciplinis accidit, ut necessitate quadam ad faciendas de eventibus futuris coniecturas vel formanda iudicia compellamur. Quam in rem haec praecepta accipimus[3]:

[1] Ita *Ueberweg:* „Die genügend bestätigte Hypothese, sofern sie als gemeinsamer Obersatz einer Reihe von Schlüssen zu Grunde liegt, begründet die *Theorie*, d. h. die Erklärung der Erscheinungen aus ihren allgemeinen Gesetzen" (System der Logik § 134).

[2] Ita *W. Wundt:* „Die Theorie umfaßt die Hypothese samt der Deduktion der Erscheinungen, zu deren Erklärung die Hypothese gemacht wurde. Die Theorie enthält aber immer Hypothetisches und Tatsächliches: denn sie verknüpft die Tatsachen auf der Grundlage der Hypothese. . . . *Darwins* Hypothese ist die Annahme einer Deszendenz der vollkommeneren aus unvollkommeneren organischen Arten durch die (rein mechanischen) Wirkungen des Kampfes ums Dasein; seine Theorie sucht aus dieser Annahme die Tatsachen der individuellen, der paläontologischen Entwicklung und manche andere biologische Erscheinungen zu erklären" (Logik I[3] 446).

[3] *Storchenau,* Instit. logic. n. 212.

1. Dispiciantur accurateque examinentur omnia adiuncta, quae exsistentiam effectus praecedere solent; ex iis enim solis prudenter iudicari potest, sitne effectus futurus necne.

2. Quod in certis adiunctis vix non semper accidit, maxima probabilitate, quae certitudini fere est aequiparanda, exspectari debet; quod numquam, aeque habendum est atque id, quod fieri non potest.

3. Contingentia non procedunt aequaliter, i. e. adiuncta causaeque similiter ad multos diversosque effectus comparatae modo hunc modo illum producunt. Neque ea, quae antecedebant, ullo modo ea determinant, quae sequuntur. Ita probabilitas *iactus aleae* nullo modo mutatur per se ex noto iactu praecedente.

4. Quando in causis ad multos effectus aequalis habetur dispositio, probabilitas pro effectu uno determinato est, sicut unitas ad numerum reliquorum effectuum possibilium.

5. Quando causa ad multos effectus aequali modo comparata est, tanto maior erit unius effectus prae altero probabilitas, quo saepius dispositiones ad eundem effectum recurrunt.

317. Accidere autem potest, ut motiva, quae probabilitatem efficiunt, non tam a natura rerum petantur quam a *numero* sive eventuum sive indiciorum. Quod si fit, iam aestimatio probabilitatis computis mathematicis subici potest.

Hic calculus probabilitatum definiri potest: determinatio exsistentiae probabilis alicuius eventus vel causae ex ratione numeri casuum secundorum ad numerum casuum possibilium. Haec enim determinatio a multitudine eventuum accipitur, cum aliquibus positis multa eaque diversa accidere possunt, quorum unumquodque modo accidit, modo non accidit. Qua in re duae quantitates sunt, quarum prior est summa omnium eventuum possibilium, quae rem spectant, altera est eventuum pronitas sive numerus casuum, in quibus unus vel alter eventus accidit vel accidere potest. Manifestum est autem probabilitatem eventus ceteris paribus eo maiorem fore, quo maior sit numerus casuum huic eventui faventium; et contra eo fore minorem, quo maior sit numerus eventuum possibilium. Itaque probabilitas eventus est in ratione directa quantitatis primae, et inversa secundae. Ex quo principio multae de hac probabilitate regulae deduci possunt. Atque haec dixisse satis est; reliqua potius ad mathematicos spectant [1].

318. ***Scholion 1.*** Illud hoc loco monitum esse volumus, computationem istam probabilitatis mathematicam rebus a voluntate *libera* pendentibus applicari non posse. Sed ne reliqua quidem, quae in voluntatem humanam aliquo modo agere solent, ut sunt passiones vel habitus acquisiti,

[1] Qui plura desiderat, adeat *Tongiorgi,* Instit. logic. n. 413 sqq; *Palmieri,* Log. 252 sqq; *Drobisch,* Logik § 155.

secundum quantitatis rationem aestimari possunt, cum potius indolem *qualitatis* et naturae habeant quam quantitatis.

Scholion 2. Etiam de plurium factorum vel testimoniorum coniunctione regulas mathematicas traditas accepimus, in quo genere sunt fere hae[1]:

1. Probabilitas concurrentiae duorum factorum inter se non dependentium exprimitur ut productum probabilitatum separatarum, velut cum probabilitas facti A sit $^1/_6$ et facti B sit $^1/_{10}$, probabilitas concurrentiae A + B = $^1/_{60}$.

2. Probabilitas alterutrius ex duobus factis inter se excludentibus est summa probabilitatum separatarum; si igitur probabilitas facti A sit $^1/_6$, facti B sit $^1/_{10}$, iam probabilitas alterutrius (A aut B) erit $^4/_{15}$.

3. Vis testimoniorum inter se pendentium pro statuendo eventu est productum probabilitatum separatarum. Si testis A valet $^5/_6$ et B, qui audit repetitque, valet $^9/_{10}$, iam probabilitas facti eventus erit $^5/_6 \times {}^9/_{10} = {}^3/_4$.

4. Vis summae testimoniorum inter se non pendentium pro re facta habetur, si multiplicantur numeri exprimentes vim proportionatam cuiusque testimonii.

Hae autem vel regulae similes, etsi in se spectatae sua ratione non careant, ad usum tamen traductae haud levibus difficultatibus et fluctuationibus subsunt. Neque raro eiusmodi regulae ad libitum compositae per malum abusum ad infringendam omnem vim traditionis historicae adhibitae sunt[2].

319. ***Corollarium*** ad articulum II^{um}. Ergo *opinio* recte ab *Aquinate* dicitur esse actus intellectus, qui in unam fertur partem contradictionis cum formidine alterius[3]. Quae a scientia differt tum ratione materiae, quia scientia circa solas res necessario et immutabiliter veras, opinio etiam circa res contingentes et mutabiles versatur; tum ratione modi et causae, quia scientia demonstratione efficitur, opinio ex argumentatione probabili nascitur. Et quia argumentatio probabilis ex se debiliorem assensum efficere solet, sequitur ad gignendam opinionem haud raro argumenta plura probabilia requiri, cum „per unam demonstrationem, quae est efficax, in nobis scientia causetur“[4].

ARTICULUS III.

De argumentatione sophistica.

320. **Paralogismus: syllogismus pseudographus, sophisticus.** Quamquam *Aristoteles* semel vel iterum nomine sophisticae cogni-

[1] *van der Aa,* Log. prop. 14.
[2] Cf. *Laplace,* Théorie analytique des probabilités.
[3] S. th. 1, q. 79, a. 9 ad 4.
[4] *S. Thom.,* De virtut. q. unica, a. 9 ad 11; cf. 1 dist. 17, q. 2, a. 3 4.

tionem quamlibet significat, quae a perfectione scientiae proprie dictae deficiat, ex more tamen hoc nomine argumentationem falsam vocat, quae sub veri specie in errorem adducit[1]. Cum eum dicat sophistam esse, qui ex vana sapientiae specie captet quaestum, consequens est ad sophisma universe acceptum requiri duo: veri speciem et sinistram intentionem.

De quo sophismatum genere disserens *S. Augustinus:* „Sunt enim multa, quae appellantur sophismata, falsae conclusiones rationum, et plerumque ita veras imitantes, ut non solum tardos, sed ingeniosos etiam, minus diligenter attentos, decipiant. Proposuit enim quidam dicens ei, cum quo loquebatur: *Quod ego sum, tu non es.* At ille consensit; verum enim erat ex parte, vel eo ipso, quod iste insidiosus, ille simplex erat. Tunc iste addidit: *Ego autem homo sum.* Hoc quoque cum ab illo accepisset, conclusit dicens: *Tu igitur non es homo.* Quod genus captiosarum conclusionum Scriptura, quantum existimo, detestatur illo loco (Eccli 37, 23), ubi dictum est: *Qui sophistice loquitur, odibilis est.*“[2]

Dividunt autem sophisma in paralogismum, syllogismum pseudographum, syllogismum qui strictius sophisticus dicitur. Generatim enim captiosa ratiocinatio aut ex falsa syllogismi *forma* procedit aut falsam adhibet *materiam.* „Et est differentia inter hos duos modos, quia ille, qui peccat in *materia,* syllogismus est, cum observentur omnia, quae ad formam syllogismi pertinent. Ille autem, qui peccat in *forma,* syllogismus quidem non est, sed *paralogismus,* i. e. apparens syllogismus.“[3]

Exemplum prioris istud esse potest: *Quidquid non amisisti, habes. Thesaurum non amisisti. Ergo thesaurum habes.* Exemplum alterius: *Veritas odium parit. Quoddam mendacium parit odium. Ergo quoddam mendacium est veritas.* Cum autem de formae rectitudine supra dictum sit, quantum ad solvendos paralogismos satis est, hoc loco de illa tantum captiosa argumentatione agimus, quae ex falsa *materia* procedit.

Sed duplex iterum haec captiosa argumentatio distinguitur. Una in *syllogismo pseudographo* est, qui mendaci quasi et falsaria descriptione nititur et propositionibus constat, quae necessariae videntur, cum tamen falsae sint; syllogismum igitur demonstrativum imitatur, et fere semper ex principiis alicuius scientiae

[1] *Ἔστι γὰρ ἡ σοφιστικὴ φαινομένη σοφία, οὐσα δ' οὔ, καὶ ὁ σοφιστὴς χρηματιστὴς ἀπὸ φαινομένης σοφίας, ἀλλ' οὐκ οὔσης* (De sophist. el. c. 1 [165 a 21]).

[2] De doctr. christ. 2, 31.

[3] *S. Thom.* in l. 1 anal. post. lect. 22. Ita usus fert scholae, ut syllogismum peccantem in forma nominent paralogismum. Sed interdum paralogismum vocant syllogismum ex errore ortum, qui non animo fallendi sed bona fide profertur. Syllogismus vocatur captiosus, quando fallendi animo profertur.

propriis, quae latius vel pressius vel aliter accipiuntur, quam intellegi debent. Cuius generis principium illud est: *Ex nihilo fit nihil;* quo male utuntur ii, qui mundi creationem negant. Vel illud: *Ens infinitum realitatem omnem secum identificatam continere debet;* quod perperam intellectum a pantheistis ad stabiliendum suum errorem adhibetur. Atque ita ex scientia qualibet sophismata fieri possunt; ut cum quis hanc ratiocinationem profert, quae videatur demonstratio geometrica: *Lineae omnes a puncto ad punctum ductae inter se aequales sunt. Sed linea recta et curva a puncto ad punctum ductae esse possunt. Linea igitur recta et curva aequales esse possunt.* Has autem omnes fallacias solvere ad logicam non spectat, sed ad diversas disciplinas.

Omisso igitur syllogismo pseudographo alter restat, qui proprie *sophisticus* vocatur. Is ex probabilibus vel ex iis, quae probabilia videntur, conclusionem veram colligere videtur, neque tamen colligit. Qui cum ex communibus quibusdam fontibus venenum hauriat, quo omnis materia logica infici possit, in logica minime praetermittendus est.

321. I. Praecipua *verborum* vel *dictionis (παρὰ τὴν λέξιν) sophismata* sunt haec:

1. *Aequivocatio (ὁμωνυμία)* est unius nominis diversa significatio, velut cum quis hoc modo concludit: *Taurus mugit. Atqui Taurus est mons. Ergo mons mugit.*

2. *Amphibologia* sive ambiguitas non unius vocabuli sed orationis ambiguitate nititur, quod in antiquis paganorum oraculis saepe contigisse legimus; velut cum Pyrrho quaerenti, possetne Romanos superare, responsum est: *Aio te, Aeacida, Romanos vincere posse;* id quod et Pyrrhum a Romanis victum iri et Romanos a Pyrrho superandos esse aeque significare potest.

Scholion. *Amphibologia*, ut recte monet cardinalis *Zigliara*, multifariam potest occurrere[1], primo inde, quod oratio ex se complura significet, deinde ex constructione grammaticali; tertio ex eo, quod oratio praeter vim propriam etiam significationem metaphoricam habeat.

Exemplum primi ex iis habes, quae circa corporum resurrectionem de origenistis refert *S. Hieronymus*. „Credimus, inquiunt [origenistae], resurrectionem futuram. Hoc si bene dicatur, pura confessio est. Sed quia corpora sunt caelestia et terrestria, et aër iste, et aura tenuis iuxta naturam suam corpora nominantur, corpus ponunt, non carnem, ut orthodoxus *corpus* audiens, *carnem* putet, haereticus spiritum recognoscat. Haec est eorum prima decipula, quae si deprehensa fuerit, instruunt alios dolos.“[2] Exemplum secundi de se ipso affert *S. Augustinus*.

[1] Logica n. 43. [2] Epist. ad Pammachium et Oceanum.

Scripserat is: „Deus, cuius regnum est totus mundus, quem sensus ignorat.“ Quae verba retractans haec notat: „Si Deus intellegendus est, addenda fuerant verba, ut diceretur: quem mortalis corporis sensus ignorat. Si autem mundus dictus est, quem sensus ignorat, ille recte intellegitur, qui futurus est caelo novo et terra nova; sed etiam hic addenda erant illa, ut diceretur mortalis corporis sensus.“ [1] Et tertii exemplum, quem citavimus, auctor affert illud Christi apud Lucam 10, 4: „Neminem per viam salutaveritis“; quod quidem effatum non proprie est accipiendum sed metaphorice, ut maxima significetur in conficiendo itinere celeritas.

3. *Fallacia compositi aut divisi (σύνθεσις* aut *διαίρεσις)* est, cum ex eo, quod secundum sensum divisum aut compositum verum est, aliud deducitur in sensu composito aut diviso falsum; velut cum dicis: *Impossibile est vigilantem dormire. Sed Petrus vigilat. Impossibile igitur est Petrum dormire.* Vel hoc modo: *Quicumque est bonus et est dialecticus, est bonus dialecticus. Sed Petrus est bonus et est dialecticus. Ergo est bonus dialecticus.* Vel ita: *Omnis numerus par est aut impar. Sed quinarius est numerus. Ergo quinarius est par aut impar.*

Scholion. Sophismata sensus compositi et divisi facilius occurrere possunt in propositionibus modalibus vel in iis, in quibus aliquis terminus multis partibus constat, atque etiam in iis, in quibus aliqua vox ad voces diversas referri potest.

In modalibus sensus est compositus, cum praedicatum dicti refertur ad formale significatum subiecti; divisus autem, cum refertur ad materiale significatum huius subiecti. Cum igitur dico: *Impossibile est peccantem placere Deo,* propositio vera est in sensu composito, falsa in sensu diviso.

In illa autem propositione, in qua aliquis terminus partibus constat, quae inter se coniunctione *et* vel *aut* coniunctae sunt, videndum est, utrum propositio explicetur descensu copulato an copulativo, utrum disiuncto an disiunctivo (n. 125). Cum explicantur descensu copulato vel disiuncto, accipiuntur secundum sensum compositum; cum autem descensu copulativo vel disiunctivo, secundum sensum divisum. Qui dicit: *Duo et quinque sunt septem,* recte dicit in sensu composito, non vero in sensu diviso. Qui dicit: *Non omnis numerus est par vel impar,* recte dicit in sensu diviso, non vero in sensu composito.

Quodsi tandem in aliqua propositione aliqua vox ad diversas voces referri potest, sensus est compositus, cum refertur ad eam, ad quam naturaliter pertinet; divisus est, cum per quandam dicentis violentiam trahitur ad alteram.

[1] In l. 1 retract. c. 4, n. 2.

5. *Fallacia accentus (προσῳδία)* ex varietate pronuntiationis oritur; velut cum quis diceret: *Qui leporem (in silvis) quaerit, plurima loca lustrat. Sed tu domi sedens (in verbis) quaeris leporem. Ergo tu domi sedens plurima lustras loca.*

6. *Fallacia figurae dictionis (σχῆμα τῆς λέξεως)* est deceptio inde proveniens, quod aliqua dictio, alteri dictioni similis, eundem modum significandi habere videtur, nec tamen habet: velut cum argumentaris: *Poeta declinationem primam sequitur. Sed Vergilius est poeta. Ergo Vergilius declinationem primam sequitur.*

322. II. Praecipua autem *rerum* vel *ratiocinii sophismata (ἔξω τῆς λέξεως)* sunt haec:

1. *Fallacia accidentis (παρὰ τὸ συμβεβηκός)* est, cum id quod de adventicio ad subiectum attributo dicitur, etiam ad ipsum subiectum trahitur; velut cum quis dicit: *Hominem, qui sub velo latet, non cognoscis. Sed sub velo est mater tua. Ergo non cognoscis matrem tuam.* Vel: *Risibile est proprietas. Sed homo est risibilis. Ergo homo est proprietas.* Vel: *Hic homo ebrius est. Ergo est ebriosus.* Vel: *Scientia saepe male abutuntur homines. Ergo scientiae anteponenda est ignorantia.*

2. *Transitus a dicto simpliciter ad dictum secundum quid (τὸ ἁπλῶς ἢ μὴ ἁπλῶς)*, et contra; quae fallacia eo committitur, quod de re absolute et omni ratione enuntiatur, quod illi una tantum ratione convenit, aut contra; velut cum quis dicit: *Homo mortalis est. Ergo etiam anima humana mortalis est.* Vel: *Petrus in arte saltandi doctus est. Ergo est doctus.* Vel: *Carnes manducare non nocet. Ergo non nocet aegroto.* Vel: *Ecclesia nos certis diebus vesci carnibus vetat. Ergo a carnibus abhorret.*

3. *Fallacia ignorationis elenchi (ἡ τοῦ ἐλέγχου ἄγνοια)*, qua quis dicitur ignorare redargutionem sive reprehensionem *(ἔλεγχον)*, quae adversario recte opponi debeat. Is igitur hoc vitio notatur, qui non bene statuit propositionem, quam ipse tueatur contra adversarium, quo fit, ut loco rei redarguendae vel demonstrandae res alia substituatur, quae redarguenda vel demonstranda non est. Haec igitur fallacia falsam contradictionis apparentiam adhibet, et inde oritur, quod vera contradictionis elementa negleguntur. Peccant heterodoxi ignoratione elenchi, cum ecclesiam Christi sanctam non esse arguunt eo, quod sint christiani, qui sancti non sint; vel cum catholicos idololatriae accusant eo, quod hi putent sanctos veneratione dignos esse.

Fallacia elenchi potest etiam fieri in decursu argumentationis, unam rem alii substituendo, quod vocatur *ἑτεροζήτησις, μετάβασις εἰς ἄλλο γένος, ἐλέγχου μεταβολή.*

4. *Fallacia petitionis principii (τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν, αἰτεῖσθαι)* est, cum quis ex ea re, quae ut probanda in quaestione est, in probatione ut ex probationis principio proficiscitur, vel cum ad probandam rem ignotam alia res aeque nota vel potius ignota assumitur. Huc quoque *circulus vitiosus* spectat, quem ille committit, qui probat posterius quidpiam per prius, et deinde hoc prius per id ipsum posterius, velut cum quis in eadem quaestione, et contra eosdem adversarios disputans, probaret esse Deum inde, quod sint corpora, et esse corpora inde, quod sit Deus.

323. 5. *Fallacia consequentis (παρὰ τὸ ἑπόμενον)* consistit in illegitima conclusione ex aliqua condicione posita; velut cum quis dicit: *Si Socrates currit, movetur. Sed movetur. Ergo currit.* Vel: *Si aliquid est generatum, habet principium. At spiritus non est generatus. Non igitur habet principium.* Quae fallacia ideo contingit, ut dicit *Aristoteles,* „quia nonnulli putant, reciprocari consecutionem: quando enim, si illud sit, necessario hoc est, etiam putant, si hoc sit, alterum necessario esse. Unde etiam in opinione ex sensu deceptiones fiunt; saepe enim mel pro felle accipimus, quia melli consequens est flavus color; et quoniam accidit, ut terra, cum pluit, madefiat, etiam pluisse existimamus, si madida sit terra“ [1].

6. *Fallacia a non causa ut causa* — post hoc ergo propter hoc — *(τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον τιθέναι)* fit, cum ut alicuius effectus causa aliquid sumitur, quod causa non est; velut cum quis argumentatur: *Homines post simias in hoc mundi theatro orti sunt. Ergo ex simiis originem ducunt.* Vel: *Aliquae civitates ecclesiae Dei rebelles opibus floruerunt. Ergo discessio ab ecclesia est fons et origo felicitatis.* Et haec fallacia etiam committitur, cum conclusionis alicuius falsitas, quae ex aliqua praemissarum falsa provenit, alii verae tribuitur. Quod accidere potest, cum quis argumentatur ita: *Si nullum tempus esset, nox non esset. Si nox non esset, dies esset. Si dies esset, aliquod tempus esset. Ergo si nullum tempus esset, aliquod tempus esset.*

7. *Fallacia interrogationis multiplicis per modum unius (τὸ τὰ πλείω ἐρωτήματα ἓν ποιεῖν)*, quod sophisma exstruitur, cum interrogationes complures, quibus diversa responsa sunt danda, proponuntur simul ad modum unius, ita ut incautus, qui simpliciter negat aut simpliciter affirmat, erroris arguatur, v. g. *Virtus vitiumque suntne bona vel mala?* Quae stultitia in scriptis vix accidit, facilius tamen in disputationis aestu accidere potest.

[1] De sophist. el. c. 5 (167 b 1).

8. *Fallacia fictae universalitatis* inductio vitiosa est, cum quis pluribus vel omnibus tribuit, quod paucioribus individuis accidentaliter contingit, quasi ex uno discere omnes semper liceat. Cuius generis sophisticationem haud raro committunt; velut cum dicunt: *Sunt homines, qui sub pietatis specie vitam turpissimam agant. Ergo pietas omnis hypocrisis est. — Enumeratio fallax* fit, cum post enumeratas complures partes id toti integro tribuitur, quod solum enumeratis partibus convenit: velut cum quis dicit: *Anser, anas, cygnus natandi usum habent. Ergo omnes aves natantes sunt.*

324. ***Scholion.*** Non semel observatum est reperiri in organo *Aristotelis* nonnulla, quae fuerint propria illius temporis et ad Graecorum discipulorum, quos tum habuerit, ingenia pertineant[1]. Quibus praecipue adnumeraveris multa ex iis, quae praecepit de locis sophisticis particulatim. Qua in re ille nobis auctor et exemplar esse potest, ut nos maiore cum amplitudine attendamus ad errores horum quibus nos vivimus temporum.

Huius moderni sophisticationum generis exempla esse possunt fallaciae, quas indicat *P. F. Alb. Lepidi*[2]:

1. Sophisma *inductionis,* cum quis ex particularibus non satis enumeratis vel leges et effata universalia deducit, vel ea repraesentat ut absolute necessaria; cum tamen, quae ab inductione pura inferuntur, nonnisi ordinem actualem factorum respicere possint.

2. Sophisma *analogiae,* cum quis ex aliqua dumtaxat similitudine inter duo comperta, quidquid uni convenit, et alteri convenire infert.

3. Sophisma *hypothesis,* cum quis ex praesuppositione aliquorum, quae nulla solida experientia possunt probari, quaeque plerumque cum ratione pugnant, deducit conclusiones, quae proprio praeconcepto systemati favent. Huiusmodi sunt materialistarum hypotheses: *Materia est aeterna. Motus est aeternus. — Omnia fiunt ex iugi transformatione materiae et motus;* eius generis alia. Huic addi potest sophisma tripodis ex divinatione, nempe quod res ita fortasse contigerit.

4. Sophisma *auctoritatis,* cum quis infert ab auctoritate non vera sed apparenti confirmationem alicuius doctrinae. Est autem auctoritas non vera, quae est plebis, vel hominis ingeniosi, vel opulenti, vel potentis, sed in re de qua quaeritur non periti.

5. Sophisma *locutionis,* quae tota fucata, dulcedine sua animos rapit vel ubertate sententiarum elevat, ut sic decepti a facie externa, iudicent imbecilles, verum esse, quod sophistae affirmant; „iacet enim sensus", recte inquit *Quintilianus,* „ubi laudantur verba".

6. Sophisma *eruditionis,* cum quis copiam eruditionis ostendit ad pompam et apparatum, ut sic facilius suae auctoritati credatur.

[1] Cf. *Sanseverino,* Logicae prolegomena 197.

[2] Elem. philos. christ. I 329.

7. Sophisma *fulgoris,* quando aliquibus verbis generalibus, brevi et forti sententia, falsum ut verum asseveratur, vel contra; relinquendo sic tamquam probatam sententiam, quae est sophistica, vel uti explosam, quae est vera; cum tamen de ipsa nihil fuerit revera probatum.

8. Sophisma *sextarii,* quando ea dumtaxat de re dicuntur, quae propriae sententiae non adversantur; cetera vero, quae proprium possent turbare intentum, radula raduntur.

9. Sophisma *distractionis,* quando vera et falsa, certa et incerta, varia et disparata inter se, diffusa et tortuosa oratione simul miscentur; ex quo animus distractus virtute minuitur, confusus inde efficitur et impar ad iudicandum: ac sensim sine sensu falsitatis veneno inficitur.

10. In disputationibus sophistae modo adversarium repente invitant, ut probet hoc vel illud, ut ex eius inscitia ad favorem suum concludere quidpiam possint; quod sophisma *ad ignorantiam* vocant. Modo ad auctoritatem provocant, cui qui praesentes sunt, nonnisi inviti resistunt; quod sophisma *ad verecundiam* dicitur. Modo ex adversarii dictis apparenter inferunt res multitudini odiosas, quod sophisma *ad odium* nominatur. Modo adversarium cogunt ad praeferenda ea, quae derideantur vel contemnantur; quod sophisma *ad irrisionem* dici potest.

325. **Fines sophistarum** a veteribus logicis notati sunt praecipue quinque: redargutio, falsum, paradoxum, soloecismus, nugatio.

Fit *redargutio,* cum respondens in eadem disputatione admittere contradictorium eius cogitur, quod antea concesserat, velut cum quis sophistae concesserit, *dormientes non videre,* cum tamen *dormientes habere oculos* fateatur; hoc modo sophista arguet: *Qui oculos habet, videt. Atqui dormientes oculos habent. Ergo dormientes vident.* — Quod hoc loco dicitur *falsum,* absurdum intellegitur; ad quod admittendum sophista respondentem adigere conatur: *Homo habet, quod non amisit. Atqui alas non amisit. Ergo homo alas habet.* — *Paradoxum* sive inopinabile hoc loco illud est, quod cum contra opinionem audientium sit, a sophista, qui apud audientes de victoria gloriari velit, contra respondentem evincitur, velut cum quis coram imperitis rusticis respondentem cogere velit, ut admittat *solem terra maiorem esse.* — *Soloecismus* est vitium in orationis contextu. — Et *nugatio* est rei inutilis repetitio, ad quae vitia respondentem compellere nititur, ut aliis ridiculus videatur.

326. **Solutio sophismatum** duplex esse potest: *directa,* qua syllogismi falsitas ipsa ostendatur, et *indirecta,* ex qua satis appareat argumentum propositum obscurum esse atque ambiguum, etiamsi ea rem obiter tantum et quasi secundum superficiem tangat. Quarum quamvis prior pro dignitate scientiae praeferenda sit, altera tamen pro sophisticantis adversarii nequitia haud raro satis esse debet.

Generatim sophismata, quae vi multiplici unius vel complurium propositionum nituntur, ut sunt ea, quae ex aequivocatione, ambiguitate

compositione, divisione, accentu ducuntur, distinctione multiplicis orationis solvi debent. Si autem sophisma fuerit ex figura dictionis, vel ex accidente, vel ex dicto simpliciter aut secundum quid, vel ex consequente, vel ex non causa, peccatum etiam ipsam formam infecit, quapropter consequentia neganda est. Ignoranti elenchum negandum suppositum et verus status quaestionis aperiendus est. Sophisma quoque petitionis principii negata sumptione, in qua principium petitur, est dissolvendum.

327. Exempla argumentationis falsae. Ex iis, quae exposuimus, facile quis videt, quo vitio hae argumentationes infectae sint: Aliquis homo est albus; atqui Aethiops est aliquis homo: Aethiops ergo albus est. — Id quod ex longinquo video, potest esse homo; atqui plaustrum est, quod ex longinquo video; ergo plaustrum potest esse homo. — Si cani meo amputatum est caput, vivere desiit: atqui vivere desiit: ergo amputatum est ei caput. — Quae variae organismorum species per descendentiam ex communi stirpe originem habent, eae inter se similes sunt; atqui homo, simia, cetus inter se similes sunt: ergo ex communi stirpe per descendentiam ortum duxerunt. — Si Socrates mentitus est, vixit; atqui Socrates numquam mentitus est; ergo numquam vixit.

Qui multum bibit, bene dormit: atqui qui bene dormit, non peccat: ergo qui multum bibit, non peccat. — Animal est genus: atqui homo est animal; ergo homo est genus. — Quod emisti, comedisti; atqui emisti carnes crudes; ergo carnes crudes comedisti. — Avis est animal: atqui felis non est avis: ergo felis non est animal. Canis latrat; sed canis stella est; ergo stella latrat. — Duo et tria sunt minus quam quattuor; sed duo et tria sunt quinque: ergo numerus quinarius est minor quaternario. — Musicus non est ens naturale; sed Petrus est musicus; Petrus igitur non est ens naturale. — Duo et tria sunt par et impar; sed duo et tria sunt quinque: ergo quinque est par et impar. — Asinus est pater; sed asinus est tuus; ergo asinus est tuus pater. — Cicero aut amisit cornua aut non amisit; si amisit, habuit: si non amisit, retinuit. — Aut pluit aut non pluit; atqui non pluit; ergo pluit. — Quidquid est Aristotelis, possidetur ab Aristotele; sed iste liber est Aristotelis; ergo ab Aristotele possidetur. — Qui sanabatur, sanus est: atqui aegrotus sanabatur; aegrotus ergo sanus est. — Mus est monosyllabum; atqui mus rodit caseum: ergo monosyllabum rodit caseum. Qui potest moveri citius, potest moveri lentius; atqui qui ex tecto cadit, cadendo moveri potest citius: ergo cadendo moveri potest lentius. — Quod ego sum, tu non es; atqui ego sum homo; ergo tu non es homo.

Spiritus est activitate praeditus; materia non est spiritus; ergo materia non est activitate praedita. (Ita Cartesius.) — Esse nihil dicis, quidquid petis, improbe Cinna: si nil, Cinna, petis, nil tibi, Cinna, nego. (Apud Martialem.) — Omne extensum est corpus; sed omne spatium est extensum; omne ergo spatium est corpus. — Quidquid cogitat, exsistit: atqui nullum corpus cogitat: ergo nullum corpus exsistit. — Qui fur est, nocte circumvagatur; atqui iste nocte circumvagatur; ergo est fur. — Qui fidem iurisiurandi servat, is sancte iurat; atqui ille, qui se peiera-

turum iurat et peierat, is fidem iurisiurandi servat; ergo qui peierat, sancte iurat. — Quod quaeris ad cognoscendum, aut scis aut nescis; si scis, frustra quaeris; si nescis, etiam cum inveneris, non agnosces. (Ita Meno apud Platonem.) — Nullus pagus est maior urbe; atqui omne regnum est maius urbe; ergo nullum regnum est maius pago.

Nulla felis habet nonaginta novem caudas; sed una felis una cauda superat nullam felem; ergo una felis habet centum caudas. — Omne secundum sequitur immediate primum; atqui omne tertium sequitur immediate secundum; ergo omne tertium sequitur immediate primum. — Id quod nunc est Romae, nunc non est Coloniae; sed Romae nunc est lux; ergo nunc Coloniae non est lux. — Sedens non stat; sed sedens surrexit; ergo qui surrexit, non stat. — Nullus puer fuit vir; sed omnis senex fuit vir; ergo nullus senex fuit puer.

CAPUT IV.

De methodo.

328. **Methodi notio.** Methodus significat viam expeditam sive rationem aptam aliquid faciendi, ut finis operationis recte et facile obtineatur. De singulis tribus operationibus mentis recte faciendis iam tractavimus. Sed multiplex est inter eas conexio. Conceptus primitivi, quos ex ipsa experientia abstrahimus, non solum analysi, reflexione, comparatione, synthesi, sed etiam ope iudicii et ratiocinii perficiuntur, et ratiocinio hauriuntur conceptus discursivi. Immo perfectum rei alicuius conceptum saepe non acquirimus nisi post multiplicem experientiam, observationem, deductionem, inductionem.

Neque satis est ad scientiae perfectionem, ut disparatas multarum rerum notitias habeamus, sed institutione opus est, qua doceamur, quo modo notitiae illae apte coniungendae, quo ordine cognitionum et speciatim ratiocinationum seriem instituere debeamus, quo securius et facilius et ipsi veritatem obtineamus et veritatem obtentam cum aliis communicare possimus. Quae institutio iure a logica exspectatur, quippe cuius sit illa tradere, quorum mens generatim ad perfectam rerum cognitionem pervenire possit.

Speciatim reperiuntur praeterea methodi multae, quae singulis scientiae disciplinis sunt propriae, quae sub uniuscuiusque scientiae initiis ex principiis illius scientiae propriis constituendae sunt. Hoc modo dicunt de methodo scientiae mathematicae, chimicae, physiologicae, historicae. Maximopere autem cavendum est, ne eiusmodi methodi speciales ultra limites illius quam spectant scientiae extendantur.

Methodus apud logicos definiri solet: *modus ordinate procedendi in cognitione veritatis, quantum haec cognitio multarum operationum mentalium coniunctione comparari debet.*

329. *Omnis methodi tres potissimum leges* ab aristotelicis praescriptae sunt. Quarum *praecipua* est, 1. ut processus fiat ab iis, quae actu cognoscuntur, ad ea, quae actu nondum cognoscuntur, sive ut dicebant veteres, *a notis ad ignota,* vel a notioribus ad ea, quae sunt minus nota[1].

2. *Altera* lex est, ut a noto ad ignotum procedatur *per gradus* et minutatim, ita ut conclusiones singulae ex principiis immediatis et proximis eliciantur secundum rectas regulas, neque ullus inter eas saltus fiat[2].

3. Lex *tertia* est, ut servetur recta inter omnes progressionis gradus *conexio,* ita ut nulla sit enuntiatio, quae cum praecedente conexa non sit[3].

Praeterea omni methodo id proprium esse debet, ut *soliditate, claritate, brevitate* excellat. Quam ob rem suo loco a peripateticis praeceptum est: 1. ut omnia, quae ad *statum quaestionis* dilucidandum necessaria sunt, clare exponantur. 2. *Nihil* in terminis sit *ambiguum,* nihil obscurum, quod exacta definitione non determinetur, iisque ita determinatis insistatur itidem. 3. *Subiectum,* de quo quaestio est, *in partes,* quae separatim tractari possint, *recte dividatur,* quo rectius et facilius uniuscuiusque partis vis et pondus perspiciatur. 4. Neglectis iis, quae ad rem propositam nihil conferunt, cetera succincto sermone, qui ad claritatem tamen sit satis, exponantur. 5. *Probabilia a certis diligenter distinguantur,* neque admittatur quidquam ut verum, quin solido argumento probatum sit. 6. Si quae in re insint *difficultates,* eae *ne dissimulentur,* sed congrua explanatione cum sententiae propositae principiis componantur. 7. Id quoque subseciva opera attendatur, ut pro crescente agilitate ingenii res in se faciliores difficilioribus praemittantur[4].

Neminem autem praeterire potest, quam magna sit rectae methodi *utilitas.* Reddit imprimis res ad intellegendum faciles. Nam cum res certo ordine inter se pendeant et etiam nostrae potentiae cognoscitivae certo ordine inter se conectantur, fit, ut quae ordinata sunt, facilius multo intellegantur, firmius memoria retineantur, melius doceantur, quam quae turbata sunt et promiscua. Si enim cognitiones ita eliciuntur, ut

[1] Fusius hac de re *Sanseverino,* Log. IV 155 sqq.
[2] Cf. *S. Thom.* in l. 1 met. lect. 2; S. th. 1, q. 108, a. 7 ad 2.
[3] Cf. *S. Thom.,* De verit. q. 16, a. 2; 2 dist. 24, q. 2, a. 4 ad 3.
[4] Ita fere *M. Mangold,* Philos. recent. I: Log. pars 4, a. 1, § 2, n. 98.

veritate inter se cohaerent, fieri non potest, quin una veritas luce alterius efficiatur clarior. Erit etiam doctrina discentibus iucundior; delectat enim in oratione methodus, sicut in re qualibet apta partium dispositio.

330. **Quotuplex sit methodus.** Methodus universe duplex est, una prudentiae, artis altera. Quae est *prudentiae*, nullis certis legibus specialibus continetur, habet tamen normas generales, quas ab *Aristotele* praeteritas esse conqueruntur cartesiani. Quas res Stagirita videtur omisisse, quod essent faciles et pro re et condicione a prudenti quoque viro satis observarentur.

Methodus *artis* varia distinguitur. Si attenditur *materia*, haec methodus aut particularis est aut generalis. *Particularis* est, quae in singulis quaestionibus servari debet, sive docendo et refutando sive disputando. *Generalis* est, quae servanda est in continuata serie omnium quaestionum, quae circa rem datam occurrunt, ad systema quoddam cognitionum constituendum.

Si attenditur *finis*, quem mens sibi proponit, duplex iterum methodus est: *inventionis* sive investigationis rei incognitae et *probationis* sive declarationis, vel etiam rei contra adversarios *defensio*.

Si attenditur *instrumentum*, quod a mente adhibetur, methodus est *experimentalis*, in qua potiores partes sunt observationis, experimenti, inductionis, analogiae; est autem *rationalis*, si potius definitiones, axiomata, generatim conceptiones universales, demonstrationes adhibenda sunt.

Si denique *modus* attenditur, quo in rebus cognoscendis vel proponendis procedere possumus, methodi omnes ad *analyticam* et *syntheticam* revocantur. „Est duplex via procedendi ad cognitionem veritatis. Una quidem per modum resolutionis, secundum quam procedimus a compositis ad simplicia et a toto ad partem . . .: alia est via compositionis, per quam procedimus a simplicibus ad composita, qua perficitur cognitio veritatis, cum pervenitur ad totum.“ [1]

SECTIO I.

De methodo analytica et synthetica.

(Recole, quae habentur de divisione et definitione supra n. 132 sq, praesertim de methodo definitionis n. 150 sq.)

331. **Discrimen inter analysim et synthesim indicatur.** Cum non possimus uno mentis intuitu clare et distincte comprehendere,

[1] *S. Thom.* in l. 2 met. lect. 1, Manifestat difficultatem.

quidquid in rebus cognoscibile reperiatur, opus est, ut repetitis actibus ad partes singulas accedamus, quibus ex ordine consideratis, cognitionem rerum pro naturae nostrae indole perfectam consequamur. Quo in negotio duplici via procedere possumus: aut per viam *resolutionis* sive regressus a re ad principia, ex quibus res constat et pendet, aut per viam *compositionis* sive progressus ab his principiis ad ipsam rem. Ita nos in tradendis logicae praeceptis methodum *syntheticam* adhibuimus, dum a terminis ut primis elementis exorsi ad propositiones, ab his ad argumentationes progressi, nunc tandem de methodo dicimus. Qui a methodo incipiens, hanc in argumentationes, has in propositiones et terminos resolveret, is analysim sequeretur.

Itaque methodus analytica adhibetur a geometra polygona in trigona resolvente; a chimico, qui exploraturus naturam aëris, hunc in elementa resolvit. Adhibetur quoque ab eo, qui utcumque a toto integro ad partes integrantes progreditur; vel qui rem particularem singularemque ut totum quiddam considerat et inde ad rationes universaliores, ut sunt illius quodammodo partes, ascendit; vel qui argumentationem inductivam et a posteriori adhibet; vel qui ex factis particularibus leges universales constituit. Analytica methodus adhibetur quoque a philosopho rerum et phaenomenorum circumstantiam tum externorum tum internorum accurate expendente atque inde ad notiones universales et principia abstracta et ulterius ad Deum ut causam primam transeunte.

Scholion 1. *Aristoteles* resolutionem illam, qua res concretae sive posteriores ad elementa sua sive principia reducerentur, ἀναλύειν vocavit, attendens ad figuras mathematicas (διαγράμματα), quae analysi quasi retexuntur, donec ad primas unde ortae sint causas perveniatur. Quae causae ut retexenti rem postremae sunt, ita in nascentium rerum ordine primae [1].

Quoniam autem scientia est cognitio rerum ex causis sive principiis, nihil magis ad scientiam alicuius rei conferre ab aristotelicis dicitur, quam rem in sua elementa eo usque resolvere, donec ad prima eius initia perventum sit. Unde apparet analysim ex *Aristotelis* mente esse causarum continuatam eo usque indagationem, donec ad prima eius rei de qua quaeris perveneris [2]. Et analysis id proprie agit, ut inde, quod postremum in re est, profecta ad illud, quod primum est et causa rei, perveniat [3].

[1] Cf. *Arist.*, Anal. prior. 1, 32 (46 b 40 sq); 1, 45 (50 b 30 sq); Met. 5, 28 (1024 b 11 sqq).

[2] *Trendelenburg*, Elem. log. Arist. § 39.

[3] Vocem analysis *Aristoteles* ad res varias significandas adhibuit. Ita nominat syllogismi reductionem ad propositionem et terminos, vel revocationem syllogismorum imperfectorum ad perfectum, vel relationem syllogismi ad suas figuras vel solutionem syllogismi compositi in simplices.

Scholion 2. „Definitionis", ut patet, in methodo analytica is usus esse nequit, ut ex definitione rei perfecta proficiscatur inquisitio. Haec enim totius analysis fructus est. Neque tamen propterea putandum est definitionum et principiorum usum in hac methodo neglegendum esse. Non est enim ullum ratiocinium, ad quod principia non requirantur, neque umquam mens a quaerendis rerum definitionibus abstinere potest.

332. Neque minus methodus *synthetica* multis modis usurpari potest.

Adhibetur a geometra trigona ad polygonum componente, a chimico varia elementa coniungente. Adhibetur etiam ab illo, qui id quod est universalius, ut partem considerat et inde descendit ad rem particularem vel singularem, ut est totum quiddam, notam illam simul cum aliis in se continens. Qui igitur notiones universales et principia abstracta „applicat ad determinatas materias, et inde procedit in aliquas particulares conclusiones et ex his in alias" [1]. Haec methodus adhibetur in syllogismo, qui est „a priori", i. e. qui ex praemissa universaliore incipit; et generatim in argumentatione omni, in qua a primis principiis per interiecta procedítur usque ad conclusiones ultimas. Et adhibetur ab eo, qui a natura concludit ad operationes vel ex causa infert effectum.

Scholion 1. Sed in hoc usu dicendi magna est inter philosophos diversitas. Saepissime enim id analysis sive resolutio vocatur, quod nos *collectionem* sive synthesim nuncupari diximus, atque id synthesis sive compositio, quod nos *divisionem* sive analysim diximus. In qua tamen re nulla est rerum sed nominum tantum oppositio. Cum enim de toto logico agitur, id etiam ut *pars* respectu suorum inferiorum considerari potest. Nam non est dubium, quin id, quod est magis universale, comparetur ad minus universale et ut pars et ut totum. Si consideratur ambitus sive extensio, id quod universalius est, totum est plures partes sub se continens; si autem complexus sive comprehensio attenditur, id quod universalius est, pars est eius, quod minus universale est, nam partem tantum notarum, quae in hoc insunt, illo exhibentur [2]. Methodus igitur, qua a magis universali ad minus universale proceditur, synthetica est, ut generi addit differentias; et analytica est, ut genus dividit in species. Similiter methodus, quae a particularibus proficiscens ad universale ascendit, analytica est, quatenus rem particularem resolvens id retinet, quod commune est; et etiam synthetica est, quatenus ex iis, quae in multis singularibus inveniuntur, universale quodammodo colligit. Id cum ita sit, nemo mirabitur, quod methodus illa divisionis, qua *Plato* ad inveniendam rerum notionem usus est, habita sit analytica, cum tamen secundum usum hodie receptum potius sit synthetica. Intellegitur quoque, cur methodus inductiva ab *Aristotele* usurpata modo analytica modo synthetica sit vocata.

[1] *S. Thom.*, De verit. q. 11, a. 1.
[2] *S. Thom.*, S. th. 1, q. 85, a. 3 ad 2.

Scholion 2. Cum in scientia, proposita aliqua conclusione, quaerunt propositiones cum illa conexas, ex quibus inferri possit, processus est analyticus; cum vero positis principiis quaerunt propositiones, quae ex illis deduci possint, processus est syntheticus.

Cum in expendenda alicuius propositionis veritate exordimur a *subiecti* consideratione, apparet nos procedere a toto ad partem vel a minus universali ad magis universale, nos igitur uti methodo analytica. Cum vero a consideratione *praedicati* exordimur, methodus erit synthetica.

Consimiliter de *demonstratione* dicendum est; in qua cum id agatur, ut interposito termino medio praedicatum monstretur inesse subiecto, terminum medium aut ex considerato subiecto aut ex considerato praedicato peti necesse est. Sicut methodus analytica est, cum initium petitur ex subiecti analysi, ita ex praedicati consideratione medium terminum suppeditat methodus synthetica.

Cum argumentatio aliqua per multorum ratiociniorum seriem extenditur, discrimen, quod inter utramque methodum intercedit, clarius apparet. Quocirca logici soritem, qui est processus analyticus, in huius rei exemplum sumere solent, velut hoc modo: *Mundus est ens finitum. Ens finitum est ens ab alio. Ens ab alio est ens a Deo creatum. Ergo mundus a Deo creatus est.* In quo sorite methodus analytica manifesta est. Synthetica haec erit: *Ens ab alio est a Deo creatum. Ens finitum est ens ab alio. Mundus est ens finitum. Ergo mundus a Deo creatus est.*

Vel hoc modo: *Anima humana est simplex. Quod est simplex, non componitur ex diversis. Quod non componitur ex diversis, non est resolubile in partes. Quod non est resolubile in partes, est incorruptibile. Ergo anima est incorruptibilis.*

In quo processu a subiecto conclusionis per tres terminos medios pervenimus ad conclusionis praedicatum. Colligenti autem conclusionem eandem per viam syntheticam incipiendum erit a praedicato hoc modo: *Quod non est resolubile in partes, incorruptibile est. Quod non componitur ex diversis, non est resolubile in partes. Quod est simplex, non componitur ex diversis. Anima humana est simplex. Ergo anima humana est incorruptibilis.*

333. **Utriusque methodi usus.** Cum quaestio proponitur solvenda, datur subiectum et quaeritur praedicatum. Aut enim quaeritur, *an sit* subiectum, aut *quid* sit subiectum, aut *quale* sit. Quibus in omnibus tuta est et a natura indicata via, ut datum subiectum eiusque proprietates cognitas considerantes incognitas reperiamus. Haec est methodus analytica, quam accurate sequentes a veritatis tramite aberrare non possumus.

Cum autem quaestio iam resoluta est atque id tantum agitur, ut aliis proponatur, tum et subiectum probandae propositionis cognoscitur et praedicatum: atque id modo ostendendum est unum de altero aut affirmandum esse aut negandum. Quem ad finem tum methodus analytica tum synthetica utilis esse potest. Cum

enim uterque terminus sit cognitus et via aperta sit, qua unus ad alterum reducatur, vel ab uno vel ab altero recte incipere possumus. Et duplex effici potest probatio: analytica et synthetica: illa eandem viam sequitur et eodem ordine procedit, sicut in invenienda veritate factum est; haec vero eandem quidem sequitur viam, sed inverso ordine; inde enim petit initia, ubi analysis finem habuit, et ibi finitur, unde analysis coepta erat.

Quid discriminis sit inter utrumque processum, ex sorite supra n. 332 schol. 2 posito apparet. In analytica enim probatione subiectum conclusionis comparatur cum tertio, quod illo superius est; in synthetica praedicatum conclusionis comparatur cum tertio, quod est illo inferius. In analytica ostenditur medium sub praedicato conclusionis contineri; in synthetica vero ostenditur sub medio contineri subiectum conclusionis. Analytica ascendit a subiecto ad enuntiata usque universaliora, donec perveniatur ad praedicatum subiecto coniungendum. Synthetica descendit a praedicato ad enuntiata usque minus universalia, donec perveniatur ad aliquod principium, unde subiectum conclusionis erui possit.

Quodsi generatim quaeratur, utrum aliqua scientia methodum analyticam an syntheticam adhibeat, id non de particularibus demonstrationibus iudicandum est, ex quibus scientia constat, sed de modo intellegitur et ordine universali, quo inquisitio et tota series demonstrationum incipit et progreditur. Analytica vocatur scientia, quae omnes suos processus in id dirigit, ut a cognitione compositi ad cognitionem simplicium veniamus, quamvis in ea interdum adhibeatur synthesis. Et synthetica vocatur scientia, qua a cognitione simplicium nos ducit ad cognitionem compositi, quamvis in ea reperiantur, quae ad analysim spectant.

334. Etsi analytica in rebus aliquibus, in aliis rebus synthetica methodus potiores partes habet, generatim tamen ea methodus ad scientiae usum aptissima est, quae ex utriusque coniunctione coalescit, et *analytico-synthetica* vocari solet.

Eam enim esse mentis humanae naturam recordandum est, ut ex sensibilibus ascendat ad intellegibilia, ab effectibus ad causas, a proprietatibus ad rerum essentias, ex observatis diligenter phaenomenis ad leges naturae. Quem ascensum methodo analytica absolvi diximus. Sed perfectio cognitionis humanae in eo cernitur, ut ordo cognitionis sit, quoad eius fieri possit, imago ordinis realis. Sicut igitur in rerum ordine intellegibilia sunt priora sensibilibus, et ex causis procedunt effectus, et phaenomena proficiscuntur ex naturae legibus, ita erit cognitio humana perfectissima, si ex intellegibilibus, ex causis, ex essentiis, ex legibus descendat ad cognoscenda sensibilia, effectus, proprietates, phaenomena [1].

[1] *Πρότερα δ' ἐστὶ καὶ γνωριμώτερα διχῶς· ... λέγω δὲ πρὸς ἡμᾶς μὲν πρότερα καὶ γνωριμώτερα τὰ ἐγγύτερον τῆς αἰσθήσεως, ἁπλῶς δὲ πρότερα καὶ γνωριμώτερα τὰ πορρώτερον· ... ἐκ πρώτων δ' ἐστὶ τὸ ἐξ ἀρχῶν οἰκείων· ταὐτὸ γὰρ λέγω*

Incipiendum est igitur ab iis, quae notiora sunt quoad nos, ut ascendamus ad cognoscenda ea, quae sunt notiora quoad se, et ex his iterum descendendum ad perfectius cognoscendum ea, quae ex his et esse et cognoscibilitatem acceperunt[1].

In disciplinis practicis ut plurimum synthesis analysim antecedit, in quibus igitur adhibetur methodus synthetico-analytica. Et quoniam in significanda natura methodi potius initium quam finis consideratur, methodus, quae est analytico-synthetica, simpliciter analytica vocari solet, methodus autem synthetico-analytica dicitur esse synthetica[2].

335. Quid autem de recto utriusque methodi usu arbitrandum sit, is plenius et certius intelleget, qui rem historia duce breviter recoluerit.

Plato ascensum illum imprimis per abstractionem fieri voluit, et descensum per divisionem. *Aristoteles* contra primo loco inductionem posuit ut instrumentum analysis, et deductionem ut instrumentum synthesis[3]. Similiter peripatetici omnes utramque methodum coniungendam esse duxerunt. Et haec erat communis sententia, incipiendum esse ab analysi, cuius instrumentum sit inductio et demonstratio a posteriori; deinde ad synthesim veniendum, quae demonstratione „propter quid" efficiatur: priore principia inveniri et causas rerum[4], altera probari res ex causis suis. Quam rem *Aquinas* cum multis aliis locis, tum illo docet, quo mentem Aristotelis explicat de modo acquirendi cognitionem *civitatis*, ubi inter alia: „In his, inquit, verbis philosophi considerandum est, quod ad cognitionem compositorum primo opus est via resolutionis, ut sic dividamus compositum usque ad individua. Postmodum vero necessaria est via compositionis, ut ex principiis indivisibilibus iam notis diiudicemus de rebus, quae ex principiis causantur."[5] Analysis igitur causam aperit, ex qua res est, sed rem ipsam per causam non probat; synthesis autem rem per causam analysi inventam demonstrat. Atque hoc modo *analysis* haud inepte *methodus inventionis* dicta est, *synthesis* autem *methodus demonstrationis*. Atque his breviter dictis satis intellegitur, quam iniusta sit, quae a multis recentis aetatis scriptoribus auditur, accusatio, aristotelicos ἀμεθόδως philosophatos esse[6].

πρῶτον καὶ ἀρχήν (*Arist.*, Anal. post. 1, 2 [71 b 33]). Ἁπλῶς μὲν οὖν βέλτιον τὸ διὰ τῶν προτέρων τὰ ὕστερα πειρᾶσθαι γνωρίζειν, ἐπιστημονικώτερον γὰρ τὸ τοιοῦτόν ἐστιν· οὐ μὴν ἀλλὰ πρὸς τοὺς ἀδυνατοῦντας γνωρίζειν διὰ τῶν τοιούτων ἀναγκαῖον ἴσως διὰ τῶν ἐκείνοις γνωρίμων ποιεῖσθαι τὸν λόγον (Top. 6, 4 [141 b 15]). Cf. *S. Thom.* in l. 1 anal. post. lect. 3.

[1] Cf. *Arist.*, Met. 2, 1 (993 b 9).

[2] *S. Thom.* in l. 1 ethic. lect. 3.

[3] Anal. prior. 1, 31 (46 a 31); Anal. post. 2, 5 (91 b 14).

[4] „Ex multis experimentis unum universale colligimus, quod est principium scientiae." *S. Thom.* 2 dist. 23, q. 2, a. 2 ad 2.

[5] *S. Thom.* in l. 1 polit. lect. 1, Ostendit modum.

[6] *Sanseverino*, Log. IV 260.

336. Posteriore tempore multa de methodo perscripsit *Cartesius*, qui utramque methodum agnovit. „Constat, inquit, inter omnes philosphos, ad eam [veritatem] inveniendam initium semper a notionibus particularibus fieri debere, ut postea ad universale accedatur; quamvis etiam reciproce, universalibus inventis, aliae particulares inde deduci queant.“ [1] Neque pauca a *Cartesio* de analysi et synthesi praecepta sunt, quae ab aliis aliter sunt explicata. Videtur putare methodum analyticam inventioni servire, syntheticam potius ad docendum aptam esse [2].

Spinoza omissa omni fere analysi solam methodum syntheticam adhibuit, deducendo omnia ex notione substantiae infinitae et proficiscendo in re qualibet ex fictis definitionibus et axiomatis.

Baco de Verulamio, qui ipse inhaerebat methodo analyticae, syntheticam non ignoravit. Mentem ad scientiam rerum dixit pervenire ex duplici motu: uno, quo a singularibus ad axiomata sive principia gradatim ascenderet; altero, quo a principiis ad singularia descenderet, ascendendo primo ad axiomata, descendendo ad opera [3]. Neque per iniuriam Baconi a *Leibniz* exprobratum est, „Baconem tradidisse quidem praecepta artis experiendi, sed artem experientias adhibendi ab iisque conclusiones eliciendi neglexisse“ [4].

A *Wolff* methodus definita est ordo, quo utimur in tradendis dogmatis. „Appellatur autem methodus analytica, qua veritates ita proponuntur, prout vel inventae fuerunt vel minimum inveniri potuerunt; methodus e contrario synthetica appellatur, qua veritates ita proponuntur, prout una ex altera facilius intellegi et demonstrari potest; methodus mixta est, quae ex utriusque combinatione resultat.“ [5]

337. Neque *Kant*, cum in declarandis iudiciis analyticis et syntheticis multus esset, methodum analyticam et syntheticam omisit; censet methodum analyticam sive regressivam esse methodum a principiatis ad principia regredientem; methodum syntheticam sive progressivam esse methodum progredientem a principiis ad principiata [6].

Hegel autem, rem si spectes, et analysim et synthesim e scientia speculativa sive philosophica omnino exulare iussit, eas reiciens ad scientiam realem sive positivam; philosopho satis esse illam dialecticam, qua omnia extrahantur ex idea pura [7]. Sed tamen vocabula retinuit. Analysim vocat eam methodum, qua phaenomena multiplicia determinata suis determinationibus exuuntur, donec mens ad illud „ideale“ sive „ens“ perveniat, quod omnino indeterminatum et nihilo aequiparandum est, quae res a neoplatonicis ἁπλωσις sive simplificatio vocata erat. Et synthesim eam vocat, qua id quod omnino indeterminatum est, iterum magis magisque determinatur.

---

[1] Epistula in qua ad epitomen praecip. Petri Gassendi instantiarum respondetur, gallice in ed. *Adam* et *Tannery* IX 206.

[2] Cf. De methodo, ed. *Adam* et *Tannery* VI. [3] Nov. org. aph. 103.

[4] Nouv. Ess. 4, 12, 13.

[5] Logica § 855. [6] Logik § 117.

[7] Encyclop. § 226 sqq, praesertim § 231.

Reliqui autem ex recentis aetatis logicis fere omnes in rebus philosophicis primo analysim et deinde synthesim adhibendam esse censent eo modo, quo a peripateticis id praeceptum erat[1]. Gravissimos autem errores apud illos philosophos exortos esse videmus, qui alterutram tantum methodum neglecta altera secuti sunt. Sensualistas et empiristas analysi inhaerere videmus atque adhibere tantum inductionem, quae sola ad inveniendum verum accommodata sit. Syllogismus ab his neglegitur et admittitur tantum ad eum usum, ut inventum verum aliis proponatur. Idealistae vi huius nominis latius accepta contra eo peccare solent, quod syllogismum (vel saltem synthesim aliquam) inductioni praemittunt. Quorum plurimi putant mentem nostram initio universum obiectum cognitionis humanae intuitione intellectuali vel simili modo confuse apprehendere, a quo per synthesim ad phaenomena descendendum sit ante, quam analysi locus esse possit.

Et maxima profecto pro utilitate scientiae speranda sunt emolumenta, ex quo tempore homines nostrae aetatis frequentes ad principia haec philosophiae scholasticae regredi coeperunt.

SECTIO II.

De methodo rationali et experimentali.

338. **Methodus experimentalis.** Cum omnis nostra naturalis cognitio ex sensu oriatur, exordiendum videtur a methodo experimentali. Haec igitur potissima est via, quae ad *facta* incognita atque etiam ad *principia universalia* invenienda ducit quaerentem. Si illa facta sunt contingentia vel illa principia universalia eiusmodi sunt, ut non evidenti analysi ex aliqua cognita essentia deduci possint, via experimentalis est unica. Sunt quidem principia, quae ut cognoscantur, complicatiore experientia non egent, v. g. *totum esse quolibet sui parte maius*, quae ex unica experientia obvia efformantur, quia intellectus illico conexionem essentialem, quae est inter subiectum et affectionem, videt. Sed sunt alia plurima, in quibus haec conexio tam aperta non est; quorum omnes disciplinae naturales plenae sunt, quae sine accuratissima et multiplici observatione et cauta admodum inductione statui vix possunt. De his *Aquinas:* „Impossibile est universalia speculari absque inductione. Et hoc quidem in rebus sensibilibus est magis manifestum, quia in iis per experientiam, quam habemus circa singularia sensibilia, accipimus notitiam universalem.“[2] Id igitur nemini dubium esse potest, quin sicut rerum contingentium, ita

[1] Cf. *Schleiermacher,* Dial. § 283; *Beneke,* Logik II 159—188; System der Logik § 140.

[2] *S. Thom.* in l. 1 anal. post. lect. 30.

horum principiorum veritas cognosci non possit nisi per experientiam internam vel externam.

Cuius experientiae quae sit vis in disciplinis naturalibus, his verbis indicatum habemus: „Quandoque proprietates et accidentia rei, quae sensu demonstrantur, sufficienter exprimunt naturam rei, et tunc oportet, quod iudicium de re vera, quod facit intellectus, conformetur his, quae sensus demonstrat de re, et huiusmodi sunt omnes res naturales, quae sunt determinatae ad materiam sensibilem; et ideo in scientia naturali terminari debet cognitio ad sensum, ut scilicet hoc modo iudicemus de rebus naturalibus, secundum quod sensus eas demonstrat. . . . Et qui sensus neglegit in naturalibus, incidit in errorem.“ [1]

Quia autem mens cognitis factis sensibilibus adhibet analysim et inductionem, haec methodus aliquando etiam „inductionis“ vel „analytica“ vocatur.

Neque tamen usum synthesis a methodo experimentali omnino alienum esse putandum est. Sicut enim in methodo rationali analysis non raro adhibetur, ita etiam qui potissimum experimentis fretus ad scientiam veram pervenire velit, a synthesi abstinere non potest. Atque haec quidem methodus experimentalis, quamvis dicatur esse *inventionis*, tamen etiam a rerum naturalium peritis adhibetur, quando experimentis veritatem legum naturalium cognitarum comprobare et alios *docere* volunt.

339. **Observatio et experimentum** (cf. n. 300). Methodus experimentalis duplex distingui solet, una quidem *exacta*, quae ad cognitiones accuratas et omnino certas ducit, quae in diligentissima observatione nititur et experimento, quibus computi mathematici et aliae cognitiones syntheticae similes, quae vim demonstrativam habent, adiunguntur. Altera autem *minus exacta* est, quae rebus plus minusve probabilibus continetur, ut sunt hypotheses, similitudines, ea quae contingere solent ut plurimum.

Ad methodum *exactam* imprimis requiritur 1° *observatio*, quae definitur „attentio mentis reflexa, quae circa aliquid factum versatur, quod sponte sua se nobis exhibet“; atque ad fines scientificos requiritur observatio accuratissima, quae in magna animi ad rem attentione consistit, in congrua rei in suas partes analysi, quam sequetur synthesis sive recta partium ad rem unam compositio. Atque haec observatio 2° experimento multiplici, quoad eius fieri possit, est iuvanda. Experimentum est „attentio, quae versus factum dirigitur, quod nostra industria ut eveniat efficimus“.

[1] *S. Thom.* in l. Boethii de Trinit. q. 6, a. 2.

Ex quo tempore homines maiore cum diligentia in perscrutanda naturae phaenomena non sine maximis huius vitae emolumentis incumbunt, etiam philosophi scholae aristotelicae maiore cum diligentia de observatione et experimentis praecepta dare coeperunt. Quod quidem eo facilius peractum est, quo pluris experientia ad mentem philosophiae peripateticae facienda est. Moderatione tamen aliqua in his rebus eos usos esse videmus, cum ipsis persuasum fuerit philosophiam et scientiam non tam vitae hominum animali et vegetali quam spirituali inservire oportere, methodos autem regulas speciales in singulis scientiis statuendas esse[1].

340. Regulae generales ad tria capita reducuntur:

1. *Electio* observationum et experimentorum sit ordinata ad finem; qua in re applicentur, quae capite sequente de methodo inveniendi ac potissimum quae de quaestione dicentur. Observationi et experimento praemittatur studium et notitia eorum, quae a peritis iam certo cognita et tradita sunt.

2. Ut ipsa observatio et experimentum bene et perfecte *fiat*, haec serventur:

a) *Observatio* sit attenta, exacta et completa, praecisa[2]. Sensus et optima quae haberi possunt instrumenta diligenter applicentur; omnes facti observandi partes et circumstantiae subiectivae et obiectivae, intrinsecae et extrinsecae, notentur; singula secundum gradum, intensitatem, durationem etc. exacte mensurentur.

b) *Experimentum* rite variandum est; triplicem potissimum periti statuunt variationem: *productio* experimenti in eo est, ut eadem causa eidem obiecto secundum varios gradus intensitatis applicetur; *variatio* consistit in mutatione ipsius causae vel obiecti; *inversio*, v. g. compositio aquae per analysim inventa, comprobatur synthesi eorundem elementorum[3].

3. Apte ad finem et *ordinate colligantur*, quae singulis observationibus et experimentis inventa sunt.

Baco distribuit ea ita: in *tabula praesentiae* notat omnes circumstantias, quae in productione alicuius effectus aderant; in *tabula absentiae* notat casus ceteroquin similes, in quibus effectus non secutus est, accurate simul additur, quaenam ex circumstantiis prioribus aderant vel aberant; in tertia *tabula graduum* notat variationes intensitatis etc. Vocavit methodum *coincidentiae constantis* et posuit regulam: Ea habenda est causa phaenomeni, qua posita, sublata, variata effectus ponitur, tollitur, variatur. — Attamen non recte sed citius ita concluditur. Nexus enim ille constans non necessario est nexus immediate causalis. Ut

[1] Videsis *Ad. Contzen* S. J., Praelect. log., Colon. 1785, 122.
[2] Cf. *Ch. Lahr* S. J., Cours de philosophie I, Paris 1901, 447.
[3] Ibid. 458.

conclusio perfecte valeat, necessario perveniendum est ad aliquod unum et solitarium, ut recte notat *Lahr*[1].

J. St. Mill proposuit *methodum exclusionis* seu coincidentiae *solitariae*[2]. Dividit in methodum quadruplicem: a) Methodus *concordantiae* (respondet Baconis tabulae praesentiae) conatur ex compluribus observationibus seu phaenomenis diversis, in quibus oritur idem effectus, *unum* aliquid per exclusionem invenire, quod ipsis commune sit (ita v. g. dicitur id quod unum in omni sonitu commune est, esse aëris vibrationem). b) Methodus *differentiae* (respondet tabulae absentiae) conatur obtinere phaenomena duo vel plura, quae unius solius circumstantiae vel praesentia vel absentia inter se differant. c) Methodus *variationum concomitantium* (respondet tabulae graduum Baconis), per quam appareat, quinam effectus in aliquo processu alicui causae, quae ex processu eliminari non potest, ascribendus sit. d) Methodus *residuorum* est casus particularis methodi differentiae; processui subtrahuntur causae notae et effectus noti; si ita restat unus effectus et una causa, iam effectus residuus causae residuae attribuitur.

Wundt duplicem sufficere dicit methodum, scil. *eliminationis* et *gradationis*[3].

341. Rerum in certas classes distributio. Post accurate peractam observationem et experimentum opus est, ut ad eas rationes attendatur, ex quibus res secundum species et genera distribui possint. His enim de quibus diximus rebus efficitur, ut constituantur principia, unde omnis scientia deducenda est. „Principiorum quidem alia inductione percipiuntur et cognoscuntur, alia sensu, alia consuetudine, alia aliter. Ea autem singula persequi oportet, quemadmodum cuiusque natura patitur, dandaque opera est, ut bene definiantur: magnum enim momentum ad ea, quae sequuntur, afferunt."[4] In hac vero re praecipuum est, ut cognoscatur universalitas, sub qua res *secundum species et genera distribuantur*. Haec igitur ut inveniatur, *comparatione* opus est, qua mens rerum multarum ac variarum similitudines dissimilitudinesque accurate perquirit. Non aliter enim quam *comparando* cognoscere possumus proprietatem, quam in conclusione individuis omnibus alicuius speciei sumus addicturi, revera in iis individuis, quae observata sunt, omnibus inesse. Quam ob causam mens unamquamque rem separatim consideratam secundum omnem qua fieri potest rationem cum rebus reliquis conferre debet. Ad „generalizationem" deinde accedere debet, quae vocatur „classificatio".

[1] Cours de philos. I 455. [2] Ibid. 456—457.
[3] Logik II[3] 385 sq.
[4] *Arist.*, Ethic. Nicom. 1, 7 (1098 b 2). Cf. *S. Thom.* in h. l. lect. 11.

Classificatio ea est operatio, qua mens plurima individua in classes alias aliis generaliores distribuit. Quo loco recolenda sunt, quae a logicis de generibus et speciebus dici solent. *Classis* generatim est conceptus universalis sub se continens complura individua, quae aliqua ratione conveniunt. Quae *genus* vocatur, si alia classe, quam sub se continet, generalior est; et *species* nuncupatur, si ut minus generalis in generaliore continetur. Igitur eadem classis sub diverso respectu genus esse potest simul et species. Ea autem debet esse classificatio, ut ordinem ponat in cognitionibus nostris et mutuas rerum naturalium relationes nobis patefaciat.

Facilior ea classificatio est, quam *artificialem* vocant, quae externa aliqua rei proprietate, ab ordinante pro arbitratu electa, contenta est. Sed pluris aestimanda est classificatio ea, quae *naturalis* est, et in collectione proprietatum essentialium rei nititur.

Scholion 1. In constituendis rerum naturalium classibus summopere necesse est, diversos status vel qualitates entium *accidentales* ab ipsarum *essentiis* distinguere. Ita corpus idem in statu triplici, quem aggregationis vocant, inveniri potest, quorum unusquisque diversis qualitatibus physicis sese prodit. Et res una pro condicionum externarum diversitate diversas formas cristallinas induere potest. Qui polymorphismus haud raro etiam in organismis unius speciei invenitur. Huc quoque spectant affectiones illae, quae ab individuis longo usu et consuetudine vitae, vel etiam condicionum externarum appulsu acquiruntur, et stabilitatem quandam nactae a progenie in progeniem transmissione hereditaria propagantur, neque tamen ad ipsam rerum essentiam pertinent. Quo loco satis est, ut in memoriam revocentur Aethiopes, Caucasici, reliquae, quae varietates vel progenies vocantur. Quae omnes rerum affectiones, cum ab earum essentiis non proveniant, classificationem, quae simpliciter sit naturalis, constituere non possunt.

Scholion 2. Cum de organismis agitur, apud rerum naturalium peritos hi gradus classificationis in usu sunt positi: regnum, partitio, classis, ordo, tribus, familia, genus, species, varietas, individua. Apud alios: regnum (cohors), orbis, classis, ordo, familia (tribus), genus (sectio), species (subspecies, varietas), individuum.

Scholion 3. Classificatio ut bona sit, trahi debet 1° a nota unica vel saltem compluribus inter se cohaerentibus; 2° a nota, quae sit constans et gravis momenti; 3° a nota, quae facile ab hominibus cognosci possit.

342. **Methodi experimentalis conclusio, quae est lex naturalis.** Haec vox „conclusio" duplici ratione intellegitur. Formaliter accepta conclusio ipsum actum significat discursivum, quo mens ex factis singularibus universale quidpiam infert. Obiective intellecta illud universale significat, quod ex singularibus infertur.

Cum de rebus naturalibus agitur, conclusio *lex physica* sive *naturalis* appellari solet.

Et lex quidem generatim quandam directionem significat vel regulam et mensuram operationum, secundum quam aliquid ad agendum inducitur vel ab agendo retrahitur [1]. Quae si sumitur formaliter, est in regulante et mensurante [2]; sin obiective et materialiter, est in re regulata et mensurata, „quia in quantum participat aliquid de regula vel mensura, sic regulatur vel mensuratur“ [3].

Verum non eadem perfectione res omnes creatae illius legis participes sunt: „Quia rationalis creatura participat eam intellectualiter et rationaliter, ideo participatio legis aeternae in creatura rationali proprie lex vocatur; nam lex est aliquid rationis. . . . In creatura autem irrationali non participatur rationaliter, unde non potest dici lex nisi per similitudinem.“ [4] Nos igitur hoc loco non illam legem intellegimus, quae in dirigenda voluntate rationali invenitur, quae est arctior huius vocis significatio, sed eam quae in omnibus rebus naturalibus apparet.

Potest autem haec lex rebus naturalibus insita, quam *physicam* vocant, considerari dupliciter.

Uno modo lex naturam uniuscuiusque rei propriam significat et definitur *inclinatio rei naturalis in proprios actus et fines.*

Quae illi aptitudini similis est, quam in rebus artefactis, ut in *cultello* vel *horologio,* observare possumus. Deus enim rebus naturalibus dedit vires activas, in quibus manet ordo et directio intellectus divini, sicut in re artificiata manet directio artificis in finem determinatum“ [5]. Differt tamen eo, quod eius principium non est sola rei modificatio vel dispositio externa, sicut in artificiis, sed est substantiale quiddam ipsam rem intrinsecus constituens, quod alio loco „formam substantialem“ esse dicemus. Atque haec inclinatio sive „appetitus naturalis“ sese manifestat in animalibus virtute instinctiva, in organismis virtute vitali, in omnibus autem rebus naturalibus virtute chimica et physica.

[1] *S. Thom.,* S. th. 1, 2, q. 90, a. 1.

[2] „Nihil est aliud lex quam dictamen practicae rationis in principe, qui gubernat aliquam communitatem perfectam. Manifestum est autem, supposito, quod mundus divina providentia regatur, quod tota communitas universi gubernatur ratione divina. Et ideo ipsa ratio gubernationis rerum in Deo sicut in principe universitatis exsistens legis habet rationem.“ *S. Thom.,* S. th. 1, 2, q. 91, a. 1.

[3] Ibid. a. 2. [4] Ibid. ad 3.

[5] *S. Thom.* 2 dist. 18, q. 1, a. 2 ad 1. Et alio loco: „Sicut homo imprimit denuntiando quoddam interius principium actuum homini sibi subiecto, ita etiam Deus imprimit toti naturae principia propriorum actuum. . . . Hoc modo se habet impressio activa principii intrinseci quantum ad res naturales, sicut se habet promulgatio legis quantum ad homines: quia per legis promulgationem imprimitur hominibus quoddam directivum principium humanorum actuum“ (S. th. 1, 2, q. 93, a. 5 in corp. et ad 1).

Altero modo lex physica non solum ad naturam singularum rerum propriam, sed simul ad illas condiciones externas refertur, secundum quas res naturales sic vel aliter agere vel non agere solent[1], velut cum dicimus legem physicam esse, ut sol cotidie oriatur, vel ut luna circum terram moveatur. *Ita lex est modus constans agendi in rerum natura et dispositione fundatus.*

In lege naturali hoc modo intellecta detegent philosophi haec (praeter activitatem vel concursum Dei ad omnes creatarum rerum operationes necessarium et praeter principium causalitatis, id quod per se intellegitur) elementa: 1. singularum rerum certam et ad sic vel aliter agendum ex se determinatam naturam; 2. res naturales aliquando certis rationibus inter se dispositas et in motu certo collocatas esse; 3. sub certis condicionibus certas quasdam causas a natura ad agendum ascisci et congruo modo temperari; 4. non esse moris in natura, ut actionibus rerum ponatur obstaculum.

Postquam haec de ordine legum physicarum ontologico diximus, de ordine legum a nobis cognoscendarum breves esse possumus.

Primo igitur cognoscimus modum uniformem sive constantiam, secundum quam, certis quibusdam positis condicionibus, certos eventus exsistere videmus. Deinde adhibita observatione, experimento, inductione ad cognoscendam illius constantiae rationem efficientem progredimur; ea quae ex ipsa rerum singularum natura interna eveniunt, ab iis distinguimus, quae condicionibus externis et relationibus debentur, et ita rationem constantem et uniformem cognoscimus, secundum quam causae naturales ad certos effectus producendos diriguntur vel non diriguntur. Atque ex cognitis legibus, quae rebus creatis sunt insitae, per legitima ratiocinia concludere etiam licet ad supremam legem formaliter acceptam, quae est in Deo omnium rerum auctore et gubernatore.

343. **Methodus rationalis** in eo praecipue est posita, ut, postquam ex iis, quae in rebus apparent, per inductionem abstractionemque universalis rei notio est constituta, inde ea quae rei conveniant, per deductionem concludantur. Et hanc quidem methodum methodo experimentali omnino adiungendam esse iam inde manifestum est, quod causa, qua efficitur scientia, non in ipsa experientia, quippe quae proprie ad sensum pertineat[2] verseturque in singularibus tantum, sed in cognitione principiorum universalium

[1] Etiam modus constans et uniformis, quem homines in agendo sequuntur, vocatur „lex" propter similitudinem cum legibus physicis, sed tamen dicitur lex „moralis", quo significetur non ab humana natura hunc modum cum necessitate procedere, sed contineri moribus sive consuetudine.

[2] *S. Thom.*, De malo q. 16, a. 1 ad 2.

cernitur, quae principia ope quidem experientiae efformantur, non tamen ita, ut experientia ex se illorum causa sit.

Sicut ex experientia per inductionem principia parantur, ita ex principiis inductione paratis per syllogismum conclusiones scientificae deducuntur. Principia universalia etsi causa scientiae dici possunt, nondum tamen sunt ipsa scientia. Scientiae igitur necessaria incohatio sive acceptio fit, cum ex sensibilibus ad intellegibilia ascendimus; sed ipsam scientiam adipiscimur, cum ab intellegibilibus universalibus iterum tamquam ex cognitis principiis descendimus ad principiata. „In accipiendo scientiam", ut ad rem *Aquinas,* „non semper principia et elementa sunt priora, quia quandoque ex effectibus sensibilibus devenimus in cognitionem principiorum et causarum intellegibilium. Sed in complemento scientiae semper scientia effectuum dependet ex cognitione principiorum et elementorum, quia ... tunc opinamur nos scire, cum principiata possumus in causas resolvere." [1]

Atque haec methodus rationalis tum maxime servatur, cum res primo definitione explicatur. Explanatis deinde per processus syllogisticos rei proprietatibus, eadem primum in sua membra sive partes integrantes, si quas habet, deinde in suas species sive partes proxime sibi subiectas dividitur. Post eodem modo etiam unaquaeque ex illis speciebus primo definitur, eiusque proprietatibus syllogismo expositis in sua membra primum, deinde in suas species dividitur, atque ita deinceps, donec ad ultimas species perventum sit. Ut cum quis acturus de *syllogismo,* primum explicat, quid sit syllogismus in genere et quaenam eius proprietates; tum partes integrantes syllogismi, formalem et materialem, distinguit; tandem dividit syllogismum in partes subiectivas sive species, in demonstrativum, topicum, sophisticum, et quae sequuntur.

Quoniam in hac methodo rationali usus demonstrationis et synthesis est praecipuus, etiam methodus demonstrationis vel a priori vel synthetica esse dicitur.

344. *Methodus experimentalis* sive empirica *cum methodo rationali coniungenda est;* quod non excludit pro diversitate scientiae et eius obiecti alterutram methodum potiores habere partes. Atque etiam in ipsis scientiis naturalibus ab utroque extremo cavendum est, scil. tum ab extremo quodam apriorismo tum ab extremo empirismo.

Empiristae, sensualistae, materialistae nihil ut certum admittunt, quod non sit haustum ex sensibus. Certum est autem

[1] S. th. 1, q. 85, a. 8 ad 1.

hominem in cogitationibus suis non coartari limitibus sensuum, sed ponere posse iudicia vi universali praedita, hinc cognoscere principium causalitatis atque ipsas rerum essentias.

Baco de Verulamio apte empiricos, qui nihil aliud faciunt, quam plurimas congregant experientias, formicis comparat; speculativos illos, qui omnia quasi fila ex se ipsis extrahere volunt, araneis; eos autem, qui post experientiam recte et diligenter institutam principia rationis adhibent, apibus aequiparat. „Qui tractaverunt, inquit, scientias, aut empirici aut dogmatici fuerunt. Empirici, formicae more, congerunt tantum et utuntur. Rationales aranearum more telas ex se conficiunt. Apis vero ratio media est, quae materiam ex floribus horti et agri elicit; sed tamen eam propria facultate vertit et digerit. Neque absimile philosophiae verum opificium est; quod nec mentis viribus tantum aut praecipue nititur, neque ex historia naturali, a mechanicis experimentis praebitam materiam, in memoria integram, sed in intellectu mutatam et subactam reponit. Itaque ex harum facultatum arctiore et sanctiore foedere bene sperandum est.“ [1]

„Sciendum est“, ait *Leibniz*, „duplices esse consecutiones toto caelo diversas, empiricas et rationales. Consecutiones empiricae nobis sunt communes cum brutis, et in eo consistunt, ut sentiens ea, quae aliquotiens coniuncta fuisse expertum est, rursus coniunctum iri exspectet.... Sed quia saepe fit, ut talia tantum per accidens sint coniuncta, hinc saepe empirici decipiuntur, prorsus ut bruta; ut scilicet, quod exspectant, non eveniat.... At homo, quatenus non empirice, sed rationaliter agit, non solum fidit experimentis aut inductionibus particularium a posteriori, sed procedit a priori per rationes. Et quale est discrimen inter geometram et analyseos peritum, et arithmeticum aliquem vulgarem pueros docentem, qui regulas arithmeticas memoriter didicit, sed rationem earum non novit: nec proinde in quaestionibus nonnihil a consuetudine recedentibus sibi consulere potest: tale est discrimen inter empiricum et rationalem, inter consecutionem bestiarum et ratiocinationem humanam. Etiamsi enim multa exempla succedentia experiamur, numquam tamen de perpetuo successu securi sumus, nisi rationes necessarias reperiamus, unde colligamus rem aliter se habere non posse. Itaque bruta . . . non cognoscunt universalitatem propositionum, quia non cognoscunt rationem necessitatis. Et licet aliquando empirici per inductiones ducantur ad propositiones vere universales, id tamen per accidens tantum, non vi consecutionis contingit.“ [2]

Spectata igitur hominis natura *Aristoteli* est assentiendum dicenti: „Videtur autem et ratio testis iis esse, quae apparent, et quae apparent, testes esse etiam rationi.“ [3] „Mens humana“, ut est apud *S. Augustinum*, „prius haec, quae facta sunt, per sensus corporis experitur

[1] Nov. org. aph. 95.
[2] De anima brutorum 71, 14 (ed. *Erdmann* 464—465).
[3] De caelo 1, 3 (270 b 5).

eorumque notitiam pro infirmitatis humanae modulo capit; et deinde quaerit eorum causas, si quo modo possit ad eas pervenire principaliter atque incommutabiliter manentes in Verbo Dei, ac sic invisibilia eius per ea, quae facta sunt, intellecta conspicere (Rom 1, 20)." [1] A sensibilibus igitur exordiendum est, sed non in sensibilibus sistendum. Et inde praeclaram scientiae amplitudinem deducit.

Sicuti igitur empirismus extremus[2], ita etiam ea methodus extrema aprioristica („rationalis"), quae experientiam omnem sensuum spernit neglegitque, vituperanda est. Quae si omnes rerum notitias ex ideis vel formis menti humanae innatis trahit, *idealistica* vocatur, et a *Platone, Cartesio, Kant,* aliis est proposita. Si illas notitias ex cognitione Dei, quae omnium cognitionum prima sit, deducere conatur, *ontologistica* dicitur, et a *Malebranche, Rosmini, Gioberti* defendebatur[3].

Scholion 1. Est etiam methodus „rationalis", quae nomen suum inde traxit, quod nihil, quod auctoritate nitatur, admittendum esse praecipiat, quem auctoritatis contemptum in rebus philosophicis plurimum promovit *Cartesius.*

Etenim ne in his quidem rebus, in quibus de perscrutanda rerum natura agitur, aliena „auctoritate" et „fide" carere possumus.

Cum autem de experimentis quaeritur, quae ab alio instituta referuntur, vide: a) ipsene experimentum instituerit, an ab alio relatum acceperit; b) sitne experimentum institutum rite et cum accuratione debita; c) illene exponat et rem fideliter et adiuncta omnia, quae ad rem requirantur; d) attendendum quoque est ad indolem, scientiam, sinceritatem referentis, atque imprimis attendendum est, an experimenta, prout referuntur, vere sufficiant ad eam conclusionem stabiliendam, ad quam probandam afferuntur.

345. ***Scholion 2.*** **De methodo algorithmica** in rebus logicis. Cum iam ab aliquibus philosophis antiquioris temporis affinitas, quae est inter aliquas partes logicae et res mathematicas, observata esset, *Leibniz*[4] primus maiore cum diligentia animum induxit, ut inveniret calculum quendam generalem, qui logicus esset, ad quem et logica et scientia mathematica revocari posset. Posteriore tempore *Boole* (1815—1864) libros scripsit, in quibus

[1] De Genesi ad litt. 4, 32 (*Migne* 34, 317).

[2] Contra extremum experimentalismum in psychologia serio monet *E. Husserl* in Logos I (1911) 289 sq.

[3] Cf. de his extremis *Lahr,* Cours de philosophie I 468—470.

[4] Opera philos., ed. *Erdmann* 94—104.

logicam ad disciplinam mathematicam redigere est conatus[1]. Quem alii mathematici secuti sunt[2].

Et hi quidem sibi persuaserunt definiendum esse systema quoddam signorum arbitrariorum vel symbolorum, quibus res logicae eodem fere pacto significarentur, sicut id fieri soleret in rebus mathematicis. Disciplinam autem, quae in his symbolis constituendis et ad conceptus et operationes logicas adhibendis occupatur, (nomine ex disciplina mathematica tracto) vocant *algorithmum logicae.*

Ut huius rei aliquod sit exemplum: Conceptus categorematici ab aliquibus significantur litteris latinis maioribus, syncategorematici latinis minoribus. Conceptuum elementa indicantur litteris graecis minusculis. Sicut in arithmetica numeros inter se coniungi posse dicunt additione, subtractione, multiplicatione, divisione. ita in logica conceptus coniungi posse determinatione, summatione, negatione, quae igitur sint quasi tres species fundamentales algorithmeticae. Ita conceptus *homo* determinatur addito *bonus* (Ab). Quodsi conceptum *homo* segregemus in elementa, quibus constituatur (*animal docile, substantia bipes, ens rationale*, id genus alia, quae significantur α_1, α_2, α_3 ...), et conceptum *bonus* in sua etiam elementa (*pius, iustus, moderatus*, quae significantur β_1, β_2, β_3 ...), videtur unumquodque elementum conceptus A coniungi cum unoquoque elemento conceptus b. Atque ita ad „determinationem" videtur ut res specialis reducenda esse multiplicatio algebraica: nam in hac unumquodque elementum multiplicatoris unicuique elemento multiplicandi coniungitur. Unde ad rem accommodate „determinationem logicam" signo mathematico multiplicationis ($\times$ vel $\cdot$) indicari posse dicunt (b × A, vel b · A vel bA) et de „determinando" agunt et de „determinatore", etsi hi non inter se commutari possunt, id quod in multiplicando et multiplicatore contingit[3]. Determinationem distinguunt attributivam et obiectivam, prout determinator determinando aut adicitur ut substantivo attributum (velut *arbor alta*), aut apponitur verbo ut ob-

[1] The mathematical analysis of logic, Cambridge 1847; An investigation of the laws of thought on which are founded the mathematical theories of logic and probability, London 1854.

[2] Inter alios *R. Grassmann* (Die Begriffslehre oder Logik. Zweites Buch der Formenlehre oder Mathematik, Stettin 1872), *Stanley Jevons* (The principles of sciences[2], London and New York 1877), *J. Delboeuf* (Logique algorithmique, Liège 1876), *O. Schmitz-Dumont* (Die mathematischen Elemente der Erkenntnistheorie, Berlin 1878), *E. Schroeder* (Der Operationskreis des Logikkalkuls, Leipzig 1877; Vorlesungen über die Algebra der Logik, ibid. 1890—1904).

[3] *Wundt*, Logik I[3] 237 sq.

iectum (velut *scribere epistulam*). Determinandi locum semper tenet conceptus unus, determinator conceptibus multis constitui potest (velut *homo pusillus, doctus*). Determinatoris elementum, quod proxime refertur ad aliud determinatoris elementum, vocatur *determinator gradus secundi* (velut *arbor in alto monte sita,* vel *scribere longam epistulam,* vel *naturae convenienter vivere,* quibus in exemplis „alto", „longam", „naturae" sunt determinatores secundi gradus, qui indicantur a_2 vel b_2 vel c_2). Littera v significatur praedicatum non esse accipiendum secundum totam suam extensionem; si quis igitur dicit: *Galli sunt homines caucasici,* praedicatum significatur v a A; et: *hi sunt in musica bene instructi discipuli,* v b_2 a A. Quodsi conceptus extensione tota acceptus significatur unitate 1 et negatio conceptus zero, iam littera v aliquid indicat, quod inter 1 et 0 interiacet. Atque haec de conceptuum *determinatione.*

Summatio conceptuum fit, cum conceptus adduntur neque tamen inter se determinant, sed solum ad totum comprehenduntur, cuius partes efficiantur. Summationi respondet additio arithmetica vel algebraica eique signum + commodatur. In mathematicis adduntur quantitates, quibus adiacet qualitas ut res aliena; in logicis adduntur res secundum qualitatem ad conceptum universalem, neglecta quantitate, velut *homo* + *animal brutum* = *animal.*

Negationi conceptuum similis est in mathematicis subtractio et divisio[1].

Atque haec de *conceptibus.* Etiam ad indicanda *iudicia* adhibentur signa, velut *homo* = *animal rationale; homo* < *animal; animal* > *homo; si peccas* ⌐| *puniris.*

Symbola autem, quae ad significandam *ratiociniorum* varietatem adhibentur, complicatiora sunt, quam quae omnia hoc loco vel obiter indicari possint[2].

Atque haec cogitandi ratio praecipue empiristis placet, qui ex omni scientiae genere omnia ad res quantitativas, quae computis mathematicis subici possint, referre conantur. — Et sane in rebus logicis consideratio quantitatis non omnino neglegitur[3]. Saepissime enim et multis rationibus de toto agitur et eius partibus, de conceptibus universalibus, particularibus, singularibus et id genus aliis. Sed in mathematicis consideratio quantitatis est certa et fixa et hinc mensurabilis, ita ut ad determinatos numeros

[1] *Wundt* l. c. 252 sqq. [2] Ibid. 358 sq.

[3] In rebus mathematicis consideratio quantitatis est principalis, non tamen ita, ut qualitas ratione omni excludatur: in rebus logicis consideratio principalis qualitatem spectat, sed est quoque consideranda quantitas.

vel mensuras quantitas omnis per se reduci possit. E contrario quantitas, quae in logica attenditur, cum per se indeterminata sit, nec numeris nec ulla mensura exprimi potest[1].

346. **Dico**: Calculus ille, quem algorithmum logicae vocant, quamvis inter debitos limites coartatus a veritate non abhorreat, spectato tamen fine logicae parum utilitatis promittit.

1. Primo igitur putandum non est calculum istum ex se absurdum esse. Sicut enim operationes logicae et notiones exprimi solent vocabulis, quae sunt signa arbitraria, ita etiam exprimi possunt symbolis, quae per artem ad hunc finem constituantur, ut aliquae relationes logicae clarius significentur[2].

2. Deinde vero calculum istum intra certos limites coartandum esse diximus. Sunt enim qui censeant evidentiam omnem, quae operationibus logicis a nobis comparari possit, esse intuitionem geometricam ita, ut omnis certitudo inspectionem figurarum geometricarum involvat, quae sit sensitiva. Quod quam falsum sit, nemo est quin videat. Plurima sunt praeterea in logica, quae symbolis satis exprimi non possunt, cuiusmodi sunt omnes qualitates secundum se consideratae atque essentiae et conceptus generum et differentiarum; quae ex naturae consideratione ab ipsis rebus trahenda sunt et arbitrariis notarum combinationibus significari non possunt.

3. Tandem quod reliquum est, vix opus est, ut multis ostendatur calculum istum ad finem logicae parum utilitatis habere posse[3]. Iis quidem, qui rebus mathematicis delectantur, admodum iucundus esse potest; atque id etiam utilitatis habet, ut leges oppositionum, conversionum, syllogismi ad oculum quasi depingi possint. In conclusionibus vero inferendis nemo prudens per circuitiones istas admodum implicatas flectet viam suam.

---

[1] Hac de re *Wundt:* „Der eigentliche Unterschied der Logik und Mathematik liegt darin, daß die logischen Begriffe Größen sind, deren Verhältnisse nicht auf Zahlenverhältnisse reduziert werden können. Daraus geht zugleich hervor, daß die Logik die allgemeinere Wissenschaft ist, welche die Mathematik als eine spezielle Disziplin einschließt. Die Logik verwandelt sich in Mathematik, sobald die Begriffe die Eigenschaft annehmen, nach Zahlenverhältnissen meßbar zu werden" (Logik I[3] 245).

[2] *Wundt,* Logik I[3] 233.

[3] Cf. *Wundt* l. c. 235: Die symbolische Logik kann für die Lösung *praktischer* Aufgaben des Denkens keine nennenswerte Bedeutung beanspruchen (cf. etiam p. 282): es ist „die Erwartung, daß die symbolische Logik zur Lösung sonst schwer oder gar nicht zu lösender Aufgaben berufen sei, im allgemeinen nicht erfüllt werden". Cf. *Hontheim,* Der logische Algorithmus (1895).

SECTIO III.

De methodo inventionis et doctrinae.

347. Methodus obtinendae veritatis. Cum modum attendimus, quo scientia ab homine acquiritur, hunc duplicem esse videmus: „Unus est, quando naturalis ratio per se ipsam devenit in cognitionem cognitorum, et hic modus dicitur *inventio;* alius, quando rationi naturali aliquis exterius adminiculatur, et hic modus dicitur *disciplina*“ [1] vel doctrina. Duplex ergo est quaestio, qua aut inquiritur, quaenam methodus ad scientiam inventione comparandam adhibenda sit, aut quaenam in ea aliis tradenda sit accommodatior, postquam iam ab aliquo inventa sit.

Modus doctrinae si in genere spectatur, alius esse non potest quam modus inventionis. De inventione quaestio duplex esse potest. Aut enim inquiritur, qua via in solvenda quaestione particulari sit procedendum, aut qua ratione de obiecto aliquo cognito plenior cognitio comparari possit. Si de solvenda quaestione particulari agitur, ut plurimum datum est subiectum; adhibenda ergo erit methodus analytica. Quapropter haec methodus, quae in veritatibus inveniendis potiores partes habeat, methodus *inventionis* vocatur.

Quodsi posterior exstitit quaestio, sequi modum opus est, quem ordo cognitionis humanae indicat.

Incipiendum est igitur a *sensili experientia,* ex qua ad principia ascenditur et a principiis ad conclusionem devenitur. „Cognitio eorum, quae cognoscuntur per demonstrationem, i. e. cognitio conclusionum fit in nobis ex praeexsistenti cognitione sensitiva.“ [2] Coniungenda est ad inventionem methodus experimentalis et rationalis, methodus analytica et synthetica.

In methodo veritatem perfecte inveniendi tria aguntur, scil. ut clara habeatur quaestionum cognitio, ut solida adsint argumenta, ut conclusionum conexio perspiciatur. Articuli igitur de inventione tres erunt paragraphi.

ARTICULUS I.

De methodo inventionis.

§ 1. De quaestione.

348. *Quaestio* vi vocis est oratio enuntians aliquam veritatem inveniendam vel demonstrandam: retinet nomen quaestionis, cum rem inveniendam secundum formam interrogationis enuntiat: cum

[1] *S. Thom.,* De verit. q. 11, a. 1.
[2] *S. Thom.* in l. 2 anal. post. lect. 20, Solvit.

rem demonstrandam secundum formam propositionis enuntiat, nominari solet *thesis* vel *conclusio* (propositio). Ea autem, quae de aliqua re quaeri possunt, ab *Aristotele* et antiquis eius interpretibus ad quattuor genera sunt revocata: *an sit* res *(εἰ ἔστι)*, *quid sit* secundum essentiam *(τί ἐστι)*, *quid in re* insit vel eveniat praeter essentiam *(τὸ ὅτι)*, *ex quibus causis* id insit rei et ipsa res sit *(τὸ διότι)*[1].

Aliqui posuerunt quaestionem quadruplicem hoc modo: an res sit, quid sit, an propositio sit vera, cur sit vera. Alii tot quaestiones ponendas esse dixerunt, quot essent categoriae. Alii aliter. Ita *Clemens Alex.* tria quaestionum genera numerat: *an sit*, *quid sit*, *quid rei accidat*; vel: *an sit*, *quid sit*, *propter quid sit*[2]. *S. Augustini* aetate numerabantur tria haec: *an sit, quid sit, quale sit*[3]. Quibus omnibus ab *Alberto Magno* responsum est, quaesita et scita, si circa res vel in se ipsis spectatas vel ad conceptus mentis nostrae relatas versentur, alia et multo plura esse posse illis quattuor a Stagirita positis; at vero si quaesita et scita „secundum formam" considerentur sive secundum diversos modos, quibus res sciri vel quaeri possent, illa neque alia esse neque plura quam illa quattuor ab *Aristotele* indicata[4]. Illud igitur tantum doctrina Aristotelis praecipitur, ut quattuor sint modi quaerendi et sciendi *generaliter* accepti, non vero quattuor tantum res, quae sciri et quaeri possint. Unde *Scotus*: „Quaestiones acceptae in generali sunt aequales numero his, quae vere scimus in generali, et sic est propositio vera."[5] Addit tamen *Albertus Magnus*, quaestiones quattuor ad duas revocari posse: ad quaestionem *si est* et *quid est;* quia, inquit, quaestiones *si est* et *quia est* ad idem quaesitum, et *quid* et *propter quid* ad idem referuntur[6].

Inter quaestionem *an sit res* et quaestionem *qualis sit res* ea statuta est diversitas, ut prior quaestio fiat *simpliciter*, haec autem secundum quid sive *ex parte (ἐπὶ μέρους)*. Hac de re *Trendelenburg:* „Aut universa res in quaestionem vocatur, quo pertinet *εἰ ἔστι, τί ἐστι*, aut re ipsa posita, actiones et effectus explorantur, quo pertinet *ὅτι, διότι*."[7]

Atque sicut quaestio *an sit* et *qualis* inter se cohaerent, ita etiam in perspicuis est quaestiones *quid sit res* et *unde sit* intimo nexu inter se colligatas esse. Postquam enim *quid sit*

[1] Anal. post. 2, 1. De voce *διότι Trendelenburg:* „Διότι si in hoc usu latine reddi solet ‚cur', in angustias cogitur. Neque enim solum, ut e positis Aristotelis exemplis apparet, agendi spectat consilium et finem, in quo quidem ‚cur' versatur, sed etiam causam, qua tamquam efficiente res nascitur, ita ut duplicem vim amplectatur, nec minus ‚unde' quam ‚cur' intellegi debeat" (Elem. logic. Arist.[5] § 15).

[2] Strom. 8, 6. [3] Confess. 10, 10.

[4] In l. 2 anal. post. tract. 1, c. 1. [5] In l. 2 anal. post. q. 1, n. 3.

[6] L. c. c. 3. [7] Elem. logic. Arist.[5], Ann. § 15.

res accurate cognoveris, facilius cognosces, qualem rationem aut causam postulet. Et contra si quis causam rei noverit, is facile ad cognoscendam rei essentiam adducetur. Velut cum quis oculo viderit lunam deficere, huius rei experientiam quidem habet, nescit tamen, quid sit lunae defectus. Cum autem noverit causam huius defectus in interpositione terrae reperiri, iam etiam scit lunae defectum esse luminis privationem interpositione terrae factam. „Sic ergo", ait *Aquinas*, „‚quid est' et quaestio ‚propter quid' redeunt in idem subiectum, quamvis differant ratione."[1]

349. *Ordo et selectus* ponendarum quaestionum determinatur tum ex praecognitis tum ex natura obiectorum.

In disciplinis naturalibus is inter quaestiones ordo tenendus est, ut fere in omnibus τὸ ὅτι certae viae, qua ad τὸ διότι perveniatur, sit principium. Nam in huius generis scientia cum exsistentia obiecti ex se manifesta sit, quaestioni εἰ ἔστι non est locus. Quaestio autem τί ἐστιν solvi non potest nisi ex soluta quaestione τὸ ὅτι. Atque id sibi voluit *Aristoteles*, cum quaestionem „quale quid sit" statueret esse principium omnis scientiae, eum arbitratus, qui hanc quaestionem solutam haberet, facile iam principia perspicere posse, ex quibus etiam quaestio τὸ διότι solvi posset. Atque hunc quaestionum ordinem, a se praeceptum in libris logicis, ipse Aristoteles in omni scientia naturali diligenter adhibuit, ut prius τὸ ὅτι, i. e. facta, quae circa rem propositam occurrerent, exponeret, ad investigandum deinde τὸ διότι, i. e. factorum rationes et causas progressurus. Ita in capite primo libri de incessu animalium, in quo postquam primo eventus sive facta indicavit, quorum causas investigaturus erat, haec addit: „De omnibus certe iis, et quaecumque istis sunt cognata, perscrutandae sunt causae; contingere enim hoc modo, ex naturali palam est historia; quam ob causam contingant, nunc est investigandum."[2]

In iis autem scientiis, quarum obiectum immediatae experientiae inquirentis non praesto est, prima quaestio saepissime erit quaestio *an sit*, quae deinde aut conclusione ex effectibus manifestis aut aliorum testimonio (ut in historia) erit solvenda. Per se patet quaestionem *an sit* aliqualem notitiam quaestionis *quid sit* praesupponere, non tamen notitiam accuratam essentiae: sed sufficit, ut nomen rei sufficienter sit indicatum et declaratum ad rem ab aliis discernendam.

In disciplinis speculativis, ut v. g. in mathematicis et in metaphysica, ad cognoscenda principia et ea quae ex conceptuum analysi deduci possunt, incipit inquisitio ab analysi et accurata cognitione essentiae seu obiecti formalis seu ab accurata determinatione quaestionis *quid sit*. „Omnis enim", ut est apud *Tullium*, „quae a ratione suscipitur de re aliqua institutio, debet a definitione proficisci, ut intellegatur, quid sit id, de quo disputetur."[3] Variae deinde, si multiplex est quaestio, partes

[1] In l. 2 anal. post. lect. 1.
[2] De animalium incessu c. 1 (704 b 9).
[3] De offic. 1, 2.

aliae ab aliis dividendae sunt. Reiectis porro iis omnibus, quae aut evidenter vera aut certo falsa sint, aut a re de qua agatur aliena, inutilia prorsus sunt et ne quidquam argumentis subicerentur, his, inquam, reiectis quaestio proposita quam fieri potest terminis apertissimis et simplicissimis exprimenda est. Quibus omnibus absolutis quaestionis partes, quae remanent, rite disponendae sunt, ita ut primo eae partes expendantur, quarum probatio a probandis aliis supponitur. Cuius rei hoc ponatur exemplum, ut quaeratur, *sitne anima humana immortalis.* Definienda igitur primo immortalitas. Immortalitatem divides in incorruptibilitatem substantiae et durationem perpetuam vitae. Distingues immortalitatem internam ab ipsa re exortam et externam in eo sitam, quod Deus animam intrinsecus immortalem non sit destructurus. Immortalitatem internam unam videbis esse, quae, cum absoluta cum necessitate rei conveniat, essentialis sit et soli Deo conveniat; aliam esse, quae ex simplici viventis natura necessario oriatur; tertiam, quae per miraculum a Deo omnipotenti gratuito alicui naturae donari possit. Sed cum neque de prima neque de tertia sermo esse possit, quando a philosopho quaeritur de animae humanae immortalitate, has mittes, secundam retinebis, ut ad quaestionem pertinentem, huicque immortalitatem externam adiunges. Et quaestio erit, sitne anima humana ex natura sua incorruptibilis et immortalis et reapse post mortem superstes in aeternum. Cuius conclusionis quo ordine partes sint disponendae, in promptu est.

Scholion. Vetat *Stagirita* ponere quaestiones impias, vel manifestas sensui, vel quae nemini probentur, vel quae sint nimium difficiles [1]. Qui serio quaereret, *num Deus colendus esset* vel *parentes amandi,* poena is dignus esset. Qui vero quaereret, *nix essetne alba an nigra,* sensu careret. Qui quaereret, *sitne numerus stellarum par an impar,* stultus haberetur. Tum igitur quaestiones in philosophia legitimae sunt, quando exsistunt aliqua de iis dubia, de quibus philosophi possunt cum probabilitatis saltem specie aliquid in utramque partem dicere. Apud *S. Thomam* praeclare praeceptum legimus: „Quaestiones in tantum sunt amandae, in quantum ducunt ad veritatem per hoc, quod oportet, quod omnes unum dicant. Quaestiones autem stultae non ducunt ad veritatem sed ad litem, quae est vitanda." [2]

350. Usus aporiarum sive dubitationum in quaerenda veritate. Cum quaestione penitus cohaeret dubitatio. „Illi qui primo philosophati sunt et qui nunc philosophantur, incipiunt philosophari propter admirationem alicuius causae; aliter tamen a principio et modo: quia a principio admirabantur dubitabilia pauciora, quae magis erant in promptu, ut earum causae cognoscerentur; postea ex cognitione manifestorum ad inquisitionem occultorum paulatim

[1] Top. 1, 10 (104 a 8); 1, 11 (105 a 5).
[2] In c. 2 epist. 2 ad Tim. lect. 4.

procedentes, inceperunt dubitare de maioribus et occultioribus.“ [1] Et nemo certe, si sanae mentis sit, quaerit, utrum aliquid verum sit necne, nisi de veritate aut falsitate rei quam quaerit aliqua ratione dubitet. Cuius dubitationis vis et usus ut recte intellegatur, haec quinque recogitanda sunt.

Primo certum est inquisitionis omnis initia a dubitatione petenda esse, praecipue autem in rebus philosophicis. Sicut enim in mathematicis ut plurimum evenit, ut mens ad principia diligenter attendens per certam demonstrationis viam ad conclusionem directe perveniat, ita in rebus philosophicis plurimis principia quoad nos evidentia non sunt statim praesto; postquam autem inventa sunt, saepenumero eiusmodi non sunt, ut mentem ad eam de qua agitur rem concludendam per evidentiam cogant. Ex quo efficitur, ut nos semper quidem, sed praecipue in philosophia „dubitationem pro interminato motu ratiocinationis accipiamus in praemissis, quando ratio ante consensum modo viam habet ad unum, modo ad alterum“ [2].

Unde acute a *Scoto* observatum est propositionem scibilem sive eam, cuius scientia de novo per causam acquiratur, cum neque sit per se nota in veritate neque per se nota in falsitate, talem esse, „de qua scientia acquiri possit post dubitationem, ita quod ipsa prius sit dubitata et postea per principia nota fiat scita“ [3]. Et *Aristoteles* hominem in inquisitionis philosophicae initio positum vinculis ligato comparat. Qua de re iterum *Scotus:* „Sicut ligatus corporaliter, si vult solvere vinculum et nodum, oportet, quod prius respiciat vinculum et nodum ligaturae, sic ille, qui vult solvere dubitationem, prius debet considerare difficultates et earum causas.“ [4] Quae res ut recte intellegatur, attendendum est nos sub inquisitionis initiis non solum in ignorantia eius quod quaeratur versari, sed nobis ob naturam humanam et vitae humanae condicionem necessario de plurimis rebus, quarum nostra multum interest, hinc atque illinc contrarias rationes occurrere.

Secundo loco observandum est plerisque de rebus esse hominum opiniones contrarias, ita ut unusquisque opinionis suae demonstrationem quaerat.

„Demonstrationes, id est probationes contrariorum, id est contrariarum opinionum, sunt dubitationes de contrariis, scilicet opinionibus, id est sunt obiectiones ad contrarias opiniones. Expedit autem ei, qui vult cognoscere aliquam veritatem, solvere dubitationes, quia solutio dubita-

[1] *S. Thom.* in l. 1 met. lect. 3.

[2] *Albertus Magnus* l. 3 met. tract. 1, c. 1. Cf. *S. Thom.* in 3 dist. 17, q. 1, a. 4.

[3] In l. 2 anal. post. q. 1, n. 2.

[4] In l. 3 met. summa 1, c. 1. Cf. *Albertum Magnum* in h. l. tract. 1, c. 1, et *S. Thomam* in h. l. lect. 1.

torum est inventio veritatis; . . . et ita ad sciendum veritatem multum valent rationes contrariarum opinionum.“ [1]

Tertio loco praeiudiciorum passionumve mentio est facienda, quae sane inter vincula, quibus mentem ligatam esse diximus, non sunt levissima. Quicumque igitur ad certam veri inventionem venire vult, is animum suum praeiudicatis opinionibus exuere debet. Qui autem id fieri possit nisi dubitando de his temere conceptis opinionibus? Is igitur, qui rite utiliterque philosophari vult, initio a multiplici dubitatione abstinere se non potest [2].

351. *Quarto,* id quod in hac re est gravissimum, dubitationis est, in inquirenda veritate et viam aperire et ad veritatem ipsam tuto mentem adducere, ita ut ad consequendam de rebus incertis certitudinem in philosophia dubitatio omnino putata sit necessaria.

Quam rem cum a *Platone* multis locis explicatam habeamus, praecipue in Menone is suam suique praeceptoris sententiam aperuit. Et *Aristotelis* quidem institutio omnis, ut recte observat *Trendelenburg*, „ab ἀπορίαις proficisci solet, h. e. a difficultatum in utramque partem quaestione. . . . Quae quidem fit dialectice. Ea enim, quae de re proposita vulgo statuuntur (τὰ ἔνδοξα), ita exagitantur et quasi excutiuntur, ut difficultates appareant, quae in repugnantia sive rerum sive notionum cernuntur. Quare ἀπόρημα, dubitatio, est dialectica in contrariam partem (ἀντιφάσεως) argumentatione confirmata. Efficitur autem, cum pari utrimque rationum pondere mentis iudicium suspensum teneatur, incerta animi fluctuatio (ἀπορία).“ [3] Quod idem ab *Aquinate* laudatum est: „Consuetudo Aristotelis fuit, fere in omnibus libris suis ut inquisitioni veritatis vel determinationi praemitteret dubitationes emergentes.“ [4] Et ad *Cartesii* et *Wolffii* tempora ex philosophis scholasticis nobilioribus ne unus quidem reperiri potest, qui praeclarum illud Aristotelis exemplum non sit secutus. Apud *Aquinatem* in omnibus libris, qui in usum scholae destinati

[1] *S. Thom.* in l. 1 de caelo lect. 22. Quae res a multis sanctis Patribus est observata. Inter alios *S. Augustinus:* „Ab adversario mota quaestio discendi exsistit occasio“ (De civit. Dei 16, 2). Qui alio loco: „Ideo, inquit, divina providentia multos diversi erroris haereticos esse permittit, ut cum insultant nobis et interrogant nos ea, quae nescimus, vel sic excutiamus pigritiam et divinas Scripturas nosse cupiamus“ (De Genesi contra manich. 1, 1, 2).

[2] Videsis *Sanseverino,* Log. III 218 sqq.

[3] Elem. logic. Arist.[5] § 33.

[4] In l. 3 met. lect. 1. Ex multis pauca nobis hoc loco exempla adducere liceat: In libris anal. post., quid sit quaestio, inquirens: „Dicamus, inquit, primum dubitantes *(διαπορήσαντες).*“ In libro primo de anima (c. 2 [403 b 20]) priorum de anima sententiae recensentur, ut ex iis quod conferat „ducatur, quod a vero abhorreat reiciatur“. In libro primo de caelo (c. 10 [279 b 7]) primo opiniones complures inter se contrariae exponuntur, quia „demonstrationes contrariorum dubitationes de contrariis sunt“.

sunt, in more est positum, ut prius dicatur „Videtur quod non", dein: „Sed contra", et tum accedatur ad thesim ipsam probandam, dicendo „Respondeo dicendum". *Scoti* consuetudo est, ut prius ponatur „Arguitur quod non", deinde accedat ad suum „Ponuntur conclusiones".

„Est autem operae pretium", ut dicit *Aristoteles*, „aliquid facultatis habere volentibus bene dubitare *(διαπορῆσαι καλῶς)*. Nam posterior facultas solutio eorum est, quae ante dubitata fuerunt. Solvere autem non est, cum nodus ignoretur. Sed intellectus haesitatio manifestum hoc de re facit." [1]

Ea quam Stagirita multis verbis proponit doctrina haec est, ad inveniendam rei alicuius veritatem cognovisse primum oportere, quae possint de ea dubitari, eaque in utramque partem disputasse. Difficultates enim, quae in ipsa re insunt, is demum et expediet recte et num expedierit intelleget, qui probe noverit difficultates. Et facilius iuste iudicabit, qui tamquam causae arbiter utramque partem audiverit. Quam doctrinam aristotelicam scholastici omnes declaraverunt, approbaverunt, auxerunt. Stagiritae mentem his verbis explicat *S. Thomas:* „Illi qui volunt inquirere veritatem non considerando prius dubitationem, assimilantur illis qui nesciunt, quo vadant. Et hoc ideo, quia sicut terminus viae est illud, quod intenditur ab ambulante, ita exclusio dubitationis est finis, qui intenditur ab inquirente veritatem. Manifestum est autem, quod ille qui nescit, quo vadat, non potest directe ire nisi forte a casu; ergo nec aliquis potest directe inquirere veritatem, nisi prius videat dubitationem." [2]

Ab aliis aliae ad hanc rem illustrandam comparationes sunt adhibitae. „Pulsat quidem", ut est apud *Clementem Alexandrinum*, „per inquisitionem, quae per interrogationem et responsionem instituitur oratio, veritatis fores iuxta id, quod apparet. Aperto autem per scrutationem eo, quod est impedimento, ingeneratur contemplatio scientifica." [3]

352. *Quinto* tandem, quod ultimum est, etiam in rebus certis atque indubiis, quae nobis iam multis argumentis videntur esse probatae, non sine magna utilitate dubitatio adhiberi solet. Mirum est enim, quantum mens in tenendis illis veritatibus inde confirmetur, quod eas examinavit probavitque.

Itaque *tentat* quidem de illis rebus dubitare, actu autem non dubitat de evidentibus, sed haec ab aliis discernit. Neque in hoc processu negat quidquam, quod verum est, neque affirmat, quod est falsum; sed facilem tantum et tutam sibi viam munit ad discernendas illas veritates, quas iam nullo modo in dubium vocari posse videt. Haec igitur ratio dubitandi conatu quodam continetur vel dubii suppositione, non dubio reali [4].

[1] Met. 3, 1 (995 a 27 sqq).
[2] In l. 3 met. lect. 1. Cf. *Arist.*, Ethic. Nicom. 7, 3 (1146 a 24).
[3] Strom. 8, 1.
[4] *Palmieri*, Instit. philos. I, Romae 1874, 146.

Atque haec erat omnium scholasticorum sententia. Interrogatus aliquando *Aquinas*, liceatne disputare de persona Christi: „Non video, inquit, quare hoc non liceat, cum cotidie in scholis magistrorum disputetur et de Trinitate et de aliis articulis fidei, non propter dubitationem, sed propter veritatis intellectum et manifestationem et confirmationem.“ [1] Quem locum citans *Roselli* haec addit: „Expedit ergo, ut de propositionibus certis instituantur dubitationes sive potius disputationes. Qui enim de illis disputant, non ipsi dubitant, sed dubitantis personam induunt. Nam propositis obiectionibus adversariorum iisque postea solutis veritas magis apparet. Quare numquam non licuit quaerere, utrum Deus sit.“ [2]

Scholion. In toto hoc disquisitionis dialecticae negotio ob oculos versari debet illud, quod a philosophis peripateticis iterum ac tertio praecipitur, non *quamlibet* dubitationem ad rem de qua agitur aptam esse, sed semper esse dubitandum καλῶς vel εὐλόγως vel εἰκότως vel ἀληθῶς. Non igitur de omnibus est dubitandum, sed firma retinenda sunt principia, unde dubia possint reici. Nec mens statim quaestionis initio ingenti dubitationum mole obvolvenda est, sed initio attentio mentis in paucas tantum ἀπορίας figenda, et in eas quidem, quae ad rem aperiendam et illustrandum „statum quaestionis“ videntur esse opportuniores. Unde videmus *S. Thomam*, cum in quaestionibus disputatis plerumque plurimas in quaestionis initio posuerit rationes dubitandi, in Summa theologica, quam ad usum incipientium scripsit, ea moderatione usum esse, ut ante conclusionem paucis tantum notatis dubitationibus contentus fuerit. Nihil autem impedit, quominus dubia, quae restent solvenda, post thesim demonstratam ponantur solvanturque. Neque in hoc genere incommodum est, ut insigniores tantum opinationes in considerationem veniant quaeque aliqua ratione niti videantur. Quam rem ab ipso *Aristotele* praeceptam habemus [3].

353. Usus historiae ad quaestiones dilucidandas. Apud *Aristotelem* legitur: „Ad illam quae quaeritur scientiam necesse est imprimis nos percurrere, de quibus primo dubitandum sit. Haec autem sunt, et quaecumque de iis aliter quidam existimarunt, et si quid ultra haec praetermissum sit.“ [4] Proinde post explicatam dubitationis rationem nunc breviter videamus de usu historiae in rebus philosophicis. Qui locus non est apud philosophos sine controversia.

Et ipse quidem *Aristoteles* non semel aperte dixit, neminem in cuiuspiam scientiae studio proficere posse, nisi prius opiniones eorum, qui de

[1] Opusc. 9 (ed. Rom. 10): Responsio ad magistr. Ioan. de Vercellis a. 32.

[2] Summa philos., Bononiae 1857: Logic. pars 1, q. 23, a. 1, n. 900.

[3] Ethic. Nicom. 1, 2 (1095 a 28). In quem locum *Aquinas:* „Perscrutari omnes opiniones ... esse magis vanum, quam deceat philosophum, quia quaedam omnino sunt irrationales. Sed sufficit illas opiniones maxime perscrutari, quae in superficie habent aliquam rationem, vel propter apparentiam aliquam, vel saltem propter opinionem multorum hoc existimantium“ (In l. 1 ethic. lect. 4. Ostendit qualiter).

[4] Met. 3, 1 (995 a 21).

eadem re tractassent, investigaret examinaretque. Neque ipse umquam prius de ulla re aperuit sententiam, quam eos qui ante se fuerant, in medio poneret. „Quis omnium doctior, ait Cicero [Or. § 172], Aristotele fuit? Tot illum poetas, tot omnis generis scriptores, tot philosophos legisse, nec tantum legisse, sed censuisse etiam, ex iisque ad recte philosophandum profecisse constat, ut si hoc unum per totam vitam factitasset, vix vita his studiis suffecisse videatur idemque ille in doctissimis hominibus praecipuum locum obtinuisset.“ [1]

Methodo aristotelicae, ut recte dicit *Sanseverino*, doctores mediae aetatis, quantum tempus illud sinebat, institisse is tantum ignorare potest, qui eorum opera numquam prae manibus habuit. Ex propriis quidem fontibus placita antiquorum philosophorum vix umquam haurire poterant, quia magna horum parte carebant. At procul dubio historiam fecerunt maximi; et probe etiam noverunt tum philosophiae christianae tum ethnicae traditionem. In qua utraque eruditos se ostendunt, quippe qui in suis operibus et doctrinas sanctorum Patrum exponant atque tueantur et cuncta placita philosophorum vestigiis Aristotelis insistentes expendant [2].

Cartesius, cum omnia, araneae instar, ex se ipso trahere statuisset, primus omnium historiam in philosophia non solum supervacaneam, sed noxiam esse decrevit, „concludendum esse inquiens eos, qui quam minimum didicissent illorum omnium, quae hactenus nomine philosophiae insigniri solita essent, ad verum percipiendum quam maxime idoneos esse“ [3]. Quod Cartesii decretum, cum praesertim non minus superbiae faveat quam pigritiae, per annos prope ducentos a plurimis in philosophia religiose observatum videmus. Aliquibus frustra reclamantibus, ut dicit *Sanseverino*, contemptus historiae in dies magisque promotus et pervagatus est. In Gallia *Malebranche* sanxit sententias antecedentium in iis quidem quaerendas esse, quae fidem et religionem spectarent, non autem in iis, quae rationis essent. In Anglia *Locke* cum cartesianam philosophandi methodum secutus esset, in suis de humano intellectu disquisitionibus nullam historiae rationem habuit, multosque sui imitatores nactus est. Et sicut in philosophia cartesiana, ita etiam in philosophia *kantiana* omne rerum historicarum studium evanuit. Id ad summum ab his philosophis permittebatur, ut de historia philosophiae ageretur separatim, ita ut haec historia non iam investigandae veritati inserviret, sed ampliori litteratorum hominum eruditioni [4].

Ineunte autem saeculo XIX ab extremo contemptu ad immoderatam quandam historiae aestimationem ventum est apud nonnullos pantheistas. Cum enim *Schelling* doceret Deum esse illud absolutum, quod sub formis materiae et spiritus sese manifestaret, et *Hegel* statueret philosophiam

---

[1] *Van Heusde*, Characterismi principum philosophorum veterum, Amstel. 1839, 234, cit. apud *Sanseverino*, Log. III 245.

[2] Logic. III 251.

[3] Ita in epistula ad principiorum philos. interpretem Gallicum. Gallice ed. *Adam* et *Tannery* tom. 9: Principes p. 9, linea 9 sqq.

[4] Inter hos scriptores historiae eminent *Stanley* (1660), *Brucker* (1742 ad 1744), *Tiedemann* (1787), *Tennemann* (1798).

esse scientiam ideae sese per tria momenta evolventis, apparet in historia philosophiae narrari nobis manifestationes „absoluti“ sub forma spiritus, atque exponi, quae sit evolutio „ideae“ in spiritu humano. Atque ita effectum est, ut historiam philosophiae dixerint esse ipsam philosophiam. Et haec de varia philosophiae aestimatione satis.

354. Sed nunc ad id, quod huius rei est caput, pergamus: qualis historiae usus in rebus philosophicis esse debeat. Qua in re imprimis tenendum est oportere, ut notitiae historicae non separatim tradantur, sed pro rerum opportunitate in ipsam philosophiam trahantur, non quidem ut res praecipua, sed ut praeclarum inquirendae veritatis adiumentum.

Sic *Aristotelem* egisse constat. Qui etsi hodie ab omnibus salutetur „auctor historiae philosophiae“, non tamen hanc historiam separatim scripsit eruditionis gratia, sed ipsis disputationibus eam adeo intexuit, ut ipsa philosophia Aristotelis ex cognitione acutaque examinatione systematum philosophicorum, quae praecesserant, prodiisse videatur. Et aperienti cuique libros aristotelicos conspicuum est, quantum haec philosophia praestet rerum sententiarumque copia et varietate, quantumque abhorreat a systematicorum philosophorum ariditate. Ita in libris auscultationis naturalis de primis rerum principiis acturus, initio opiniones de ea re praecipuas accurate recenset. In libro primo de anima opiniones affert antiquorum, qui de anima aliquid constituerint. In libro primo ethicorum ad Nicomachum cum vulgi opiniones tum varias de beatitudine sententias philosophorum indicat diiudicatque. Quae res etiam in libro primo metaphysicorum praeclare est observata. Atque ita in reliquis.

Quae vero in hoc genere est historiae cura, ut dicit post Stagiritam *S. Thomas*, ad duo erit utilis. „Primo, quia illud, quod bene dictum est ab illis [i. e. ab antiquis, quicumque illi sunt], accipiamus in adiutorium nostrum; secundo, quia illud, quod male enuntiatum est, cavebimus.“ [1]

Et alio loco: „Adiuvatur unus ab altero ad considerationem veritatis dupliciter, uno modo directe, alio modo indirecte. Directe quidem iuvatur ab his, qui veritatem invenerunt, quia dum unusquisque praecedentium aliquid de veritate invenit, simul in unum collectum posteriores introducit ad magnam veritatis cognitionem. Indirecte vero, in quantum priores errantes circa veritatem posterioribus exercitii occasionem dederunt, ut, diligenti discussione habita, veritas limpidius appareret. . . . Et ideo iustum est, gratiam referre non solum his, quos quis existimat veritatem invenisse, quorum opinionibus aliquis communicat sequendo eas; sed etiam illis, qui superficialiter locuti sunt ad veritatem investigandam, licet eorum opiniones non sequamur; quia etiam isti conferunt nobis. Praestiterunt enim nobis quoddam exercitium circa inquisitionem veritatis.“ [2]

[1] In l. 1 de anima lect. 2, ad finem. [2] In l. 2 met. lect. 1, ad finem.

355. Atque id confirmatius erit, si molem et difficultatem acquirendae scientiae mente recogitaveris.

Hoc modo *Albertus Magnus* multis exponit historiam ad cognitionem veritatis multum conferre; cum enim naturas rerum omnino intellegere arduum sit, nullum eorum, qui naturam alicuius rei inquirere coeperint, universam veritatem de illa assequi potuisse; cum autem veritas mentem luce sua cum quadam necessitate percellat, neminem illorum veritatem omnino effugisse, „sed unusquisque aliquid dixit de natura eius, licet balbutiendo id dixerit, tamen ab ipsa manifesta veritate compulsus aliquid veritatis nisus est dicere“ [1]. Ex cunctis exiguis partibus veri, quas praecessores nostri invenire potuerint, inter se „coarticulatis“ magnam partem veritatis inveniri posse, Alberto assentitur *Aquinas:* „Licet id quod unus homo potest immittere vel apponere ad cognitionem veritatis suo studio et ingenio, sit aliquid parvum per comparationem ad totam considerationem veritatis, tamen illud, quod aggregatur ex omnibus ‚coarticulatis' exquisitis et collectis, fit aliquid magnum, ut potest apparere in singulis artibus, quae per diversorum studia et ingenia ad mirabile incrementum pervenerunt.“ [2]

356. Ad magnitudinem et difficultatem acquirendae scientiae accedit humani ingenii, quod in singulari homine inest, imbecillitas [3].

Scholion 1. Nemo est, cui non sit persuasum, diligenti in hac re circumspectione utendum esse, ne quid nimium neve parum tribuatur auctoritati aliorum. Certe prudens quisque paratus erit, ut sententiam suam per alienam doctrinam edoctus vel corrigat vel omittat. Ab altera autem parte magnopere cavendum est, ne quis in rebus philosophicis proprio usu rationis se abdicet, caeco modo auctoritate fretus. Qua in

[1] In l. 2 met. tract. 1, c. 1. Eandem rem non semel *S. Augustinus* animadvertit, ut cum diceret philosophos inter falsa, quae opinati essent, verum videre potuisse (De civit. Dei 18, 41, 3).

[2] In l. 2 met. lect. 1, Dicens quod.

[3] Non inscite de hac re *Ueberweg:* „Die Forschung des *Einzelnen* gewinnt in dem Maße an Bedeutung, als sie sich der *wissenschaftlichen Gesamtarbeit* als Moment einzufügen vermag. Weder eine rohe Selbständigkeit, die auf den natürlichen gesunden Sinn (common sense) vertrauend, oder in dem eiteln Wahne persönlicher Idealität befangen um einer vermeintlichen ‚Unbefangenheit' willen . . . das Studium fremder Leistungen verschmäht oder sich ohne eindringendes Nachdenken und kritische Genauigkeit mit halben und schiefen Auffassungen derselben begnügt, noch auch eine unfreie, selbstlose Hingabe, die, ganz in Gelehrsamkeit aufgehend, über der emsigen Sorge um sichere Aneignung und treue Reproduktion der von den schöpferischen Geistern errungenen Schätze die Kraft zu eigener Produktion unbetätigt läßt; sondern nur die Erhebung zu selbständiger Einsicht auf dem Grunde der genauesten Vertrautheit mit der gesamten bisherigen Entwicklung der Wissenschaft begründet den Fortschritt zu höheren Erkenntnisstufen“ (System der Logik § 140).

re praeclare ab *Aquinate* praeceptum est, in disciplinis philosophicis *rationem* adhibendam esse [1], atque ea tantum pro veris habenda, quae rationi consentanea essent [2], neque idcirco magni faciendum esse docuit argumentum, quod ab auctoritate humana trahatur. „Locus ab auctoritate, quae fundatur super ratione humana, est infirmissimus." [3] Id ipsum *Albertus Magnus*. „Quod de auctore quaedam quaerunt, inquit, supervacuum est; et numquam ab aliquo philosopho quaesitum est nisi in scholis Pythagorae . . ., quia in illis scholis nihil recipiebatur, nisi quod fecit Pythagoras. Ab aliis autem hoc quaesitum non est; a quocumque enim dicta erant, recipiebantur, dummodo probatae veritatis haberent rationem. Causa enim efficiens extra rem est, et ab ea res non habet firmitatem vel infirmitatem, sed potius a *ratione* dictorum." [4]

Scholion 2. Cum ante *Iacobi Bruckeri* (1696—1770) tempora vix ullus conatus sit, „historiam philosophiae" elucubrare ab ipsa philosophia separatam, nihil tamen est in philosophia peripatetica, quod obstet, ne haec historia tractetur etiam seorsum et separatim propter eruditionem et notitiam historicam. Vehementer autem errant, qui censent eiusmodi historiam incipientibus prius docendam esse, quam hi ad aliam ipsius philosophiae disciplinam accedant.

§ 2. Argumentorum inventio sive inventio medii.

357. Vidimus, quot sint genera quaestionum dialecticarum et quomodo dubitatione et historia philosophiae utendum sit nobis, ut quaestiones et recte et utiliter instituantur. Deinde videndum est breviter, unde argumenta ad solvendas quaestiones accommodata peti possint. Hac autem scientia continetur ea, quam vi vocis propria *topicam* vocant. *Argumentum* dialecticum dictum est esse probabile inventum ad faciendam fidem sive assensionem. Id autem, unde promuntur argumenta, dicitur *locus*.

Videndum est igitur, quinam sint loci illi, quos etiam notas argumentorum vel sedes vocant, ex quibus tamquam ex selectis propositionibus universalibus singularum rerum principia sumamus. Loci dialectici dicuntur a locis sive sedibus, in quibus res collocantur et inveniuntur, non, ut aliquibus visum est, ἀπὸ τῶν λόχων sive ab insidiis, quod in locis dialecticis tamquam in insidiis quibusdam argumenta delitescant. *Notae* autem vel *signa* vocantur, quia iis de habendo argumentorum delectu monemur. Argumenta dictum est ante intellegi ea omnia, quae rei dubiae fidem faciant.

De locis sive argumentorum sedibus primus enucleatius dixit *Aristoteles* [5], posteriore tempore *Cicero*. Et *Ciceroni* quidem, cum praecipue utili-

[1] S. th. q. 1, a. 1.

[2] „Doctrina ostenditur esse vera ex hoc, quod consonat rationi" (S. th. 1, 2, q. 98, a. 1).

[3] S. th. 1, q. 1, a. 8 ad 2. [4] L. 1 periherm. tract. 1, c. 1.

[5] In dialectica *Aristotelis* maximam partem tenet, si rerum copiam spectes et praeceptorum, doctrina de locis: unde etiam totus liber „topicorum" in-

tatem oratorum spectaret, loci non erant propositiones universales, sed generatim omnes termini, unde propositiones duci possent. „Ut igitur, inquit, earum rerum, quae absconditae sunt, demonstrato et notato loco facilis inventio est, sic, cum pervestigare argumentum aliquod volumus, locos nosse debemus.“ [1]

Apud *Aristotelem* autem loci non sunt termini, sed propositiones universales sive maximae et principales, quae, cum per se notae sint, non solum demonstrationis non indigent ad habendam fidem, sed etiam principia sunt, ex quibus propositiones aliae, quae per se notae non sunt, demonstrantur et fidem, i. e. assensionem accipiunt. Ut brevissimo haec res pateat exemplo, sit propositio: *Quorum diversa est definitio, ea diversa sunt.* Haec maxima est, quia et scienti cuilibet, quid sit definitio, ipsa „nota“ est et principium, ex quo diversitas enuntiationum, in quibus subiecta diversas habent definitiones, probari potest. Ex quo iam argumentum fieri potest hoc: *Invidus est, qui de rebus secundis viri boni dolet. Atqui honestus is non est, qui de rebus secundis boni viri dolet. Ergo honestus non est invidus.*

De tropica *Aristotelis* haec dicit *Sanseverino:* „Nos equidem vel hanc partem logicae aristotelicae instaurandam atque in nostrarum scholarum usum adhibendam esse arbitramur. Id nobis praeter ipsam naturam topices suadet gravissimorum virorum auctoritas, qui topicae usum magnopere commendarunt. . . . Isidorus Hispalensis: ‚Mirabile, inquit, plane genus operis, in unum potuisse colligi, quidquid mobilitas et varietas humanae mentis in sensibus exquirendis per diversas causas poterat invenire; conclusum liberum ac voluntarium intellectum. Nam quocumque se verterit, quascumque cogitationes intraverit, in aliquid eorum, quae praedicta sunt, cadet ingenium.‘“ [2]

Prius iam regulas generales inventionis medii statuemus, postea brevem conspectum de locis Aristotelis subiungemus, unde patebit neque contemnendam esse topicam aristotelicam, neque tamen eam solam sufficere, quod ne ipse quidem auctor putavit. Cf. n. 375, schol. 2 ad finem et n. 376.

358. Termini medii ad extrema relatio. Terminus medius ad aliquod extremum comparatus aut antecedens est aut consequens aut repugnans. In qua re non ille ordo ontologicus observatur,

---

scribitur. Post Aristotelem de locis scripsit *Theophrastus* et qui proxime hunc est secutus *Themistius*. Inter interpretes graecos praecipue *Alexander Aphrodisias* ea, quae praecepit Stagirita, magna cum accuratione interpretatus est. Inter latinos *Tullius* artem topicam oblivioni fere traditam primus excitavit, conquerens hanc Aristotelis doctrinam ab ipsis philosophis praeter admodum paucos ignorari. „Quibus, inquit, eo minus ignoscendum est, quod non modo rebus iis, quae ab illo dictae et inventae sunt, allici debuerunt, sed dicendi quoque incredibili quadam cum copia tum etiam suavitate“ (Top. c. 1). Posteriore tempore de rebus topicis scripserunt *Clemens Alex., S. Augustinus, Boethius, Cassiodorus, Isidorus Hispalensis, Averrhoes, Albertus Magnus,* alii.

[1] Top. c. 2. [2] Log. III 157 158.

in quo causa realis rem antecedit et effectus realis causam consequitur, sed ordo aliquis *cognitionis* attenditur. Unum igitur comparatione alterius dicitur *antecedens*, quo posito alterum ponitur, vel ex quo aliud infertur. Et *consequens* dicitur, quod posito altero necessario ponitur, seu quod ex alio recte infertur. Repugnans vel extraneus denique dicitur terminus, qui de altero, aut de quo alter non potest affirmari. Ita *homo* est antecedens ad „animal", valet enim: *est homo, ergo est animal; corpus* est consequens „animal", quia „corpus" ex animali sequitur. *Planta* est repugnans lapidi. Si vero duo mutuo ex se inferuntur et sunt convertibilia, ut definitum et definitio, etiam mutuo inter se antecedunt et consequuntur.

Recolendum est quaestionem propositam esse posse quadruplicem: a, e. i, o, et argumentum probans a probare etiam i, sicut argumentum probans e probare etiam o; nam generalis propositio particularem includit.

359. Atque his dictis artificium logicum inquirendi argumenti sive inveniendi medii explicandum est, quod his regulis continetur[1]:

Regula prima: Ut probetur a, sumatur medium consequens subiecti et antecedens praedicati, velut: *Animal est substantia. Homo est animal. Ergo homo est substantia.* (Barbara.)

Regula secunda: Ut probetur i in tertia figura (nam ut probetur in Darii, utendum est artificio regulae primae), sumatur medium antecedens respectu praedicati et subiecti, velut: *Homo est intellectualis. Homo est animal. Ergo aliquod animal est intellectuale.* (Darapti.)

Regula tertia: Ut probetur e in Celarent et Cesare, sumatur medium repugnans praedicato et consequens subiecti, ut: *Nulla planta est intellectualis. Omnis arbor est planta. Ergo nulla arbor est intellectualis.* (Celarent.) Vel: *Nulla planta est intellectualis. Omnis homo est intellectualis. Ergo nullus homo est planta.* (Cesare.)

Regula quarta: Ut probetur e in Celantes et Camestres, sumatur medium repugnans subiecto et consequens praedicati, velut: *Nullum ens intellectuale est arbor. Omnis homo est intellectualis. Ergo nulla arbor est homo.* (Celantes.) Vel: *Omnis homo est*

[1] Apud veteres hae regulae versibus exhibebantur:

Fecana, Categi, Dafenes, Hebare, Gedaco,
Gebali stant; sed non stant febas hedas et hecas,

qui longiorem explicationem desiderant: sunt quidem admodum ingeniose et subtiliter constructi, non tamen vulgo hominum utiles.

intellectualis. Nulla arbor est intellectualis. Ergo nulla arbor est homo. (Camestres.)

Regula quinta: Ut probetur o in tertia figura et in Fapesmo (nam in Ferio, Frisesom, Festino observanda est regula tertia, in Baroco regula quarta), sumatur medium antecedens subiecti et repugnans praedicato, velut: *Nulla arbor est homo. Omnis arbor est vivens. Ergo quoddam vivens non est homo.* (Felapton.) Vel: *Omnis homo est bipes. Nulla avis est homo. Ergo quoddam bipes non est avis.* (Fapesmo.)

Regula sexta: Ut probetur i indirecte, sumatur medium antecedens subiecti et consequens praedicati, velut: *Omne sensitivum est vivens. Omnis homo est sensitivus. Ergo aliquod vivens est homo*[1]. (Baralip.)

Hae igitur sex sunt, quae „stant" sive consistunt firmiter.

360. Praeterea autem non sunt media, quae ad ullam illationem legitimam adhiberi possint. Ita medium consequens ad utrumque extremum est inutile; nam etiamsi duo in aliquo tertio, quod de utroque possit praedicari, conveniunt, non tamen sequitur, illa duo etiam inter se convenire. Secus syllogismus ex puris affirmativis in secunda figura esset rectus, ut: *Homo est substantia. Lapis est substantia. Ergo homo est lapis.* Medium repugnans utrique extremo ineptum esse patet; possunt enim duo repugnare tertio et convenire inter se. Alias concludi posset: *Homo est lapis. Animal non est lapis. Ergo homo non est animal.* Neque medium antecedens praedicati et repugnans subiecto conclusionis inservire potest ad concludendum negative. Cum enim praedicatum sit universalius illo medio, fieri potest, ut ipsum subiecto conveniat, licet medium minus universale eidem non competat. Hinc non licet concludere: *Omne vivens est substantia. Nullus lapis est vivens. Ergo nullus lapis est substantia.*

Ut dicamus breviter: ad conclusiones universales affirmativas quaerendus est terminus, de quo praedicatum conclusionis universaliter praedicari et qui ipse de subiecto conclusionis praedicari possit; ad conclusiones universales negativas inveniendus est terminus medius, qui, licet conveniat alteri extremo, repugnet alteri.

Ut denique tale medium ad finem propositum aptum reperiamus, consideremus oportet genus, differentias, species, proprietates, accidentia, effectus et maxime causas tum praedicati tum subiecti, de quo agitur. Recogitanda sunt quoque, quaenam consequantur inconvenientia, nociva, absurda, si praedicatum non tribuendum sit vel tribuendum sit subiecto. Haec pervolventi sponte varia media alia aliis aptiora se offerent, ex quibus utiliora eligat.

[1] Hae sex regulae explicantur extensius in Opusc. 46 (ed. Rom. 50) inter Opuscula *S. Thomae*. Videsis praeterea *Sylr. Maurus*, Comment. in Arist. anal. prior. sect. 2 (ed. *Ehrle*); *Toletus*, Introd. in dial. Arist. 4, 12.

361. Organa inventionis sunt principia quaedam generalia, quibus loci proprii uniuscuiusque quaestionis dialecticae facilius inveniuntur. Inventio medii si de argumentatione probabili agitur, est excogitatio rerum verarum vel verisimilium, quae causam probabilem reddunt. Ut autem inveniantur loci, in quibus hae res sedeant, instrumenta dialectica sive organa inventionis inserviunt. Quae generatim quattuor enumerari solent: delectus propositionum, distinctio ambiguorum, inventio differentiarum, scientia similitudinum.

Ac primo *delectum propositionum* quod attinet, in manifestis est disputantem, cui magna copia propositionum in promptu est, nullo negotio ratiocinationes ad omnis generis quaestiones solvendas instituere posse. *Distinctio ambiguorum* (sive homonymorum) adhibetur, cum velut *acutum* distinguo sonum, saporem, pondus, eique oppono aut *grave* aut *obtusum* aut *leve*. *Inventio differentiarum* locum habet, velut cum attendo *sensum* a scientia eo differe, quod qui scientiam amiserit, eam recuperare possit: qui autem amiserit sensum, hunc recuperare non possit. *Scientia* denique *similitudinum* intervenit, cum dico *salubre* ad sanitatem similiter se habere atque id, quod firmam valetudinem habeat, ad ipsam valetudinem.

362. Loci ab Aristotele indicati. Locus sive sedes argumenti a Boethio dicitur esse id, unde ad propositam quaestionem conveniens trahitur argumentum. Et est propositio maxime generalis *(maxima)*, quae solutioni quaestionum dialecticarum inservire potest.

Aristoteles autem numerum locorum primo ex quaestionibus traxit, quae circa logicam praedicati ad subiectum habitudinem institui possunt. Atque ita quattuor tantum locos indicat: accidentis, generis, proprii, definitionis. *Accidens* hic omne id intellegitur, quod solum inest, neque tamen praedicatur in quid neque conversim. *Genus* est, quod praedicatur etiam in quid. *Proprium* est, quod praedicatur conversim. *Definitio* est id, quod praedicatur in quid et conversim.

Fatetur tamen Stagirita se non omnino, sed propemodum satis *(σχεδὸν ἱκανῶς)* ex his locis traxisse maximas. Quarum tamen numerum ingentem ab Aristotele indicatas habemus; quas enumerare singulas nobis non est propositum, sed ipsi Stagiritae libri sunt adeundi. Nos ponemus paucissimas speciminis gratia.

Quamvis primo loco positus sit locus accidentis, cum tamen de eo fusius dicendum sit, ne repetitio occurrat, cum in locum quartum reponimus et dicimus:

363. 1. De locis *a genere* ductis. Cum de genere agitur, quaeruntur argumenta, quibus ostendatur aliquid essentiam alicuius

rei incohare. Quae argumenta peti possunt tum ab internis elementis, quae genus constituunt, tum ab externa habitudine ad aliud.

Inter maximas autem huius loci hae sunt praecipuae:

Id quod non competit speciebus omnibus, harum genus revera non est.
Id quod non dicitur de inferioribus secundum essentiam (vel non univoce), horum genus non est.
Illud quod est contrarium speciei, contrarium quoque est generi.

364. 2. De locis *de proprio* recordandum est, proprium esse id, quod cum per se ad essentiam rei non pertineat, ex essentia tamen emanat, et de ea conversim dicitur.

Illud potissimum ad proprium requiritur, ut soli rei conveniat nec commune sit pluribus. Distinguunt proprium per se sive absolute, et proprium quoad aliud sive relative. Prius illud est, quod rem ab omnibus aliis distinguit eo, quod necessario rei soli et omni conveniat. Proprium quoad aliud illud est, quod rei proprium est respectu alius rei certae. Ita si *animam* cum *corpore* comparaveris, animae proprium erit imperare, parere corporis. Proprium per se, cum ex essentia necessario fluat, essentiae semper inest. Proprium autem quoad aliud non debet semper rei inesse, sed satis est, ut aliquando insit, modo rei conveniat soli. Ita *ambulare in théatro* dici potest proprium Socratis, quando soli Socrati convenit. Sed nunc de solo proprio dicendum est, quod est per se proprium et semper.

Quaestiones autem, quae in proprio versantur, res duas spectare possunt. Quaeri enim potest primo, sitne proprium recte expositum, et deinde sitne revera id, quod expositum est, proprium illius rei et cum hac convertibile. Cum expositio proprii ad rem manifestandam dirigatur, necesse est, proprium sit notius ea re, cuius est proprium.

Ex locis autem ad haec duo quaestionum genera pertinentibus hos indicamus:

Ex notioribus et magis perspicuis recte explicatur proprium.
Proprium, in quo continetur subiectum vel subiecti pars, male ponitur.
Qui definitionem loco proprii ponit, errat.
Quod non convenit omnibus sub subiecto contentis, non est illius subiecti proprium.
Quod non reciprocatur cum subiecto, non est subiecti illius proprium.

365. 3. De locis, quae quaestionibus *de definitione* inserviunt. Definitionis triplex proprietas est. Primo enim essentiam rei continet, atque ita consideratur a metaphysico. Deinde est causa immediata et necessaria proprietatum rei, atque ita adhibetur ut terminus medius in demonstratione. Tertio specialem modum significat, quo praedicatum subiecto inest, vel potius est praedicatum quoddam, quod speciali modo ad subiectum refertur. Nunc haec

tertia proprietas consideranda est, quippe cum quaerendum sit, utrum aliquod praedicatum subiecto tamquam eius definitio inhaereat necne.

Hac de re *Albertus Magnus:* „De diffinitione docere, qualiter est tota rei essentia, relinquendum docere primo philosopho. Qualiter autem medium demonstrationis et causa passionis de subiecto, iam in doctrina *posteriorum* determinatum est. Qualiter communis praedicati est intentio, secundum quod communiter ad subiectum referri habet, per communia et probabilia habet determinari, hanc doctrinam habet facere dialecticus.“ [1]

Non omnia, in quibus definitionis mentio incidit, ad hunc locum spectant, sed ea tantum hoc loco quaerentur, quae ad veritatem et rectitudinem definitionis pertinent. Quo in genere id agitur, ut definitiones illegitimae vel falsae evertantur, definitiones rectae et verae statuantur.

Ad prioris generis locos quod attinet, monet *Aristoteles* definitionis vitia exhiberi posse, 1° ut ostendatur definitionem tribui non posse omnibus, in quibus definitum reperiatur; 2° ut ostendatur genus in definitione aut adhiberi nullum aut non rectum, aut non collocari loco primo: 3° ut ostendatur definitionem non esse rei propriam ita, ut cum ea converti possit; 4° cum idem sit, essentiam rei non explicare, atque rem non definire [2], ostendatur definitione essentiam rei definitae non explicari: vel 5° ostendatur definitionem, etsi essentiam rei explicet, non recte dici, sive propter obscuritatem sive propter abundantiam. Quoniam autem de tribus prioribus ex his quinque vitiis ante satis diximus, reliquum est, ut quartum et quintum nunc attendatur (vel potius quintum et quartum: nam quintum ponitur prius, cum facilius sit videre, rem non esse bene definitam, quam nullo modo definitam).

Ex locis a *Stagirita* enumeratis hos eligimus:

Obscuritatis vitio laborat definitio, quae non determinat suppositionem subiecti multiplicem; vel quae aliquid continet multipliciter vel metaphorice dictum.

Reicienda est definitio, quae non fiat per priora et notiora; vel quae caret propria et convenienti rei differentia.

Oppositorum sunt oppositae definitiones.

366. 4. De loco *accidentis.* Accidens, si accipiatur artius, illum locum constituit ex quattuor, quae attenduntur, cum dialectice quaeritur aliquid de alia re, utrum alicui aliquid insit ut accidens,

[1] L. 6 top. tract. 1, c. 1.

[2] Monet *Aquinas* tum rem definiri, cum concipitur forma quaedam, „quae est similitudo rei secundum totam perfectionem ipsius“ (De verit. q. 2, a. 1), sive „quando concipitur aliqua forma de ipsa re, quae per omnia ipsi rei respondet“ (ibid. ad 9).

an ut definitio vel proprium vel genus. Cum igitur quaeritur, utrum aliquid in aliquo subiecto insit necne, attendendum imprimis est ad subiectum, cuius recogitari debet definitio, genus, differentiae, species inferiores.

Unde inter alias hae praesto sunt maximae:

Quod competit speciei, competit generi saltem particulariter.
Quod convenit speciei, non propterea convenit universaliter generi.
Quod negatur de aliqua specie, negari potest particulariter de genere.
Quod negatur de specie, non propterea negatur universaliter de genere.
Quod convenit omnibus speciebus, convenit et generi.
Quod nulli speciei convenit, non convenit generi.
Quaecumque repugnant generi, repugnant speciei, sed non contra.
De quo non praedicatur genus, nulla praedicatur species.
Cui convenit genus, convenit aliqua species.
Cui non convenit genus, nulla convenit species.

367. Locus accidentis ad locum omnibus disciplinis communem dilatatur. Generatim quaeritur, an nota aliqua alicui subiecto conveniat (accidat) quocumque modo.

„Si interrogationes", inquit *Fonseca*, „nullo modo rogent, sitne aliquid definitio alicuius, aut proprium, aut genus, aut accidens, sed simpliciter quaerant, num aliquid alicui conveniat (velut: *num apes sint prudentes, num crocodili plorare possint, num zoophyta sint animalia, num angeli sint animalia rationalia:* quae interrogationes propter ipsam simplicem quaerendi formam ‚simplicis inhaerentiae' vocari solent), si hoc, inquam, pacto proponantur, quaestionibus *accidentis* adnumerandae erunt. Non qua ratione accidens a tribus ceteris praedicatorum generibus distinguitur, sed qua funditur ad omnia, quae quoquo modo alicui accidunt, i. e. conveniunt, quo pacto accidentis vocabulum saepissime accipitur. Itaque accidentis interrogatio duo genera quaestionum amplectitur, alterum accidentis proprie dicti, alterum accidentis fusissime accepti, quod genus interrogationum omnium latissime patet." [1]

368. Sed antequam ad rem veniamus, monendum est breviter, horum locorum alios *artificiosos* vocari, qui argumenta ἔντεχνα sive, ut vocat *Tullius*, insita continent, quae arte aliqua ex ipsa quaestione proposita eliciuntur; alios autem *artis expertes* nominari, qui argumenta ἄτεχνα sive, ut vocat *Tullius*, *assumpta* vel remota continent, quae non ex ipsa quaestione, sed ab auctoritate assumuntur sive divina sive humana. Et quoniam loci, qui artis sunt expertes, rem extrinsecus tantum declarant, de his breviter tantum a scholasticis dici solet, de artificiosis enucleatius.

Loci interni sive artificiosi viginti sunt, externi sive artis expertes duo. Nam argumenta aut significant id ipsum, ex quo

[1] Instit. dial. 7, 8.

sumuntur, aut ea quae aliquo modo ad id affecta sunt, sive ea quae id aliqua ratione respiciunt. 1. Quae id ipsum significant, sunt definitiones, descriptiones, notationes etymologicae. Quae autem ad id affecta sunt, aut sunt illi coniuncta aut ab eo disiuncta. 2. Coniuncta vero aut sunt conexa aut circumstantia. Conexa ea sunt, quae ad id ita affecta sunt, ut illud ex ipsis necessario pendeat, in quo genere sunt coniugata, partes, totum, causae, effectus, antecedentia et consequentia. Circumstantium nomine ea significantur, quae ita cum re sunt coniuncta, ut non necessario cum ea cohaereant; quae quidem vel praecurrentia sunt vel comitantia vel subsequentia. 3. Disiuncta vero aut consentanea sunt, inter quae reperiuntur similia, maiora, minora, aequalia sive paria; aut dissentanea, inter quae sunt dissimilia, opposita, disparata sive quovis modo repugnantia. — Artis denique expertes sunt auctoritas divina et humana. Cum de his locis alibi ex professo tractetur, hic de locis internis tantum agemus.

369. I. Loci *ipsius rei,* ex qua argumentum sumitur.

1. Locus *definitionis.* Tribus modis probari potest, aliquid alicui convenire aut non convenire: definitione subiecti, definitione praedicati, definitione utriusque.

Huius loci maximae:

Quidquid convenit definitioni, convenit definito.
Quidquid non convenit definitioni, non convenit definito.
Cui tribuitur definitio, tribuitur definitum.
Cui non tribuitur definitio, non tribuitur definitum.

2. Locus *descriptionis* (definitionis imperfectae) et 3. locus *notationis* (etymologiae vel vocis interpretationis) easdem habet maximas; usus tamen horum locorum minus certus.

370. II. Loci eorum, quae rei *coniuncta* sunt.

4. Locus *coniugatorum* est, qui ea argumenta continet, quae ex vocis et significationis communione fiunt, v. g. sapiens, sapienter, sapientia, sapere.

Maximae:

Cum quo cohaeret unum coniugatorum, cohaerent et reliqua.
Cum quo non cohaeret unum, nec reliqua.

E. g. Homo sum, nihil humani a me alienum puto. At ambigue: Cum homines simus, humana tantum curare debemus.

5. et 6. Locus *partium* et locus *totius.*

At totum reale eiusque partes pertinent maximae:

Posito toto integro ponuntur omnes partes.
Sublato toto integro saltem aliqua pars tollitur.
Positis omnibus partibus (unitis) ponitur totum.
Sublata quacumque parte tollitur totum[1].

Ad totum universale (logicum) et partes (subiectas):

Posita quacumque parte ponitur totum.
Sublatis omnibus partibus tollitur totum.
Posito toto universali ponitur aliqua pars subiecta.
Sublato toto universali tolluntur omnes partes subiectae[2].

Ad totum logicum revocatur illud, quod dicitur totum in multitudine *(omne animal)*, totum in loco *(ubique)*, totum in tempore *(semper)*, totum in modo *(homo,* cuius pars est *homo sapiens)*.

371. 7. et 8. Locus *causarum* et locus *effectorum* iis argumentis inservit, quae ex quattuor causarum generibus ducuntur et earum effectis.

Sunt huius loci hae praecipue maximae:

Causa potens et effectus in potentia simul sunt aut non sunt.
Causa in actu et effectus in actu simul sunt aut non sunt.
Qualis causa, talis ut plurimum est effectus[3].
Posito effectu in potentia, ponitur causa in potentia.
Posito effectu in actu, ponitur causa in actu.

372. 9. et 10. Loci *antecedentium* et *consequentium;* qui ut intellegantur, observandum est antecedens et consequens duplici ratione dici posse, aut simpliciter sive ratione necessariae consecutionis, aut ex hypothesi sive ratione necessariae suppositionis.

Prima ratione antecedens dicitur res, ex qua necessario sequitur aliud, et consequens ea, quae ex alia recte infertur, ut *animal* ex *homine*,

---

[1] Alii paulo aliter:

Sublata una parte essentiali tollitur totum.
Positis omnibus partibus et unione ponitur totum.
Sublata una parte integrali vel subiectiva non tollitur totum.
Pars non praedicatur de toto.

[2] Alii enuntiant hoc modo:

Posito toto essentiali ponuntur omnes partes essentiales.
Sublato toto partes vel tolluntur vel dissolvuntur.
Posito toto integrali et potentiali non necessario ponuntur omnes eius partes.

[3] Alii ita enuntiant:

Posita causa in esse causae ponitur effectus.
Sublata causa tollitur effectus.
Si negatio est causa negationis, affirmatio est causa affirmationis.
Ab effectu pendente in conservari a sua causa colligitur causa.

virtus ex *iustitia*. Id autem non solum est in ordine logico, sed etiam in ordine temporis, ut *mors* ex *vulnere in corde*. Altera ratione antecedens dicitur res, quae necessario exsistere debet, si aliud exsistit, et consequens ea, quae exsistere non potest sine alia praesupposita, ut *fundamentum* antecedens *aedificii* est.

De antecedentibus et consequentibus *consecutionis* necessariae sunt maximae hae:

Posito antecedente necesse est poni consequens.
Sublato consequente necesse est, ut tollatur antecedens.

De antecedentibus et consequentibus *suppositionis* necessariae sunt maximae hae:

Sublato antecedente necesse est tolli consequens.
Posito consequente necesse est poni antecedens.

11., 12. et 13. Sequuntur loci tres, quos adiunctorum sive *circumstantiarum* appellant, qui sunt *praecurrentium, concomitantium, subsequentium*. Circumstantia ea vocantur, quia quidem cum re cohaerent, non tamen necessario. Per se igitur probabilitatem tantum gignunt.

Ita a praecurrentibus probatur, aliquem *perpetrasse homicidium*, eo quod paucis ante diebus mortem caeso minatus fuerit, quod de nocte domo exierit. A concomitantibus, quod auditus sit certus quidam clamor, pedum strepitus. A subsequentibus, quod homo ille postea latebras quaesierit, quod inventus expalluerit, interrogatus titubaverit. Quae autem horum locorum sunt maximae, in hac una intellegi possunt:

Qualia sunt circumstantia, talem verisimile est esse rem, quam circumstant.

373. III. Loci eorum, quae a re *disiuncta* sunt. Dividuntur in *consentanea* et *dissentanea*.

a) *Consentaneorum.*

14. Locus *similium*. Maximae:

Quod de uno similium valet, valet de ceteris.
Quod non valet de uno, neque de ceteris valet.

Addunt nonnulli: *Parium par est ratio.*

15., 16. et 17. Tres loci *comparatorum*, qui sunt *maiorum, minorum, parium*, vel ut rectius vocantur, loci maioris, minoris, eiusdem probabilitatis. Maximae:

Si id quod verisimilius dicitur, non est verum, vix illud verum erit, quod in se minus videtur verisimile.
Si id quod minus verisimile videtur, verum est, id quoque erit verum, quod magis verisimile videtur.

Si data res vera est aut falsa, ea etiam, quae videtur aeque probabilis, vera erit aut falsa.

Quarum prima praebet argumenta tantum negativa, secunda tantum affirmativa, tertia et negativa et affirmativa.

374. b) Loci tres *dissentaneorum.*

18. Locus *dissimilium.* Dissimilia hoc loco ea intelleguntur, quibus, qua talia sunt, neque quidpiam commune est, neque sunt complura, quae inter se proportionem habeant.

Quorum usus his maximis traditur:

Dissimilibus dissimilia conveniunt.
Quod uni dissimilium, quia dissimile est, convenit, non convenit alteri[1].

19. Locus *oppositorum.* Ea sunt opposita, quae inter se aliqua ratione excludunt, quorum quattuor esse genera diximus: relata, contraria, privativa, contradictoria.

Sunt de oppositis duae maximae generales:

De quocumque affirmatur alterutrum oppositorum, negatur alterum.
Si alterutrum ex oppositis sequitur alterutrum ex aliis, alterum sequetur alterum; si posterius non sequitur posterius, nec prius sequetur prius[2].

Relatorum hae sunt maximae:

Relata inter se ponunt tolluntque.
Relata simul cognoscuntur aut ignorantur.

Contrariorum hae sunt:

Illud non est in aliquo, quo posito sequitur, duo contradictoria simul inesse.
Illud non est in aliquo, cuius oppositum in eodem esse non potest.

De privativis autem et contradictoriis haec erit maxima:

Ex duobus privative aut contradictorie oppositis, si alterutrum non convenit, alterum conveniat necesse est.

20. Locus *disparatorum.* *Disparata* vocantur, quorum unum non potest esse alterum, quin tamen ullum oppositionis genus intercedat, velut: *lignum et lapis, anima et corpus.*

---

[1] His aliqui addunt: *Disparium dispar est ratio,* velut: *Quae poena iusta foret adversus parricidam, iusta non esset adversus quemlibet furem.*

[2] Alii has ponunt maximas:

Opposita ita inter se pugnant, ut simili modo pugnare non possint cum alio diversae naturae.
Oppositorum oppositae sunt consequentiae.
Opposita una esse non possunt.

Has potissimum maximas hic locus exhibet:

Cui convenit unum ex disparatis, eidem non conveniunt alia.
Si disparata immediate sunt in aliquo genere, cui non convenit unum, conveniet unum ex reliquis.

375. ***Scholion 1.*** Breviter notare sufficit ea, quae ad quaestiones *comparatas* pertinent, quas quidem hactenus praetermisimus. Quae enim supra sunt constituta, ad quaestionem *absolutam* spectant, non ad comparatam. Absoluta est quaestio, cum absolute quaeritur, sitne hoc illud necne. Comparata est, cum quaeritur, utrum sit hoc magis tale quam illud necne[1]; v. g.:

Quod per se est causa boni, praestantius est, quam quod per accidens.
Quod ad finem vitae spectat, maius est, quam quod ad aliquid aliud.

Scholion 2. Hi loci, ut scite post *Aristotelem* monet *Fonseca*, aut ut communes spectari possunt aut ut proprii sive ad propriam et peculiarum materiam alicuius disciplinae accommodati.

Et communes quidem sunt, cum ad certum quoddam rerum genus non adstringuntur, sed id tantum sunt, quod his vocibus significatur: *locus definitionis, locus descriptionis*. Proprii sunt, cum ad certum genus coartantur, velut cum dicitur *locus definitionis virtutis*, vel *locus definitionis naturae*, vel *locus descriptionis gentis*. Et ex communibus quidem locis non maior opportunitas nascitur ad argumentationem de moribus vel de natura vel ulla alia re. At proprii loci suis cuiusque generis propositionibus continentur. Danda igitur quam maxime opera, ut communibus propriorum peritia adiungatur[2]. Quod ut fiat, multa meditatione opus est, multo etiam maiore lectione. Adnotanda sunt, ut monet *Aristoteles*, complura pronuntiata multaeque sententiae eorum, qui clari et illustres in *quolibet rerum genere* fuerunt. Nec temere id faciendum est, sed ordine et ratione singula rerum genera lustrando. Aliis verbis: topica scientiae cuique applicanda est.

§ 3. De methodo construendi systematis scientifici.

376. **Systema scientiae quid hoc loco intellegatur.** Ad scientiam perfectam non sufficit, ut multae quaestiones sint solutae seu multae conclusiones sint demonstratae, sed requiritur, ut sint secundum rectum aliquem ordinem inter se coniunctae. Cum scientia et ex parte cognoscentis sive subiective spectari possit atque etiam ex parte rerum cognitarum sive obiective, hoc loco scientia *obiective* intellecta considerationi subicitur. Et eam quidem in-

[1] Cf. *Fonseca*, Instit. dial. 7, 37.
[2] Ibid. c. 38. De locis admonitio.

tellegimus, quae *totalis* est sive plurimarum notionum aggregatio, quae ad unam rem pertinent.

Systema *(σύστημα)* cum vi vocis prima rem quamlibet ex partibus compositam vel etiam quandam mediorum ad finem compositionem significet, ubi de systemate scientifico agitur, omnium scientiarum vel saltem unius scientiae rectam constitutionem et partium aptam in toto ordinationem indicat[1]. Et generatim is ex recto ordine in construenda aliqua scientia procedet, qui a notione vel definitione initiali illius rei, de qua a ratione institutio suscipitur, exordia petit, deinde de causis rei videt, tertio de proprietatibus et quarto tandem de speciebus. Ita ex uno tamquam semine scientia tota ut organismus unus efflorescit. Id de unaquaque scientia „totali" dicimus. Sed possunt scientiae omnes, quarum quaeque totalis vocatur respectu suarum partium, iterum inter se comparari et componi ita, ut considerentur tamquam partes unius scientiae universalis, in quo quasi speculo universus ordo entium resplendet. Sicut de systemate uniuscuiusque scientiae praecipiunt philosophi, ita etiam constituendo systemati illius scientiae universalis dant operam.

Sicut autem in organismo, ita etiam in systemate scientifico tria sunt, unde perfectio totius necessario pendet, quorum primum *unitas* est, alterum *firma partium constitutio* sive ex principiis recte positis evolutio; tertium denique *in harmonia totius situm* est. Cum autem unitas scientiae ex eius obiecto veniat, vis evolutionis ex principiis, harmonia ex recta partium in toto dispositione, de his tribus locis dicendum videtur.

377. 1. **Scientiae seu systematis unitas, quae petitur ex obiecto.** Illa est scientia una, quae in obiectis eiusdem generis versatur. Ex quo fit, ut construenti systema quoddam maximopere ad *obiecta* sit attendendum.

Nonnulli hoc loco non de scientiae *obiecto*, sed de scientiae *subiecto* dicunt. De usu vocum „subiectum" (ὑποκείμενον) et „obiectum" (ἀντικείμενον, quod *Boethius* verterat „oppositum") haec observanda sunt:

Primo igitur vox *subiectum* quattuor habet significationes:

1. Sumitur pro subiecto logico sive praedicationis, et significat id, de quo aliquid praedicatur. — 2. Pro subiecto physico sive inhaesionis, et significat id, quod accidentibus subicitur. Quae duae acceptiones passim occurrunt in libris peripateticorum. — 3. Pro quacumque realitate extra mentem exsistente, quae potest cognitioni subici; sic in schola solemus dicere subiectum scientiae ipsam realitatem, in qua

[1] Cf. *Ueberweg*, System der Logik § 138; *Trendelenburg*, Logische Untersuchungen II 443 sqq.

scientia versatur. — 4. Recentiore aetate subiectum sumi solet pro cognoscente; ex quo fit, ut condiciones omnes, quae se tenent ex parte cognoscentis, subiectivae dicantur. — Quarta haec acceptio vocis „subiectum" tertiae acceptioni est omnino contraria.

Alia autem vox *obiectum* duas habet acceptiones:

1. Significat rem ipsam cognitam, non ut exsistit in natura extra intellectum, sed quatenus habet esse ideale in mente. Aliis verbis: est ipsum verbum mentis, ut actu repraesentat rem. — 2. Significat rem ipsam, quae in natura exsistit a cognoscente independens, quae tamen per idealem repraesentationem obicitur menti. Quae acceptio communis est auctoribus scholae, eaque falso ut nova Germanis ascribitur, quasi *Kant* et *Fichte* fuerint primi huius significationis auctores. Verum est tamen, a Germanis vim harum vocum „subiectum" et „obiectum" fuisse coartatam. „Cum [apud ipsos] ‚subiectum' is dicatur", ait *Trendelenburg*, „qui cognoscit; ‚obiectum' contra res est, quatenus cogitanti quidem subicitur, suam tamen tuetur naturam a cognoscentis opinionibus liberam. Inde fit, ut ‚subiectivum' id dicatur, quod in varia cognoscentis opinione, ‚obiectivum', quod in constanti rei ipsius natura est positum.... ‚Verbum subiectivum, obiectivum' novus est vocabulorum usus ad grammaticam et subiecti vim plane accommodatus." [1]

Sed neque raro inter subiectum scientiae et obiectum scientiae ita distinguunt, ut obiectum sit conclusio tota constans ex subiecto et proprietatibus, in qua scientia versatur, subiectum scientiae sit tantum conclusionis subiectum, quod quidem proprietatibus subicitur, quae de eo in scientia demonstrantur. Hoc modo „obiectum" latius patet quam „subiectum".

Generatim quidem obiectum duplex statui potest: complexum sive „obiectum quod", et incomplexum sive „obiectum de quo". Obiectum incomplexum, quod solet intellegi, si obiecti mentio incidit, est res, circa quam disciplina versatur; quae a nonnullis etiam „subiectum considerationis" vocatur.

Quod obiectum iterum duplex esse potest: *per se* et *per accidens*. Obiectum per accidens est id, quod consideratur propter illud, ad quod aliquo quidem modo refertur, non tamen ex nexu naturali positivo. Ita *fallaciae* sunt obiecta per accidens logicae, et *vitia* ethicae.

Obiectum per se illud est, quod propter se consideratur vel saltem ex natura sua ad id pertinet, quod propter se consideratur. Ita *corpus naturale, materia, vis, quantitas, motus* sunt obiecta per se physicae, quia corpus naturale propter se a physico consideratur, materia autem, vis, quantitas, motus ex natura sua ad corpus naturale pertinent.

[1] Elementa log. Arist.[5], Ann. § 1, nota 2 ad p. 54.

Obiectum per se duplex accipi potest: *totale* et *partiale*. Obiectum *totale* illud est, quod ea omnia suo ambitu continet, quae in aliqua disciplina sunt consideranda, ut *corpus naturale* in physica. Obiectum *partiale* est pars obiecti totalis; estque aut pars praecipua et dicitur obiectum *primarium*, aut pars minus praecipua et dicitur obiectum *secundarium*.

Obiectum totale aut communitatis est aut attributionis. Obiectum *communitatis* illud est, quod in recto praedicatur de omnibus, quae in aliqua disciplina tractantur, ut *ens physicum* respectu scientiae physicae; omnia enim, quae tractantur in physica, ut in ea tractantur, entia physica dici possunt.

Obiectum *attributionis* est illud, quod de omnibus, quae in aliqua disciplina tractantur, ita praedicatur, ut de quibusdam in recto praedicetur, de quibusdam in obliquo; cuiusmodi est *corpus naturale* respectu physicae; dicitur enim *homo* esse corpus naturale, *planta* corpus naturale, *oxygenium* corpus naturale; sed *materia* dicitur corporis naturalis (supple: principium) et *quantitas* corporis naturalis (supple: accidens). Et hoc obiectum vulgo nomine obiecti intellegitur; constatque parte duplici: materiali et formali.

378. Atque obiecti quidem divisio in *materiale* et *formale* prae primis est animadvertenda. Obiectum *materiale* est id, circa quod aliqua disciplina ita versatur, ut circa idem etiam alia versari possit sub alio respectu; ita *planta* esse potest obiectum botanicae atque etiam medicae. Quod in artibus iterum duplex esse potest: *proximum*, de quo efficiendo ars regulas tradit, ut *statua* est obiectum materiale statuariae; et *remotum*, cui artis praecepta applicantur, ut sunt *lapides* respectu artis statuariae.

Obiectum *formale* est specialis ratio, sub qua obiectum materiale de se ad multa indifferens ad unum restrictum ab aliqua disciplina attingitur, et qua illa disciplina a quavis alia distinguitur.

Obiectum autem illud, quod ex obiecto materiali et obiecto formali conflatur et efficitur, vocatur obiectum adaequatum, obiectum simpliciter vel etiam *obiectum attributionis*. Unde obiectum attributionis etiam sic definiri potest, ut sit id, quod propter se in aliqua disciplina consideratur et ad quod omnia, quae in ea disciplina tractantur, referuntur.

Hoc porro obiectum attributionis vocari potest obiectum *specificum*, dum obiectum materiale *genericum* est: et obiectum formale dicitur obiectum *differentiale*. Sicut enim species genere constat et differentia, ita obiectum attributionis ex obiecto materiali et formali constituitur.

Scholion. Nonnulli obiectum formale triplex distinguunt. Obiectum formale, de quo diximus hactenus, obiectum formale *sub quo* vocant. A quo distinguunt obiectum formale *quod*, quod est praedicatum conclusionis; et obiectum formale *propter quod*, quod est medium syllogismi sive argumentum, propter quod conclusioni assensus praebetur.

Praeter obiectum incomplexum etiam *complexum* nominavimus, quae est propositio integra, quae in disciplina discursiva consideratur et quae de obiecto incomplexo edicitur. Et hoc quoque obiectum duplex distinguitur, *materiale*, quae est conclusio, et *formale propter quod*, quod *motivum* etiam appellatur, quae sunt principia vel praemissae, ex quibus conclusio deducitur.

379. Ad obiectum *adaequatum* alicuius scientiae quattuor requiruntur condiciones: unitas, commensuratio, terminatio (quam aliqui relationem vocant), distinctio.

Primo igitur obiectum adaequatum *unum* esse debet aliqua unitate vel univoca vel analoga vel saltem ordinis; nam per respectum ad obiectum scientia in sua unitate constituitur.

Secundo *commensuratum* esse debet, i. e. neque angustius neque latius patere quam ipsa disciplina; nam ab obiectis disciplinae limitantur.

Tertio ad obiectum *omnia*, quae in aliqua disciplina tractantur, *referri debent*, sive ut principia, sive ut proprietates, sive ut species.

Quarto obiectum unam disciplinam a qualibet alia *distinguere debet;* nam ex ordine ad obiecta trahuntur differentiae disciplinarum secundum illud communiter dictum: Actus et potentiae et habitus specificantur ab obiectis.

Et obiectum adaequatum ex parte *obiecti formalis* illud est, unde unitas disciplinae sive scientiae diiudicatur. Et sicut unum obiectum est, ita una est disciplina. Ita *philosophia* disciplina est generice una, quae sub se continet disciplinas complures specie distinctas.

Eae igitur solae et omnes veritates (propositionis conclusiones) in aliqua disciplina seu scientia tractandae sunt, quae ad eius obiectum vel intrinsecus pertinent vel necessariam ad illud habent relationem. Hae sunt partes quasi aedificii.

380. 2. **Principia, in quibus systematis fundamenta sunt sita.** „Progressus scientiae consistit in quodam motu rationis discurrentis ab uno in aliud. Omnis autem motus a principio quodam procedit et ad aliquid terminatur; unde oportet, quod in progressu scientiae ratio procedat ex aliquibus principiis primis.“ [1]

[1] *S. Thom.* in l. 1 anal. post. lect. 41, Ostendit qualia.

Et prima quidem principia ipsa disciplina, sive scientia de qua agitur, non probat, sed supponit. Nihilo tamen setius magna cum cura et diligentia considerandum est, ut haec principia, quae quasi fundamenta construendum aedificium totum sustinere debent, sint vera et certa omnino et firma.

Aut igitur debent esse veritates illae primae, quae nulla demonstratione indigent, aut definitiones reales, quarum veritas inspicienti innotescit statim, aut in scientia alia demonstrata esse debent (ita *ethicae* principia in metaphysica demonstrata sunt), aut ex multis habitis experientiis inducenda sunt.

Antequam igitur ex principiis scientia ipsa deducatur, ipsa principia post experientiam diligenter institutam inductione et syllogismo illo, qui a posteriori dicitur, statuenda sunt. Sicut enim cognitio principiati per principium, effectus per causam, phaenomeni per eius legem comparatur et per syllogismum a priori, ita cognitio principii per principiata, causae per effectum, legis per phaenomena efficitur per inductionem et syllogismum a posteriori.

Verum minime illa principia, quae probabilia tantum sunt, sperni vel neglegi debent. Quae est enim hominis natura, saepenumero accidit, ut conclusionibus multis, quarum unaquaeque in suis principiis probabilis tantum sit, simul sumptis *aliunde* vera certitudo accrescat, quae quidem homini summopere est necessaria, solaque in multis rebus ab homine pro imbecillitate humani ingenii acquiri potest.

Et haec principia, in quibus construendi systematis fundamenta sunt, alia formalia sunt, materialia alia. *Formalia* sunt generales illae veritates primae et ex se evidentes, quae scientiae omni lucem et firmitatem dare debent. *Materialia* autem veritates fundamentales sunt, quae singularum disciplinarum sunt propriae et ex iis conclusiones deducuntur.

Ut supra (n. 22) ostendimus, non exsistere pro homine unum principium deductivum *omnis* scientiae, ita etiam cavendum est a funesto errore eorum, qui putant necessario unum dumtaxat ponendum esse principium, in quo velut in nuce positiones omnes *alicuius* scientiae contineantur[1].

381. 3. **Ipsa systematis structura** ut recte fiat, imprimis opus est, ut non tantum ad rationes subiectivas sive ad utilitatem cognoscentis, sed potius ad rationes obiectivas sive ad veritatem rerum disponendarum attendatur. His autem praeceptis structura continetur:

Primo omnia sciendi instrumenta adhiberi debent recte, et prout natura materiae, de qua agitur, postulat. Qua de re plura

[1] Enucleatius hac de re *Sanseverino*, Log. IV 272 sqq.

non oportet dicere hoc loco; satis enim est, ut illa, quae ante (n. 132 sqq) de definitione, divisione, variis argumentandi generibus constituta sunt, hanc quoque in causam transferantur.

Secundo adhibenda est analysis et synthesis; et primo analysis.

Ut enim de uno obiecto ordinata sit cognitionum multiplicitas, ipsum obiectum in partes suas resolvendum est partesque ipsae ex ordine disquirendae sunt. Sed disiectae rei partes non sunt res ipsa; neque separatae partium cognitiones ipsam obiecti cognitionem constituunt. Necessarium est igitur, ut haec multiplex partium cognitio per partitionem secundum rei veritatem componatur in unius systematis compagem. Atque id efficitur synthesi, qua iter per analysim emensum repetitur, et partium inter se et cum toto relationes perspiciuntur eliciturque principium, quo cuncta accommodate conectantur.

Tertio partes omnes suo quaeque loco constituantur.

Quod ut recte fiat, necesse est naturae ordinem sequi: nam hac quoque in causa ars naturam imitari debet et eam claritatem simplicitatemque efficere, quae ad comprehendendum systema totum cum docenti tum discenti opportuna est.

De ordine disponendi conclusiones valent. quae dicta sunt de quaestionum selectu et ordine n. 349.

ARTICULUS II.

De methodo doctrinae.

382. Duplici via mens scientiam acquirere potest: inventione et doctrina (cf. n. 347). Inventionem, de qua articulo priore egimus, intellegimus eum modum acquirendae scientiae, quo homo usu propriae rationis sine alterius adminiculo ad aliquid noscendum pervenit, quod ante ignoravit. Et de inventione dicimus, quae est ex ingenio, non ex casu.

Est deinde eadem scientia, quam doctrinam dicunt et disciplinam. Vocatur doctrina, ut est a magistro tradita; disciplina, ut est a discipulo recepta. Neque tamen ullam scientiae ex magistro in discipulum transmissionem volumus statuere vel infusionem luminis. Sed docere nihil aliud esse dicimus, quam adminiculari exterius inventionem discipulorum propriam[1].

Cum denique via, quae ducat ad scientiam, dicatur esse duplex, haec dualitas non ex operatione petitur, quae in acquirenda scientia praecipua est; haec enim, et in inventionis et in doctrinae via, ipsa est activitas discentis propria, quae semper est causa prin-

[1] Hac de re plurima *S. Augustinus,* De magistro c. 11 12 14.

cipalis. Sed dicimus hanc activitatem aut solitariam esse posse aut subsidiis alienis adiuvari. „Principium exterius, scilicet ars, non operatur sicut principale agens, sed sicut coadiuvans agens principale, quod est principium interius.“ [1]

A solo principio interiore acquiritur scientia, cum quis principia universalia, quae naturali lumine intellectus cognoscit, applicat ad aliqua particularia, quorum experimentum et memoriam per sensus accipit. Atque hic recte putatur per inventionem propriam acquirere scientiam eorum, quae nesciebat, ex notis ad ignota procedens.

A principio autem humano exteriore acquiritur scientia, cum quis discentem iuvat a) proponendo huic facta particularia, in quibus scientia versetur; b) ostendendo viam a principiis ad conclusiones et proponendo propositiones minus universales, ad quas discipulus ex praecognitis facilius gradum facere possit; c) afferendo sensibilia exempla vel analogias sive similitudines vel opposita, quibus vis collativa intellectus addiscentis confortetur; proponendo interrogationes aptas, quibus mens discentis ad quaerendum excitetur. Quod quidem auxilium exterius homini necessarium non esset, si adeo esset perspicacis ingenii, ut ex se solus posset ex principiis elicere conclusiones; quae perspicuitas hominibus adest secundum plus et minus [2].

Doctrina tradi potest vel voce vel scripto. Non ad inventionem sed ad doctrinam et disciplinam pertinet modus acquirendi scientiam ex libris, in quibus traditur, exponitur, demonstratur.

Ad acquirendam scientiam per doctrinam requiritur discentis studium, docentis magisterium; de utroque igitur dicendum. Tum ad inventionem tum ad doctrinam multum etiam iuvare potest quaestionum et argumentorum inter complures discussio seu disputatio; de qua propterea tertia addetur paragraphus.

§ 1. Methodus tradendae aliis veritatis sive methodus docendi.

383. „Intellectualis virtus secundum plurimum et generatur et augetur ex doctrina, cuius ratio est, quia virtus intellectualis ordinatur ad cognitionem, quae quidem acquiritur a nobis magis ex doctrina quam ex inventione. Plures enim sunt, qui possunt cognoscere veritatem ab aliis addiscendo, quam a se inveniendo. Plura etiam unusquisque inveniens ab alio discet, quam per se ipsum inveniat.“ [3] Cum igitur rebus cognitis id agitur, ut inventa

[1] *S. Thom.*, S. th. 1, q. 117, a. 1.
[2] *S. Thom.* in l. 2 de anima lect. 11, ad finem.
[3] Ibid. in l. 2 ethic. lect. 1.

veritas cum aliis communicetur, iterum de re duplici praecipiendum est. Aut enim quaeritur, qua ratione generatim quis alios docere debeat, aut de una quaestione vel propositione determinata docendi ratio inquiritur.

Si modus doctrinae generatim indicandus est, is certe 1° alius esse non potest nisi modus inventionis; 2° attamen applicatus ad docendum, i. e. ad instruendum alium.

1. Quo enim alio pacto magister discipulum docere possit, nisi manifestando discipulo viam sive methodum, qua ipse verum cognoverit? „In his enim, quae fiunt a natura et arte, eodem modo operatur ars, et per eadem media, quibus et natura . . .. unde et ars dicitur imitari naturam. Similiter et contingit in scientiae acquisitione, quod eodem modo docens alium ad scientiam ignotorum deducit, sicuti aliquis inveniendo deducit se ipsum in cognitionem ignoti . . .. et secundum hoc unus alium docere dicitur, quod istum discursum rationis, quem in se facit ratione naturali, alteri exponit per signa; et sic ratio naturalis discipuli, per huiusmodi sibi proposita sicut per quaedam instrumenta, pervenit in cognitionem ignotorum. Sicut ergo medicus dicitur causare sanitatem in infirmo natura operante, ita etiam homo dicitur causare scientiam in alio operatione rationis naturalis illius, et hoc est docere." [1] Quia igitur methodus docendi se habet ad methodum inveniendi, sicut ars (quae naturam, quo facilius secundum sua principia procedat, iuvat) ad naturam solam: manifestum est docendi viam aliam non esse quam inveniendi.

2. Inventio ad propriam, doctrina ad aliam mentem instruendam dirigitur. Quare in docendo semper prae oculis habeatur necesse est status mentis eorum, quibus vel voce vel scripto doctrina tradenda est. Haec accuratius exponere scientiae speciali relinquere debes. Auditorum (vel legentium) aetas, praecognita, indoles, progressus accurate considerandae sunt.

384. Quodsi quaeratur, qua ratione una certa quaestio vel propositio cum aliis communicetur, duae hac in re docentis partes esse possunt: primo, ut rem suam tradat et confirmet, deinde vero, ut quae sunt adversaria, refutet contrariaque solvat.

Qua in re applicanda sunt omnia, quae de singulis tribus operationibus mentis per totam dialecticam, praesertim quae de definitione et divisione, de propositionum relationibus, de argumentatione atque in capite hoc quarto de variis methodis tradita sunt.

Quoniam autem qui docet tum subiectum tum praedicatum rei probandae ipse novit, iam a subiecto exordiens methodum analyticam sequi potest, aut a praedicato incipiens mentem discentis ad subiectum per methodum syntheticam reducere. Atque ita utroque modo commode ostendi potest unum de altero affirmandum vel negandum esse.

[1] *S. Thom.*, De verit. q. 11, a. 1.

In quo negotio utraque methodus commodum habet suum, quo altera caret. Methodus enim analytica eo praestat, quod eodem ordine eandem viam sequitur, quam mens in invenienda veritate est emensa. Contra methodus synthetica eo excellit, quod rem expeditius et lucidius exhibet, et facilius suadet, et memoriae magis inservit. Est enim homini magis naturale et facile, ut ex universalioribus procedat ad ea, quae sunt minus universalia. Quam ob rem factum est, ut *methodus synthetica* vocetur *methodus doctrinae* sive *scholae*. Quamvis autem ex se methodus synthetica usui scholae sit accommodatior, tamen haud raro analysis utilitati discentium inservit magis; quod tum accidit, cum errores notantur, qui in inventionis negotio sunt commissi, et generatim, cum rectae rerum definitiones in quaestione versantur et ex rebus singulis observandis explorari debent.

385. Sicut in inveniendi methodo quaerentis plurimum interesse diximus, attendere rerum similitudines dissimilitudinesque, ita in docendo usus *comparationum* et *imaginum* maximopere commendandus est.

Quarum utilitas primo in eo cernitur, quod res, quae obscurior est, conformitate et similitudine cum re nota innotescit clarius, tenetur firmius. Hoc deinde modo per cogitationes multas facilius conservatur attentionis unitas ad rem praecipuam, quae ad postremum quaeritur. Et cum tandem in hac rerum sensibilium et non-sensibilium universitate cohaereant omnia et nexu multiplici inter se sint coniuncta, et mirabili similitudine conveniant, ex adhibitis comparationibus aptis id erit consequens, ut mens discentis ad activitatem propriam, ad recogitandum res in partes omnes excitetur, atque ita imagines et similitudines cognoscendae veritati parent viam.

Sed in adhibendis comparationibus certae regulae sunt.

1. Et prima quidem est, ut imagines comparationesque ex iis trahantur rebus, quae omnibus discentibus notae sunt et omnino obviae. Ita *Aristoteles* solitus erat adhibere res hominibus illius temporis notissimas, ut ex arte fundendi aeris vel aedificandi domus et naves et ex reliquis artibus fabrilibus, ex reipublicae institutis, ex ludis et rebus civilibus et id genus aliis.

2. Cum in omni paritate aliqua occurrat disparitas, comparationes non ultra extendendae sunt, quam rei veritas permittit.

3. Numquam comparationes ponere licet loco absentium argumentorum vel ad tegendam argumentationis infirmitatem. Sed tum solum comparationem adhiberi licet, cum nihil restat, quod probatione indigeat. Et ibi tantum quis solis adhibitis comparationibus contentus esse potest, ubi certus est discentes contra ipsam rei veritatem difficultates iusto iure non moturos esse. Comparatio enim per se non habet vim demonstrativam, sed aut rem cognitam illustrat aut ad rem cognoscendam disponit animum. Unde in rebus philosophicis comparationibus ne potiores quidem partes dari licet. Ita peccant, qui, ut *hominem* ostendant

carere libertate, comparationibus quasi helluantur, voluntatem comparantes lanci, in quam imponantur pondera, vel ovi esurienti, quae trahatur ramo viridi, vel acui magneticae, quae septentrionem versus quasi sponte dirigatur, sescentis aliis rebus clarissimis, quibus mens legentis facile perturbatur, ut putet etiam defectum libertatis in homine esse rem clarissimam.

4. Numquam licet in afferendis comparationibus quantumvis bonis excedere modum; secus enim animus discentis non ad intellegendum adducitur, sed distrahitur.

Quodsi hae regulae (quarum praecipua secunda est) negleguntur, ex abusu comparationum in philosophia multo plus erroris, confusionis omnisque generis nocumenti nasci potest, quam utilitatis et fructus ex recto illarum usu exspectari.

386. Iam ad praecepta *confutandi adversarios* venimus. Qua in re imprimis maximopere est commendandum, ut ii investigentur impetanturque adversarii, qui quamvis a nobis remotiores, in magnis a veritate discedunt et propter errores suos funestissimos excitant tempestates, abstentis manibus ab illis amicis et propinquis, qui in rebus minutioribus alius sint sententiae.

Quod ideo monemus, quia, cum homo omnis a natura mira sit ad litigandum et obloquendum alacritate, periculum est, ne propter res vilissimas proximus quisque maxima cum diligentia reprehendatur, corrigatur, mordeatur, vincatur, omissis et ex pigritia neglectis illis veritatis adversariis, quos amans veritatis imprimis impugnare debet.

§ 2. De discendo seu de quibusdam in studio (praesertim philosophiae) adiumentis.

387. **Qua generatim ratione hoc studium sit instituendum.** „Omnes", inquit *Tullius*, „trahimur et ducimur ad cognitionis et scientiae cupiditatem, in qua excellere pulchrum putamus, labi autem, errare, nescire, decipi et malum et turpe ducimus. In hoc genere et naturali et honesto duo vitia vitanda sunt: unum, ne incognita pro cognitis habeamus iisque temere assentiamur. Quod vitium effugere qui volet (omnes autem velle debent), adhibebit ad considerandas res et tempus et diligentiam. Alterum est vitium, quod quidam nimis magnum studium multamque operam in res obscuras atque difficiles conferunt easdemque non necessarias. Quibus vitiis declinatis quod in rebus honestis et cognitione dignis operae curaeque ponetur, id iure laudabitur." [1]

Qui igitur ad studium (philosophiae) accedit, principio reminisci debet, nil sine magno vitam labore dare mortalibus.

[1] De offic. 1, 6.

Est enim corpus nostrum, ut hac de re monet *Storchenau*[1], natura sua iners, laboris impatiens, levique molestia frangitur. Hinc morae impatientes examen notionum et iudiciorum diligentius instituendum horremus, atque ad ea tantum animum applicamus, quae sine ingenti dedecore vel magno detrimento a nobis penitus ignorari non possunt; terremur magnis auctorum voluminibus, compendia amamus eosque praecipue libellos exquirimus, qui magnificis titulis integras difficillimasque res paucis se paginis complexuros promittunt. Accedit diversa ipsius corporis constitutio, a qua ingenium, intellectus acumen, imaginationis memoriaeque vis experientia teste pendent; inde tarditas, confusio, inconstantia aliaeque, quae sunt in hoc genere animi miseriae, quibus passim homines obnoxios videmus. Morbos quoque, nervorum fatigationem, lassitudinem capitis, languorem animi studio sapientiae plurimum obesse ignotum esse non potest. Sed quid iam tot inter obstacula ab ipsa natura posita philosopho agendum? Rectam primum sibi corporis habitudinem tum moderato cibi potusque usu, tum interposita nonnumquam animi remissione procuret. Unde serio quidem et constanter animus ad studia adiciendus est; numquam tamen ultra duas horas vel legendo vel scribendo in laborem incumbendum, quin studium aliquantulo temporis intervallo intermittatur. Sapienti igitur adhibito moderamine qui studiosus philosophiae est, paulatim continuata attentione studendi habitum acquirere conetur; sensim enim difficilis illa cum corporis pondere colluctatio mitior efficitur. „Nihil enim est tam difficile et arduum, quod non humana mens vincat, et in familiaritatem perducat assidua meditatio.“ [2]

388. Deinde vero discenti necessarium est, ut rerum discendarum rectus habeatur *delectus*.

Fugiendae igitur sunt otiosae animi circumvagationes in hac „arte longa, vita brevi“; et mens utilibus tantum rebus contemplandis applicari debet, ne de nobis dici possit illud *Senecae:* „Invenissent forsitan necessaria, nisi et supervacua quaesissent.“ [3] Unde ab omnibus philosophiae studiosis cogitanda sunt gravia illa, quae de quibusdam monet *Contzen*[4]. „Nonnulli, inquit, neglectis necessariis, quae muneris sui ratione scire tenerentur, inutilibus aut certe ad se non pertinentibus animum applicant: iis unice delectantur, quae magis curiositatem alunt, quam intellectum perficiunt vel verum emolumentum afferunt.“

Sed neque minus in rebus, quae *utiles* esse videntur, prudens delectus et ordo est adhibendus.

Nusquam est, inquit *Seneca,* qui ubique est. In peregrinatione vitam agentibus hoc evenit, ut multa hospitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat necesse est iis, qui nullius se ingenio familiariter applicant, sed omnia cursim et properantes transmittunt. Non prodest cibus nec cor-

[1] Instit. logic. parte 3, c. 7. [2] *Seneca,* De ira 2, 12.
[3] Epist. 45. [4] Praelectiones logicae, Coloniae 1785, 179.

pori accedit, qui statim sumptus emittitur. Nihil aeque sanitati impedit quam remediorum crebra mutatio. Non venit vulnus ad cicatricem, in quo medicamenta tentantur. Non convalescit planta, quae saepe transfertur. Et nihil tam utile est, quod in transitu prosit. Fastidientis stomachi est multa degustare, quae ubi varia sunt et diversa, inquinant, non alunt [1].

389. Atque etiam in illis rebus, quae ut discantur *necessariae* sunt, ne sine ordine et consilio procedatur, praecipiendum est.

Vituperandi sunt, qui omne scientiae genus simul avidissime accipiunt, cuncta uno eodemque tempore discere volunt. Quidquid in manus venit librorum, cupide percurrunt, vel indices solum et librorum praefationes inspiciunt; unde id denique consequitur, quod est in proverbio: Ex omnibus aliquid, in toto nihil. Alia sunt ingenia fervida, quae nulla methodo, nullo certo ordine studia litterarum pertractant: quae faciliora sunt, veloci pede percurrunt vel transiliunt, ad difficiliora pergentes, quae sola labore suo digna esse existimant. At hi iidem paulo post velut ad scopulum adhaerent nec progredi ultra possunt. Quare? Quia ea quae praecesserunt et nunc quasi fundamenta sequentibus subici debent, in tanta properatione animi non firmiter sunt posita, et principia, quae faciliora videbantur, accurata meditatione in mentem admissa non sunt. Ipse *Newton,* ut hoc loco memorat *Storchenau,* se hac in parte deliquisse fatetur, atque quod operam mathesi daturus Euclidem ut nimis facilem et obvium spreverit, paenitere se dicit. Sunt denique alii iique mediocris ingenii homines, qui quavis difficultate territi, nullam in ea enodanda operam collocare audent, sed potius ea praetermissa ad res alias transvolant, non sine ingenti damno; cum enim neque penetrent sequentia, auctis in dies difficultatibus atque rebus indigestis, animum tandem omnino despondent.

390. Id denique praecipiamus, quod in tota hac animi disciplina omnibus antecellit, quae dicta sunt hactenus; quod in eo cernitur, ut cum cultu virtutum intellectualium coniungatur ea, quae ad radicem pertinet sapientiae et humanitatis, cura virtutum moralium. „Impedit consilium voluptas rationi inimica, ac mentis, ut ita dicam, perstringit oculos.“ [2] Quae res cum ex se intellegatur satis, hoc loco breviter tantum memoranda erat.

Postremo autem, qui studiis philosophiae navat operam, vehementer monendus est, ut non solum strenue ipse laboret, sed praeterea precibus a Deo felicem studiorum successum petat, qua re nihil est, quod magis sit necessarium.

Et omnium certe rerum, quibus in acquirenda scientia et in vitandis erroribus iuvamur, nihil est hoc cum Deo commercio utilius, nihil melius,

[1] Ita fere *Seneca,* Epist. 2; cf. Epist. 45, c. 8.
[2] *Cic.,* De senectute 12, 42.

nihil homine, nihil philosopho dignius. Certum est enim hominem, sicut in omni vitae ordine, ita etiam in ordine intellectuali a Deo pendere. „Rationis lumen ... est nobis a Deo inditum, quasi quaedam similitudo increatae veritatis in nobis resultantis. Unde, cum omnis doctrina humana efficaciam habere non possit nisi ex virtute illius luminis, constat, quod solus Deus est, qui interius et principaliter docet, sicut natura interius etiam principaliter sanat.“ [1]

Atque his de studendi ratione universe constitutis, ad particularia descendendum est.

391. Vocabulorum usus. Ad veritatem et investigandam et cum aliis communicandam plurimum interest, ut conceptus recte vocabulis exprimantur. Curandum primo, ut nos notionem, quam voce significare volumus, apud nos accurate concipiamus et mente retineamus. In dispositione deinde sermonis videndum, ut ab obscuris abstineamus, cum clara vocabula praesto sunt.

Obscura sunt, quorum notio anceps est. Vitandae igitur voces indeterminatae (ut *ens, res*), cum aliquid determinate exprimendum est; voces genericae, cum de speciebus dicendum; voces, quae vagae sunt et diversa ratione intellegi possunt, in quo genere sunt *libertas conscientiae, tolerantia, honor, humanitas* [2]. Semper vocabula, quae adhibemus, accurata definitione declaremus, quantum necesse est. Quodsi notarum enumeratio facile fieri non possit, obscuritas tollatur adiecto notiore vocabulo synonymo; vel indicando rem auditori cognitam, qua notio de qua dicendum reperiatur; vel ponendo ante oculos exemplum.

Cavendum praeterea, ne unam eandemque vocem in uno eodemque sermonis decursu in diversam trahamus significationem.

Eiusmodi homines haud inepte *Locke* cum illo comparat, qui, dum componit aliquos computos mathematicos, eodem charactere „octavo“ modo septem modo novem significari vellet, prout sibi commodius videretur. Quodsi necessitas ad mutandam vocis potestatem cogat, auditor vel lector paucis monendus est.

Vitentur vocabula barbara, peregrina, inusitata; neve termini, quibus certa vis iam adiuncta est, adhibeantur in nova significatione insolita vel ad privatum arbitrium instituta.

Neque sine ratione introducantur termini novi. Utamur vocabulis usitatis receptaque eorum significatione. Quis enim te intellegit, cum tu animal, quod vulgo *equum* vocant, *canis* nomine significes, et contra?

[1] *S. Thom.*, De verit. q. 11, a. 1, versus finem.

[2] Plura de terminis quibusdam ambiguis cf. *Zimmermann* in Stimmen aus Maria-Laach 75, 133 sq; 76, 18 sq 161 sq 539 sq; 78, 361 sq; 80, 1 sq.

At quamvis nitor sermonis vocabula longo usu comprobata requirat, rerum tamen conceptuumque novitas nova saepe vocabula postulat.

Hanc propter res novas nova vocabula formandi copiam dedit ipse *Tullius,* cum scriberet: „Quibus etiam verba parienda sunt imponendaque nova novis rebus nomina; quod quidem nemo mediocriter doctus mirabitur, cogitans in omni arte, cuius usus vulgaris communisque non sit, multam novitatem nominum esse, cum constituantur earum rerum vocabula, quae in quaque arte versentur.“ [1] Atque hinc, ut scite observat *Storchenau* [2], minus recte agunt ii, qui vocabula artium sive terminos technicos, eos intellego, qui in quavis arte et disciplina civitate donati sunt, universim omnes expunctos volunt, eo quod cum debita sermonis elegantia non cohaereant. Id genus enim voces eo potissimum fine inventae sunt, ut magno compendio id apte significent, quod secus non nisi per multas ambages et longos orationis circuitus explanari posset. Quam ob rem rectissime monitum est apud *Tongiorgi* [3], non esse in praesenti censendas in philosophico sermone obsoletas eas voces, quas veterum scholasticorum subtilitas sapienter excogitaverit, nisi vel clariores fuerint suffectae vel earum inutilitas demonstrata.

Cum autem dicendi duo genera sint, quorum in altero ornatus et species est, in altero solum veritatis et disciplinae studium, ornatum illum pompamque rhetorum ducere debemus et poetarum, simplicitatem veritatis autem propriam philosophorum.

Neque solum consentaneum non est, ut sermo in philosophia tropis sit figurisve oratoriis exornatus, sed etiam obest. Est tamen ratio habenda cuiusdam in dicendo concinnitatis atque etiam elegantiae. Vitentur acyrologiae, quas vocant, barbarismi, soloecismi, reliqua quae a grammaticis notantur vitia sermonis; quae qui committit, carere videtur illa reverentia, quae auditoribus et lectoribus debetur. In hac autem dicendi accuratione, sicut in plerisque rebus, mediocritas quaedam optima est. Sit igitur stilus planus, nitidus tamen, fini semper accommodatus; caveatur nimia brevitas et importuna loquacitas; haec magno verborum strepitu animos obruit et attentionem distrahit, illa omittit multa, quae ad mentem nostram recte intellegendam auditori sunt necessaria.

392. Studium privatum recte instituendum. 1. Primo in re omni videndum est, ut recte adhibeatur *intellectus.* Quo loco primum illud, quod iam monuimus, mente retinendum est, ne quid admittatur ut cognitum, quod cognitum non est; neque ulla res subiciatur dubio, de qua dubitandum non est. Deinde obiectum, quod contemplandum suscipitur, in suas partes resolvendum esse praecipitur; atque hae partes, si necesse fuerit, iterum in partes sunt subdividendae.

[1] De fin. 3, 1. [2] Instit. log. n. 83. [3] Instit. log. n. 99.

Praeterea ita in studio etiam privato semper, cum res novas discimus, procedendum est, ut eae notitiae, quae ab aliis supponuntur, acquirantur prius, et ea quae sequuntur, semper lucem et firmitatem accipiant aliquam ab antecedentibus.

Accedit, quod philosopho in rebus omnibus magna circumspectione opus est.

Obiectum igitur, quod expendendum est, in omnes partes vertatur; exquirantur difficultates et dubitandi rationes, examinentur principia, definitiones, divisiones, argumentationes; perpendantur antecedentia, praevideantur consequentia, exploretur docentis auctoritas, nec ulla praetermittantur adiuncta: comparetur res quoque cum aliis rebus, quae iam notae sunt, ut, quid iis commune sit, quid diversum, quid cuivis proprium sit, accurate perspiciatur.

Meditationi denique coniungenda est scriptio; si videlicet res maioris momenti est vel difficilior.

„Quodsi . . . ego ipse", inquit *S. Augustinus,* „multa, quae nesciebam, scribendo didicisse me confitear." [1] Accedit, quod exercitio illo mira sensim facilitas cogitationes nostras perspicue exprimendi comparetur; haec enim non tam assiduo meditandi studio quam scribendi exercitatione perficitur.

393. 2. Alterum sit propositum, ut recte in discendis rebus adhibeatur *memoria.* Est autem in hoc genere molestum, quod et memoriae praestantia et infidelitas haud raro impedimento est, quominus discentium animi recte veritatibus philosophicis imbuantur.

Et memoria propter nimiam *praestantiam* ignorantiae occasionem praebet. Huic enim dum nimium confidunt nonnulli, interea excolere intellectum, seriae meditationi inhaerere resque ipsas perscrutari neglegunt.

Ex memoriae deinde *infidelitate* alterum obstaculum verae scientiae oritur, cum praesertim longior est ratiociniorum unde veritas deducenda est series. Si enim memoria infelicior principia vel nulla vel quae minus ad rem pertinent, menti suggerat, innumerabiles nasci errores necesse est. Nec sine fideli memoria ea in omnes partes circumspectio haberi potest, quam ad solidam veritatis acquisitionem requiri diximus. Neque tibi satis esse debet, ut veritatem semel bene animo ceperis, sed captam in memoriae thesauro retinere debes. Tantum enim scimus, quantum memoria tenemus.

Neque tamen desperandum est iis, qui a natura imbecilliorem nacti sunt memoriam; quae, ut post *Tullium* monet *Aquinas,* „non solum a

[1] De Trinit. l. 3, Prooem.

natura perficitur, sed etiam habet plurimum artis et industriae“ [1]. Ut ex compluribus, quae memoriae excolendae adiumenta praescribi solent, aliqua hoc loco indicemus [2], imprimis memoriam crebra exercitatione coli necesse est, quia, ut recte *Quintilianus,* „nihil aeque augetur cura vel neglegentia intercidit“. Diligenter igitur ea ad verbum ediscenda sunt, quae ut ad verbum sciantur sunt necessaria; in quo genere sunt definitiones longo usu receptae, deinde etiam verba multa scientiae propria, quae commode suppleri non possunt, atque textus quidam, qui a celebrioribus philosophis sumi solent. Praeterea etiam animi variis affectibus atque etiam notionum coniunctione illa, quam associationem idearum vocant, et adhibitis imaginibus memoria magnopere iuvari potest. Eorum „per quae homo proficit in bene memorando . . .. primum est, ut eorum, quae quis vult memorari, quasdam similitudines assumat convenientes, nec tamen omnino consuetas, quia ea quae sunt inconsueta, magis miramur et sic in iis animus magis et vehementius detinetur; ex quo fit, quod eorum quae in pueritia vidimus, magis memoremur. Ideo autem necessaria est huiusmodi similitudinum vel imaginum adinventio, quia intentiones simplices et spirituales facilius ex memoria elabuntur, nisi quibusdam similitudinibus corporalibus quasi alligentur, quia humana cognitio potentior est circa sensibilia; unde et memoria ponitur in parte sensitiva.“ [3] Ultima tandem iuvandae memoriae ratio in diligenti earum rerum quas didicimus *repetitione* est collocata. Nos enim eorum facilius recordari, quae clarius, distinctius, frequentius recoluerimus, id sua quisque sponte intellegit.

394. Tertius est locus cautionis, ut in *legendis libris* rectus modus servetur [4]; quo in genere ne quid peccetur, summopere cavendum est; quasi enim diluvio quodam librorum inundatus hoc tempore orbis est.

1. Vide primo etiam atque etiam, quem legas. Vide igitur, quis et qualis ille sit, cuius librum legas; vide, quam solidus, eruditus, castus, pius ipse liber sit, ne virus haurias ex splendida phiala.

2. Ne lege, ut legas fallasque tempus, sed prudentem lectioni tuae causam pone et finem.

3. In legendis libris rectum ordinem serva.

Primo fax accendenda, et deinde inspicienda sunt obscuriora; non contra. Libri deinde erroribus infecti non legendi sunt prius, quam veritate mens sit imbuta. Nam „quo semel est imbuta recens servabit odorem testa diu“ [5].

[1] S. th. 2, 2, q. 49, a. 1 ad 2.

[2] Cf. *P. Vallet,* Praelect. philos. I, Paris 1880, Logica 244.

[3] S. th. 2, 2, q. 49, a. 1 ad 2.

[4] His de rebus praeclare praeceperunt *Sigism. Storchenau* (Instit. logic.), *Ad. Contzen* (Praelect. logic.), quos in his dandis praeceptis secuti sumus, non tamen semper.

[5] *Horat.,* Epist. 1, 2, 69 sq.

4. Non tam multa legenda, sed potius multum.

5. Danda vero opera, ut legatur attente. Semper quidem, sed praecipue in legendis libris lente festinandum est.

6. Lectio, quantum fieri potest, sit continua neque longiore tempore interrupta.

Timendum enim est, ne post interruptionem nexus ille veritatum perspici iam non possit, in quo videndo praecipuus lectionis fructus cernitur. Si tamen per longius tempus animum ad res pure speculativas applicas, vehementer opportunum est, ut interdum ad manum habeas librum, qui de rebus naturalibus vel historicis agit, vel aliquando poetam oratoremve. Idque propter duas rationes. Quarum prior est in vitanda animi lassitudine; nam cum homo non sit purus spiritus, facile evenit, ut mens in abstractissimis illis regionibus multum fatigetur et propter languorem a nobili illo ad regiones altissimas volatu omnino desistere cogatur. Ut igitur violentia illa, quae cum philosophica abstractione pro „animali rationali" coniuncta est, diutius et utilius sustineri possit, huic parcendum est et quiescendum interdum in regionibus, quae naturae humanae magis conveniunt. Altera ratio ex utilitate est tracta, quae ipsi speculationi ex moderato rerum naturalium et historicarum studio nascitur.

7. Nec vero alienum est, ut rem unam, quae alicuius momenti sit, *semel atque iterum* legas.

395. Praecepta ad aliorum sententias recte interpretandas utilia. Qui alterius verba interpretari vult, is *primo* mentem auctoris quam fieri potest accuratissime, conetur assequi; easdem igitur quas auctor notiones cum vocabulis coniungere debet.

Qua in re ad tria potissimum advertemus animum: *primo* ad usum loquendi communiter receptum, cui auctor omnis, qui quidem ab aliis intellegi velit, sese conformat. Cum autem vocabula multa ex sese et loquendi formulae multae ex humani sermonis imperfectione diversas significationes habeant, *secundo* ad intentionem loquentis est attendendum atque videndum accurate, quam ex variis sententiis auctor suis dictis subicere voluerit. Quod quidem in rebus plurimis non intellegitur melius, quam si *tertio* ad subiectam materiam attendatur. Certe enim auctor eam vocabulorum vim intendit, quae argumento, in quo versatur, quam maxime est congruens.

Et usus quidem dicendi eius *aetatis* respiciendus est eiusque *regionis*, in qua auctor scripsit. Generatim sensus proprius potius quam metaphoricus verbis tribuatur, nisi gravis ratio a sensu proprio recedere compellat. Mens loquentis ex definitionibus elucet ab ipso statutis; hae igitur primum exquirendae sunt. Quodsi definitiones desint, ad singularia, si qua reperiantur, veniendum exempla. Cum deinde diversae in philosophia sectae, uti et artes fere omnes, quaedam vocabula sibi propria habeant, aut recepta quidem vocabula, sed nova significatione saepius usurpent, attendendum diligenter, quibus placitis auctor imbutus sit. Aliud enim

transcendentia significavit apud peripateticos, aliud apud kantianos: atque in hoc genere alia sescenta.

Subiectae materiae consideratio totiusque orationis contextus certissima ut plurimum via est, veram auctoris mentem quamque vocibus tribuerit significationem detegendi. Quem in finem conferantur antecedentia cum consequentibus, inquirantur loci paralleli, ubi auctor in eadem versatur quaestione. Hic autem diligenter ii loci secernendi sunt, in quibus auctor dedita opera et ex industria rem tractat, ab iis, in quibus obiter tantum et quasi fortuito in rei mentionem incidit: atque ex illis, non ex his vis verborum et auctoris sententia definiatur.

396. *Secunda* interpretationis regula praecipit id, quod aequitas naturalis postulat, ut auctoris famae et honori, quod eius fieri possit, interpretando consulamus eiusque sententiam sive propositionem obscuram in bonam trahere partem malimus quam damnare.

Cavendum igitur, 1. ut ne sensum viro prudenti indignum ex illius verbis exsculpamus.

2. Deinde mitiorem usque in partem verba auctoris interpretemur eumque, si fieri possit, verbis sensum tribuamus, qui veritati magis conveniat, etsi subinde a communi loquendi usu nonnihil recedendum sit. Id autem tum praecipue faciendum erit, cum nonnulla occurrunt, quae pugnare inter se videntur; tum enim componenda, quantum fieri potest, et interpretatione commoda verba auctoris inter se concilianda sunt. Cuius rei exemplum praeclarum in „Concordantiis" illis habemus, quae in appendice ad opera *S. Thomae* reperiuntur, in quibus sescenti loci ex Aquinatis operibus eo quo diximus modo inter se compositi sunt.

3. Si consectaria quaedam absurda ab alicuius auctoris sententia sponte fluant, cave, ne idcirco statim ipsi auctori tribuas ipsumque propterea impium proclames, quod a nonnullis, dum invidia et aemulatione aguntur, fieri solet. Fortasse enim auctor falsas illas res consequi ex dictis non animadvertit; fortasse optima fide sententiam suam plane securam et innocentem putavit.

4. Praeterea vir bonus et cui tum veritas tum caritas cordi est, dum aliorum sententias examinat, diligenter cavebit, ne adversarii sententiam nominibus invidiosis infamet; ne eam cum invisorum hominum placitis conferat; ne studiose occultet, ne ex parte quidem, rationes, quibus sententia adversaria niti videatur; ne sententiae propriae difficultates dissimulet; ne invidiosa et minus accurate percepta consectaria ex adversarii sententia deducat[1].

397. **Methodus servanda in iudicando alicuius philosophi systemate.** Si quis notitiam et iudicium de aliquo systemate sibi comparare velit, caveat imprimis, ne cuilibet fidat, qui historiam de rebus philosophicis composuit. Facile accidit, ut qui auctorem

[1] Extensius hac de re *Storchenau*, Instit. logic. n. 237.

laudare velit, vituperanda taceat, qui eundem vituperaturus est, silentio premat, quae laudanda sunt; vel ut unusquisque res dictas interpretetur, excerpat, componat eo modo, quo propriis placitis congruat. Quare, si fieri potest, ipsius auctoris opera adeantur; id si facere non possis, ne sequaris ducem, nisi quem veracem et rei gnarum esse scis. Neque tamen dissuadere volumus, ut quis prius sibi acquirat ex diversis diversae sententiae scriptoribus brevem et generalem totius systematis notitiam, antequam ipsius auctoris volumina adeat, in quibus systema fusius atque verbosius expositum est.

Et primo quidem ipsius systematis partes inter se comparandae sunt; distinguendum inter principia et conclusiones, inter antecedentia et consequentia. Videndum, quae auctor dixerit sibi constans et quasi cohaerens, et quae dixerit praeteriens. Inquirendum quoque, quibus principiis nitatur, quarum rerum consecutionem afferat. Introspiciendus nexus, quo cohaereant conclusiones cum praemissis. Animadvertendum, quid auctor tacitus supposuerit.

Secundo videndum est, qua ratione auctor, cuius causa agitur, se habeat ad philosophos alios, quos vel sequatur ut duces vel impugnet ut adversarios.

Tertio iudicandum est, quaenam ex systemate cum veritate sint aliqua ratione congruentia, et quaenam ut veritatis inimica sint confutanda, et quae insint in ipsius erroribus vestigia veritatis.

Et praecipue videndum est, quaenam inde per necessariam consecutionem conficiantur demum conclusiones. Ex cauda enim haud raro cognoscitur serpens, qui latet ipse. Quodsi naturam seminis cognoscere velis, videndum est, quos fructus ferat solo ingestum.

398. ***Scholion 1.*** Sunt qui omnino prohibeant, ne in iudicando alicuius auctoris systemate ulla ratio habeatur eorum, quae ipsius auctoris ut hominis propria sint, sive mores religionemve spectent, sive ad externas vitae condiciones pertineant, arbitrantes haec nullo umquam modo cum ipsa doctrina cohaerere posse. Verum his vix ullus, qui prudens sit, assentiatur. Quamquam enim non fas est arbitrari id, quod voluit *I. G. Fichte*, integram et totam uniuscuiusque hominis persuasionem hauriri ex solis moralibus animi affectionibus [1], ignorari tamen non potest magnas inter vitae mores et mentis placita coniunctiones esse, ita ut haec ab illis maximopere pendeant: et e contrario mores continenter in vita servatos esse fructum systematis philosophici.

[1] „Was für eine Philosophie man wähle, hängt sonach davon ab, was man für ein Mensch ist“ (Werke I 434).

Scholion 2. Neque abs re est dispicere, haereatne fortasse auctor systematis in certa quadam opinatione, qua vehementer delectetur, caeco quasi amore raptus. Quod si est, hanc rem ille omnibus locis inseret, omnia in huius rei favorem miro mentis acumine interpretabitur; quae huic rei adversantur, instar caeci praeteribit; atque omni qua potest opera delicias suas tuebitur atque fovebit. Neque non fieri potest, ut auctor praeiudicata opinione tractus hanc vel illam sententiam odio habeat et secundum iniquam voluntatis affectionem omnia spernat, reiciat, damnet, quae cum illa sententia cohaereant. Atque haec omnia et similia attendisse certe necessarium est ei, qui de alicuius auctoris systemate recte et secundum veritatis normam iudicare velit.

Scholion 3. Non est mirandum, si quis in perverso errantis systemate reperiat, quae apte dicta sunt, vel si quis in recto sapientis systemate reperiat, quae minus apte dicta sunt. Cavendum igitur est, ne quis caeco modo vituperet, quaecumque dixerit errans, neve laudet, quidquid dixerit sapiens.

Scholion 4. Cum audimus hominem doctrina excultum systema proferre, quod, etsi fatuitatem sapiat, tamen inter homines magnam sibi vim et auctoritatem conciliet, non satis est rem spernere neglegereque vel risui exponere, sed philosopho accurate est investigandum, quo tramite, quibus passibus vel saltibus homo ad praeruptum istum locum pervenerit.

Scholion 5. Neque facile arbitrandum est systema aliquod etsi absurdissimum, quod per longum tempus a permultis hominibus in diversis vitae condicionibus positis habitum sit ut rectum praeclarumque, non habere nisi absurda, quae aperta et quasi in superficie collocata sint. Ad hamum enim, qui nudus sit, vix ullus decurrit piscis. Itaque diligenter examinandum, quibus quis rebus praeclare dictis tamquam illecebris abusus sit.

Haec diximus brevius, quam res petebat; sed satis sunt, ut sit monitum, quam caute his in rebus agendum. Nunc de erroribus, in quos ne incidat, nihil magis studioso philosophiae cavendum est.

399. Ut caveatur ab erroribus, recte disponendus est animus. Qua de re duo intellegamus oportet: primo, qui sint errorum fontes, deinde, qua ratione vitentur.

In fontibus errorum primus locus *praeiudiciorum* est. Sunt praeiudicia anticipatae quaedam hominum opiniones, quarum motiva numquam satis exploravimus; quae quidem caeca quadam et vehementi naturae vi vel consuetudinis sustentae, si semel mentem imbuerint, non sine magna difficultate exui possunt.

Quae vanae opiniones ex multis rebus nasci possunt. Inter quas praeiudicia aetatis sive infantiae sunt praecipua; quae, dum ratiocinandi

facultas nondum exculta est, animum ingrediuntur, postea temere affirmantur, et deinde, quia semel affirmata sunt, caeco impetu defenduntur. Alia sunt praeiudicia nationis, patriae, familiae [1].

400. Alter errorum fons in *indole humani ingenii* est. Multae enim inclinationes naturae rationali ad id insitae sunt, ut intra limites a natura intentos coartatae hominem in adipiscenda veritate iuvent, quae tamen, si ultra hos limites vagentur, occasiones multorum errorum esse possunt.

Quae inclinationes cum plurimae sint, hae sunt praecipuae:

a) Propensio quaedam in rebus omnibus supponendi nexum causalem. Eam haud raro sequitur, quam logici vocant fallaciam causae non causae, velut cum quis concludit: *calamitas evenit post hoc, ergo propter hoc.*

b) Propensio a natura facultatibus cognoscitivis insita omnia putandi esse eo modo obiective realia, quo facultatem afficiant. Ex quo ille per accidens errores oriuntur, quibus fit, ut nonnumquam in rebus praeter consuetudinem accidentibus, de rerum distantia, directione, figura, coloribus, falso aestimemus; ad hunc modum homines errare solent in aestimandis multis rationibus geometricis, quas „fallacias sensuum geometricas“ vocant.

c) Propensio reducendi omnia ad unitatem et formam simplicissimam. Qui pruritus funesto pantheismi errori magnum apud incautos fulcrum praebuit.

d) Propensio distinguendi separandique.

e) Pruritus generalisationis et abstractionis.

f) Propensio omnia sibi repraesentandi per imagines extensas et aspectabiles et colore quasi depictas. Unde apud multos ingens conceptuum et phantasiarum confusio orta est. Quinimmo eo devenerunt, ut ea tantum vera esse et realia dicerent, quae hoc modo aspectabili per phantasiam repraesentari possent.

g) Propensio anthropomorphismi et personificationis. Ex quo evenit, ut interdum illa rerum cum homine similitudo, quae revera adest et saepe nobis intimam rerum naturam aperire potest, supra modum elata sit.

h) Propensio novitatis. Sunt quibus nihil sapiat, nisi quod novum sit, quasi nihil usque viderit antiquitas, omnisque veritas nobis, qui vivimus, reservata fuerit. Sunt quidem etiam, qui cum nimia veteres aestimatione prosequantur, non probent nisi antiqua, et recentiora quaeque solo novitatis titulo reiciant. Qui sane a gravissimo praeiudicio non sunt liberi. Ab utroque igitur praeiudicio, quoad eius fieri possit, liber tenendus est animus.

i) Ultimo tandem loco propensio inhaerendi *multorum* opinioni fons esse potest errorum.

[1] De quibus extensius *Storchenau*, Instit. logic. n. 231.

401. Tertius fons errorum est *pigritia et neglegentia*. Quartus errorum fons *affectibus voluntatis* aperitur isque latissimus.

Quisque enim, ut monuit *Aristoteles*, iudicat, prout afficitur. Et veritas quidem theoretica vix ullum invenit adversarium praeter ignorantiam et pigritiam. At veritas practica in tot incurrit hostes, quot sunt malae animi affectiones quotque perversam vivendi rationem amant. Qui vitiis et voluptatibus sunt dediti, omnia malunt quam in rebus ethicis et religiosis veritatem agnoscere. Neque umquam concitatus iratusque qui accedit ad iudicandum, mediocritatem illam tenebit, quae inter nimium et parum est interiecta. Sed inter has pravas animi affectiones nihil philosopho *superbia* funestius est. „Numquam uspiam sic apparuit, quantum valeat praeiudicium praesumptionis humanae vel ad non intuendam manifestissimam veritatem, vel ad affirmandam impudentissimam falsitatem." [1]

Quintus fons errorum in *defectu logicae* saepissime patet.

„Logicae enim", ut sapienter notat *Liberatore* [2], „severitate posthabita, stilo academico, saepe sub eloquentiae lenociniis, turpissima sophismata propinantur. Logicae igitur sedulo vacandum: atque ea quae forte oratorio ritu disputata reperies, ad dialecticam normam erunt exigenda. Ita fortassis non pauca videbis, quae, si verborum fuco spolientur, nullam argumenti vim et ne constantem quidem sibi sententiam retinebunt. Quod praeceptum maximi momenti est hac praesertim aetate in libris recentiorum auctorum volutandis."

402. Sextus denique fons per *malum vocabulorum usum* apertus est (cf. n. 391).

Scholion 1. Ex scholasticis *Rogerius Baco* omnes praeiudicatarum opinionum fontes revocavit ad quattuor. „Quattuor sunt, inquit, maxima comprehendendae veritatis offendicula, quae omnem quemcumque sapientem impediunt, ut vix aliquem permittant ad verum titulum sapientiae pervenire, videlicet fragilis et indignae auctoritatis exemplum, consuetudinis diuturnitas, vulgi sensus imperiti et propriae ignorantiae occultatio cum ostentatione sapientiae apparentis. His omnis homo involvitur, omnis status occupatur. Nam quilibet in singulis artibus vitae et studii et omnis negotii tribus pessimis ad eandem conclusionem utitur argumentis, scilicet: hoc exemplificatum est per maiores, hoc consuetum est, hoc vulgatum est, ergo tenendum est. . . . Si vero haec tria refellantur aliquando, magnifica rationis potentia, quartum semper in promptu est et in ore cuiuslibet, ut quilibet suam ignorantiam excuset." [3]

[1] *Aug*, Contra Cresconium Donat. 4, 28, 35.

[2] Logica, Prati 1881, parte altera n. 30.

[3] Opus maius parte 1, c. 1. Addit autem: „Munimen vero ad defensionem contra haec habere non possumus, nisi mandata et consilia Dei et Scripturae sacrae et iuris canonici et sanctorum philosophorum et omnium sapientium antiquorum sequamur" (c. 5).

Scholion 2. *Baco de Verulamio,* id quod hoc loco *Liberatore* in memoriam vocat, notiones falsas *idola* nominat; earumque quattuor genera recenset: idola tribus, idola specus, idola fori, idola theatri.

Idola tribus fundata esse ait in ipsa hominum natura, sive potius ex ea occasionem sumere; atque horum septem fontes assignat.

Idola specus ea dicit, quae ex individui singulari natura et condicione proveniunt, sive in eius temperamento, sive in educatione et assuetudine fundamentum habeant.

Idola fori, quae ex societate mutua hominum ingenerantur, potissimum ortum habere ait ex verborum fallacia, saepe ex captu vulgi pendentium. Atque id dupliciter contingere: primum, cum nomina rerum, quae non sunt, adhibentur, e. g. *fortuna, casus,* hisque similia; deinde, cum nomina confusae significationis et male definita commiscentur.

Tandem *idola theatri* ea dicuntur, quae ex falsis dogmatis philosophiarum et praeposteris demonstrationum regulis emergant. Cui incommodo ut resistamus, duo proponit adiumenta: primum ut fundamento philosophiae in principiis naturae constituto, rationalium simul et empiristarum excessus caveantur; deinde ut inter pronuntiandi praefidentiam et acatalepsiam sive incomprehensibilitatem medium veluti teneatur iter [1].

403. Ad magistri alicuius auctoritatem sese contulerunt ab initio omnes, quibus ut in rebus philosophicis multum proficerent, serio erat in animo. „Absque dubio aliquis potest", ut monet *Aquinas,* „per lumen rationis sibi inditum absque exterioris doctrinae adminiculo vel magisterio devenire in cognitionem multorum ignotorum." [2] Et „quamvis modus in acquisitione scientiae per inventionem propriam sit perfectior ex parte recipientis scientiam, in quantum designatur habilior ad sciendum; tamen ex parte scientiam causantis est modus perfectior per doctrinam, quia docens, qui explicite totam scientiam novit, expeditius potest ad scientiam inducere, quam aliquis induci possit ex se ipso, per hoc, quod cognovit scientiae principia in quadam communitate" [3].

Neque ulla ratione dedecet hominem, ut alieno magisterio ad id adducatur, ut rationem propriam in iis omnibus rebus recte adhibeat, in quibus adhiberi potest et debet. Neque per alterius magisterium, ut supra est explanatum, laeditur libertas philosophandi, quam *Cicero* dixit integram iudicandi potestatem, vel *Wolff* potestatem standi suo, non aliorum iudicio, modo haec libertas ad normam veritatis intellegatur.

Concedendum est tamen, sub aliquo respectu aliquid dignitatis abesse a doctrina humana, quod reperiatur in inventione scientiae ex contemplatione creaturarum: „Sicut dignius est, doceri a Deo, quam ab homine, ita dignius est, accipere scientiam per sensibiles creaturas, quam per hominis doctrinam." [4]

[1] Novum organum l. 1, § 39 sqq.
[2] De verit. q. 11, a. 2. [3] Ibid. ad 4.
[4] *S. Thom.,* S. th. 3, q. 12, a. 3 ad 2.

Potest autem duplici modo contingere, ut quis sese subdat docentis auctoritati. Uno modo sicut pythagoraei, apud quos ita sine ulla ratione vim habuisse dicitur magistri auctoritas, ut interrogatis satis fuerit dicere: *αὐτὸς ἔφα*. Atque hoc servitutis genus, quo quis propter solam hominis caecam reverentiam ad defendenda pertinaciter illius hominis placita adstringitur, sive vera sunt sive falsa, est viro philosopho prorsus indignum[1]. Alio modo potest quis alteri sese subdere in iis, in quibus veritatem nondum exploratam habet, rationibus attendens, quibus qui docet sententiam probat, hancque admittere, aut his rationibus, quas intellexerit, permotus, aut saltem auctoritate ductus docentis, quamdiu rationes probatas non satis perspexerit.

404. Sapiens magister „non statim in principio suae doctrinae ei, qui instruitur, tradit rationes subtilium, de quibus instruere intendit, . . . sed tradit ei quaedam, quorum rationes tunc, cum primo instruitur discipulus, nescit: sciet autem postea perfectus in scientia. Et ideo dicitur, quod *oportet addiscentem credere*, et aliter ad perfectam scientiam pervenire non posset, nisi scilicet supponeret ea, quae sibi in principio traduntur, quorum rationes tunc capere non potest“[2].

Dici autem vix potest, quanta generatim sit in auctoritate amplitudo et gravitas. Si quis vim et usum auctoritatis de medio tollere vellet, is non solum philosophiam, sed disciplinas omnes liberales atque ipsam scientiam naturalem efficacia et progrediendi facultate privaret. Quid enim de societate humana eveniret, si unicuique hodie a totius generis initiis proficiscendum esset? Disciplinae naturales maximam partem experimentis nituntur. Experimenta autem omnia unus et idem homo instituere quis potest? Itaque per plurima saecula homines innumerabiles requiruntur, qui vacent observationibus et experimentis, ut ex his principia scientiae naturalis inducantur. Simili ratione aliorum fide in omni indigemus scientia.

Quibus breviter indicatis intellegitur, quanta hodie circumspectione opus sit in admittenda alicuius magistri auctoritate. Cum enim perversis magistris abundet saeculum, discentibus curandum est, ut cum magna auctoritatis reverentia integram iudi-

[1] Qua de re *S. Thomas:* „Quamvis, inquit, universaliter, ratione pertinente ad omnes homines, veritas sit praeferenda amicis, specialiter tamen hoc oportet facere philosophos, qui sunt professores sapientiae, quae est cognitio veritatis. . . . Iuxta hoc etiam est sententia Platonis, qui reprobans opinionem Socratis magistri sui dicit: Amicus quidem Socrates, sed magis amica veritas“ (In l. 1 ethic. lect. 6).

[2] *S. Thom.*, De verit. q. 14, a. 10.

candi potestatem coniungant. Et felices illi discipuli, qui magistrum nacti sunt, cuius auctoritati se tuto credere possint.

405. Quod autem de sequenda auctoritate magistri diximus, id etiam vim habet, si de colendis magnis philosophis temporis praeteriti agitur. Quae igitur homines veneratione digni per anteacta saecula in philosophia statuerunt, ea, modo sapienter agere velimus, in summo pretio habebimus, non tamen ita, ut vetera novis augere et perficere dubitemus. Hoc pacto scholasticos quos vocant *Aristotelem* secutos esse videmus non solum ut interpretes, sed ex illius fontibus iudicio proprio atque arbitrio, sane non sine aliqua cautione adhibita, hauserunt.

406. Sed iam longius provecti sumus, quam proposita ratio postulabat. Quantopere a prudenti quoque directio magistri desideraretur, dicendum erat. Ut autem haec a magistro petita moderatio illam ferat quae exspectatur utilitatem, qui discunt in audiendis lectionibus debent esse assidui. Cum intellegentia sequentium ab antecedentibus pendeat, nulla, si fieri potest, praelectio magistri neglegenda est. Incredibile est, quantum una neglecta lectio in disciplinis praesertim philosophicis, in quibus quippe omnia cohaereant, saepe afferat detrimenti. In praevidendis deinde lectionibus debent esse diligentes. Ne videlicet ea, quae in praelectionibus proponentur, nova tibi et improvisa accidant, praelegisse iuvabit, quae explicatum iri arbitraris; et si qua legenti tibi occurrerint, quae nodum difficiliorem habere videantur, ea speciatim nota, ut mentem deinde inter ipsam lectionem ad istorum explicationem sollertius advertas. Et generatim in lectionibus seposita quavis alia cogitatione omnis ingenii vis et attentio in magistrum defigenda est. Postquam autem lectiones audierint, etiam in his repetendis diligentes esse debent; in quibus repetitionibus si quid erit, de quo ipsi dubitent, magistrum adeant vel amicum. Ex lectionibus ea, quae adnotatu digna sunt, in scripta referant; et postea maiore cum ordine digesta in compendium redigant, quae in posterum conservata velint. Atque horum compendiorum, quae discentium unusquisque secundum propriam indolem ipse sibi elucubraverit, semper utilitas est maxima, dum de aliis, quae typis impressa discentibus in manus traduntur, utrum utilia sint an nociva, saepe non sine ratione dubitatum est. Neque in tota hac studendi ratione, id quod supra monitum iam habemus, nimium fidant memoriae; sed omnia penitus intellegere curent et intellecta sic examinent, ut ipsi sibi obiciant, et quae obiecerint, solvant. Quod si qua solvere non possint, ea

adnotent ad interrogandum, recogitandum opportuniore tempore, vel etiam ad disputandum.

Et ordinata quidem de rebus philosophicis disputatio semper a scholae magistris summo in pretio est habita, de qua est nobis hoc loco praecipiendum accuratius.

§ 3. De disputatione scholastica.

407. **Disputatio scholastica** est ordinata inter duos concertatio, quorum alter statutae thesis veritatem tuetur, alter impugnat. Ex parte igitur defendentis expositio apologetica est, elenctica autem ex arguentis parte.

Quantae utilitatis eius generis actio sit, si recto animo ineatur rectaque peragatur ratione, nemo est quin videat. In opinionum enim varietate haud raro accidit, ut res partim ignorentur, partim cognoscantur obscurius, neque satis attendatur res alias definiendas esse certis limitibus, alias accuratius proponendas. In recte autem instituta concertatione id certo efficietur, ut notiones, quantum necesse sit, expendantur et illustrentur; ut rationes, quibus innitimur, aut vim suam ostendant manifestius, aut si quid habeant, quod satis firmum non sit, id aperiant. Multae etiam procedente disputatione quaestiones nasci solent, quibus ingenia cognitionis et scientiae cupida ad res penitius perscrutandas vehementer excitantur. Accedit, ut et ordinate cogitare discamus disputando et iudicare maturius, et sermonem instituere ad persuadendum appositum. Cum deinde in disputationis fervore in omnem sese partem mens vertere cogatur, ut, quid commode ad singula obiecta sit respondendum, inveniat, fieri non potest, quin ea etiam occurrant, quae secus vel numquam vel nonnisi post longissimam meditationem mentem subiissent. „Nimiam tamen", ut sapienter monitum est apud *Storchenau*, „disputandi libidinem non probo: ea enim non leve est promovendae scientiae impedimentum: homines non tam doctos quam scepticos efficit: generatque pertinax quoddam contradicendi studium, quo invalescente nulla doctrina adeo absurda, adeo impia est, ut non aliquibus propugnatoribus glorietur." [1]

Quae autem modesti et verecundi sermonis praecepta sunt, eadem ad disputationem pertinebunt. „Sit ergo hic sermo", ut dicit *Tullius*, „in quo socratici maxime excellunt, lenis minimeque pervicax; insit in eo lepos. Nec vero, tamquam in possessionem suam venerit, excludat alios." [2] Quodsi utendum fortasse et vocis contentione maiore et verborum gravitate acriore, id agendum, ut ira procul absit, cum qua nihil

[1] Logica, in fine. [2] De offic. 1, 37, 134.

recte dici, nihil considerate potest. „Rectum est autem", inquit *Tullius*, „etiam in illis contentionibus, quae cum inimicissimis fiunt, etiamsi nobis indigna audiamus, tamen gravitatem retinere, iracundiam pellere. Quae enim cum aliqua perturbatione fiunt, ea nec constanter fieri possunt, neque iis qui adsunt probari. Deforme etiam est, de se ipsum praedicare, falsa praesertim, et cum irrisione audientium imitari militem gloriosum." [1]

Disputationis forma generatim potest esse multiplex. Cum enim homines cotidie colloquentes et inter se disputantes solutum omnino et liberum investigandi quaerendique modum sequantur, iam, si de re aliqua statuenda agitur diligentius, natura duce in ea fere methodo conveniunt, ut adversarium interrogationibus apte inter se excipientibus consulant, atque ita paulatim ad agnoscendam veritatem adducant. Quam disserendi rationem socraticam vocant.

Sed nobis de ea disputandi methodo agendum est, quae argumentationem omnem per integram syllogismi vel enthymematis formam continenter deducit, et ideo definiri potest: actus syllogisticus unius ad alterum ad aliquod propositum ostendendum [2].

408. *Disputatio* igitur *scholastica* est quaedam de aliqua quaestione ad illustrandam veritatem instituta concertatio inter duos, quorum alter veritatem exponat atque defendat, alter eam impugnet, servata diligenter syllogismi forma. Haec disputandi ratio scholastica dicitur, quia per multa saecula in philosophorum scholis adhibebatur atque etiam theologorum.

Et nihil hac methodo accommodatius ad disputationis finem, nihil opportunius ad colligendos disputationis fructus et ad vitia praecavenda, quae in disputationem obrepere possunt; nihil necessarium magis. Crede mihi: multi, qui et voce et scripto et editis voluminibus putant se aliquam veritatem defendisse vel aliquem adversarium confutasse, si adduci possint, ut quaecumque disputarunt, ad formam syllogisticam exigant, statim animadvertent, se eloquenter fortasse declamasse, erudite scripsisse, descripsisse eleganter, at vero simul se a scopo aberrasse, demonstrasse nihil, nihil refutasse, quinimmo ne clare percepisse quidem, quid sibi demonstrandum vel refutandum sit. Iterum crede mihi: si haec disceptandi ratio in rebus praesertim subtilioribus et implexis, vel in iis quae ignem cupiditatum humanarum excitant, universim adhiberetur, quaestiones multae, quae hinc inde acri studio agitantur, servata pace quiescerent; multae nullo negotio solverentur; multae, quae solutae putantur, insolutae atque adeo insolubiles agnoscerentur; multi errores, simul

[1] De offic. 1, 38, 137.
[2] *S. Thom.*, Opusc. 35: De fallaciis.

atque orti sunt, extabescerent: irae, animi atque spiritus pertinaciter concertantium vix locum haberent. Ita fere *Tongiorgi* [1].

Non opus esse videtur, descriptionem concertationis scholasticae copiosius explicare [2]; existimamus satius, regulas et normas bonae disputationis breviter indicare.

409. Aliquae distinguendi formulae. Cum disputantibus saepenumero accidat, ut veritatem falsitatemve alicuius propositionis debeant determinare, distinguendo vim sive sensum terminorum, qui in propositione sunt adhibiti, commode tenentur certae illae dicendi formulae, quae in rebus philosophicis a distinguentibus adhiberi solent.

Vix ulla est distinguendi ratio frequentior quam ea, qua una pars *formaliter* esse dicitur. Quae vox latissime accepta idem significat atque *proprie* vel rem consideratam in se ipsa, in propria sua natura, secundum suum conceptum, omni impropria significatione omissa: non igitur improprie, non apparenter.

Quae autem huius vocis sit specialis potestas, variis ex correlativis, quibus opponitur, intellegi debet. Cuius rei haec exempla ponimus:

Formaliter — accidentaliter. Homo formaliter sive essentialiter est animal, rationalis; accidentaliter est sanus, doctus.

Formaliter — materialiter. Ebrius si quem occidit, materialiter, non formaliter homicidium committit; deest enim libertas in ipso actu, qui igitur imputari nequit.

Formaliter — realiter (identice). Iustitia Dei et sapientia realiter sunt unum idemque, non formaliter.

Formaliter — virtualiter — eminenter. Dicitur de causis, prout continent perfectionem sui effectus. Calor formaliter est in igne, virtualiter in vino; perfectiones creaturarum eminenter sunt in Deo. „Deus totus oculus est, quia omnia videt, totus manus est, quia omnia operatur."

Formaliter — aequivalenter. Duodecim menses non formaliter, sed aequivalenter sunt unus annus.

Formaliter — efficienter (causaliter). Medicina dicitur sana non formaliter, sed efficienter.

Formaliter — dispositive. Otium non formaliter, sed dispositive est principium omnium vitiorum.

[1] Instit. philos., Log. n. 350. Idem professus *Leibniz:* „On trouvera, plus souvent, qu'on ne pense (en examinant les paralogismes des auteurs), qu'ils ont péché contre les règles de la logique, et j'ai moi-même expérimenté quelquefois, en disputant même par écrit avec de personnes de bonne foi, qu'on n'a commencé à s'entendre que lorsqu'on a argumenté en forme pour débrouiller un chaos de raisonnements" (Nouv. essais sur l'entendement humain 4. 17, ed. *Erdmann* 396).

[2] Cf. *H. Marcellius* S. J., Ars disputandi, Coloniae 1658.

Formaliter — radicaliter (fundamentaliter). Risibilitas formaliter a rationalitate distinguitur, non vero radicaliter; rationalitas enim radix et ratio est risibilitatis.

Formaliter — arguitive (illative, conexive). Ex fumo cognosco ignem non formaliter, sed arguitive seu per illationem.

Formaliter — imputative. Qui furtum imperat, ipse est fur, non formaliter, sed imputative.

Formaliter — finaliter. Beatitudo movet hominem non formaliter, sed finaliter, i. e. tamquam finis.

Formaliter — obiective. Deus est spes nostra non formaliter, sed obiective.

Formaliter — metaphorice (improprie). Homo fortis dicitur leo metaphorice, non formaliter.

Formaliter — exemplariter. Idea in mente pictoris non formaliter, sed exemplariter, i. e. tamquam exemplar solum imaginem producit.

Formaliter — denominative. Totus homo denominative est sapiens ab anima formaliter sapiente.

Formaliter — specificative. Medicus non formaliter, i. e. quia medicus est, sed specificative, quia ad speciem humanam pertinet, aegrotare, dormire dicitur.

Vix notandum est aliquas ex his distinctionibus non multum inter se differre et propterea saepius inter se commutari.

410. Ex ceteris distinctionibus frequentius occurrunt, quae sequuntur:

Absolute sive *stricte — accommodative.* Omnes omnino homines mortales sunt, i. e. absolute omnes; at neque omnes et singuli, neque omnes eadem ratione sunt peccatores, i. e. accommodative omnes.

Absolute — comparative (respective, relative). Homo mediocris fortunae absolute neque dives neque pauper est, sed comparatus cum ditissimis pauper dici potest et comparatus cum pauperrimis dives, i. e. dives comparative.

Absolute — connotative. Deus dicitur Deus absolute, sed creator connotative.

Absolute — hypothetice. Absolute valet, quod semper, ubique, omni et nulla suppositione facta valet: hypothetice, quod nonnisi posita certa condicione verum est.

Antecedenter — consequenter. Iudex antecedenter vult omnes vivere, consequenter ad crimen vult rei mortem.

Distributive — collective. Non singuli milites distributive sunt exercitus, sed omnes collective.

Entitative — conexive. Corpus entitative seu secundum suam naturam solam est incapax sentiendi, sed conexive, i. e. coniunctum cum anima, sentire potest.

Entitative — terminative. Cognitio est entitative immanens, terminative transiens actio.

Essentialiter — participative. Deus essentialiter est sapiens, creatura participative; Deus enim est summe sapiens et sapiens per essentiam.

In actu signato — in actu exercito. In actu signato verbis, in actu exercito actionibus interdum loquimur. Qui tacet, non in actu signato, sed in actu exercito consentit.

In sensu composito — in sensu diviso. In sensu diviso dormiens potest vigilare, caecus legere; at non in sensu composito.

In signo priori — in signo posteriori. In signo priori est illud, quod, etsi tempore et natura simul est cum altero, tamen ante illud secundum rectum ordinem cogitari debet: in signo posteriori, quod post alterum ponendum est. Etiam in Deo voluntas intellectum quasi supponit, sed cum intellectus divinus neque tempore neque natura voluntatem praecedat, et tamen ante voluntatem cogitari debet, dicitur intellectus divinus poni in signo priori ad voluntatem et voluntas in signo posteriori ad intellectum.

Moraliter — physice. Moraliter, non physice occidit, qui consilio, exhortatione alterum ad physicam necem impellit.

Per se — per accidens. Per se, i. e. ex natura sua, necessario homo est mortalis; per accidens vero pius, doctus est [1].

Realiter — virtualiter. Anima humana re vel realiter est una, virtute seu virtualiter est multiplex.

Simpliciter — secundum quid. Simpliciter dicitur, quod sine addita restrictione neque ulla alia re subintellecta, sub omni vel sub principali respectu tale est, quale dicitur: secundum quid, quod addita restrictione vel facta aliqua solum suppositione, sub aliquo solum respectu valet. Deus simpliciter est, creatura secundum quid. Adulescens prudens et serius dicitur non simpliciter vir, sed secundum quid. Homo paululum aegrotans est sanus simpliciter, aeger secundum quid.

Subiective — connotative. Paenitentia est subiective bonum aliquid, connotative vero aliquid malum.

---

[1] Tribus modis (ut recte est apud *S. Bonaventuram* in l. 1 sent. dist. 30, a. 1, q. 2) unum de altero „secundum accidens" dici potest; primo, ut opponitur ei, quod secundum substantiam dicitur, et significat id, quod alteri inest; deinde, ut opponitur ei, quod dicitur „per se", et illud significat, quod per aliud est; tertio, ut opponitur ei, quod necessario inest subiecto, et id indicat, quod subiecto contingenter sive non necessario inest. „Omne enim", inquit *S. Thomas*, „dicimus per accidens se habere ad aliquid, sine quo illud esse potest" (De pot. q. 7, a. 8 ad 6). Et alio loco: „Quidquid inest unicuique per se ipsum, per se dicitur de eo; quod vero non per se ipsum inest alicui, per accidens dicitur; sicut cum dico: *Hoc ambulante coruscat;* non enim propter id, quod ambulat, coruscat, sed hoc dicitur secundum accidens. Si vero, quod praedicatur, insit subiecto per se ipsum, per se inest, ut cum dicamus, quod *interfectum interiit;* manifestum est enim, quod propter id, quod illud interfectum est, interiit, et non est accidens, quod interfectus interierit" (In l. 1 anal. post. lect. 10, Ponit quartum).

Subiective — terminative. Creatio subiective, i. e. ex parte Dei est infinita, terminative, i. e. ex parte rei creatae est finita.

Subiective — obiective. Felicitas beatorum non subiective, sed obiective est infinita. Similiter peccatum obiective, non subiective est malum infinitum.

Aliae distinctiones ex se satis clare sunt, v. g.:

In sensu obvio — in sensu translato. Secundum incohationem — secundum perfectionem. Intrinsecus — extrinsecus. Implicite — explicite. Intensive — extensive. Adaequate — inadaequate. In potentia — in actu. In actu primo — in actu secundo. In fieri — in facto esse. Immediate — mediate. Directe — indirecte. Proxime — remote[1].

411. **Disputationis scholasticae forma.** Cum res agatur inter duos, quorum unus conclusionem, quae in disputatione nomen *thesis* accipit, tueatur, alter impugnet, qui tuetur nominatur *defendens*, qui impugnat vocari solet *arguens* sive *obiciens*. Et praeceptorum alia defendenti et obicienti communia sunt, alia hunc vel illum solum respiciunt.

1. *Praecepta communia* quod attinet, utrumque quaestionem propositam penitus intellexisse oportet. Quare de huius quaestionis vi et ambitu ipsis disputantibus constet: argumenta eorumque pondus et efficaciam bene perspiciant; difficultates praecipuas, quae opponi possunt, et solutiones, quae afferri debent, omni ex parte noverint.

Ad aliena a re proposita ne deducantur; digressi autem pro rei necessitate quam primum ad rem, de qua agitur, redeant. Suam uterque sententiam breviter et clare proponat, ut quivis auditor facile disputantes intellegat. Hinc etiam alter alterius verba omnino fideliter, quantum fieri poterit, repetat iisque insistat.

Modus disputandi ne langueat: ne difficultati solutae ad taedium usque inhaereant, easdem obiectiones iterum ac tertio et saepius tractantes. Neque ex altera parte rem in discrimen adductam eamque non solutam subito relinquant. Tota concertatio animi alacritatem ingeniorum acumen atque promptitudinem cum omni modestia prae se ferat: alias timendum est, ne cum fervore omnem utilitatem amittat. Uterque disputantium auditorem animo suspensum tenebit et quasi ad propria castra alliciet, si alter fortiter et acute difficultates quasi sagittas quasdam in defendentem dirigat, quas alter secura dexteritate retundat atque in obicientem ipsum retorqueat. Inerit iste vigor toti disputationi, cum omissis sententiis longioribus atque complexis, brevi et simplici ut plurimum utantur syllogismo. Enthymema et dilemma et syllogismus condicionalis rarius sunt adhibenda. Rationes et explicationes frequentius

[1] Cf. *Ios. Z. Mellinius,* Lexicon veterum theologorum, Coloniae 1855; *N. Signoriello,* Lexicon peripateticum philosophico-theologicum. Neapoli 1881.

addere vel postulare, et disputantes et auditores multum fatigare atque turbare solet; idcirco, quantum fieri poterit, ab ea interruptione abstinendum est.

412. 2. *Defendentis* est, thesim explicare atque certis argumentis defendere. Ea claritate et distinctione omnia proferat, ut ab audientibus facile intellegantur. Non enim rerum tantum, sed etiam auditorum ratio habenda est et reverentia.

Primo stans thesim probandam clara voce recitabit, deinde sedens „statum quaestionis", qui dicitur, distincte et distribute exponet, i. e. vim et ambitum rei demonstrandae circumscribet suisque quasi limitibus definiet; adversariorum opiniones proferet, et si qua alia sunt necessario monenda, breviter explicabit. Tum argumenta singula concinne atque perspicue ex ordine evolvet, quibus finitis addi solet: „Et sic videtur thesis probata".

Assurgens iam primam adversarii argumentationem excipit dicens: „Ita placuit argumentari"; deinde fideliter repetit, et in fine repetitae argumentationis dicit: „Resumo atque respondeo". Iterum sedens et argumento iterum repetito responsionem ad quodvis membrum adiungit. Atque per totam disputationem id defendenti observandum est, ut, postquam ab obiciente argumentum probatum est, ipse illud ex toto prius repetat, quo interim illius consequentiam examinare, vim penetrare, responsionem praeparare possit. Et tum demum ad singula respondeat.

Potest autem vitium argumentationis reperiri vel in termino medio vel in alterutro extremorum. Si vitium latet in medio, distinguenda est maior secundum termini medii ambiguitatem. Deinde contradistinguenda minor, ita ut negetur in minore ea pars, quae respondeat parti in maiore concessae. Tandem sub data distinctione negatur consequens et consequentia.

Si autem vitium latet in extremo maiore vel minore, distinguenda erit praemissa, in qua inest extremum ambiguum, et concessa altera et concessa consequentia pariter distinguetur consequens.

Si remanet alicuius termini ambiguitas, addetur huius termini subdistinctio.

Si quid negandum est, dici potest „nego", vel modestius „non apparet", vel „peto probationem".

Generatim defendenti, cum aliquam sumptionem distinguit, leges servandae sunt, quae hoc versiculo continentur:

Divide, defini, concede, negato, probato.

Divide videlicet vel distingue propositionis vim duplicem: defini vel explica utramque; concede propositionis partem veram; negato falsam; et probes breviter adiungens rationem, cur negaveris.

Quodsi argumentatio, ad quam respondendum est, duplici vitio infecta sit, responsio duplex dari potest hoc fere modo: Respondeo primo:

negatur maior; respondeo secundo: omissa maiore negatur (vel distinguitur) minor. Vel omnino ea pars omittatur sive transeat, quae cum thesi minus conectitur; et ea tantum negetur, quae ad argumentum praesens plus momenti habet.

Cum post datam solutionem urgetur argumentum per instantiam, propositio, quae primo enuntiatur, *subsumptum* dicitur.

Si extra formam aliquid ab arguente interrogatur (quod raro et per exceptionem fieri potest), interrogationem, antequam respondeat, fideliter repetat, incipiendo: Quaeritur.

Si denique opponens in argumentatione sua aliquid supponat ut verum, certum, admissum, quod hoc modo supponi non potest, defendentis est, indicare hoc suppositum et negare. Quidquid autem ad rem non facit, sive falsum est sive verum, „transmitti" potest, tamquam ad alium locum spectans.

413. 3. *Obicientis* sive arguentis est, eas rationes exquirere, quibus thesis proposita efficacius impugnari possit.

Perquisitis in omnem partem difficultatibus, argumentum breve et clarum ita proponat, ut eius conclusio sit thesis propositae contradictoria vel contraria. Poterit etiam, ipsa thesi praetermissa, vim alicuius argumenti impugnare. Semper tamen initio clare indicare debet, quam partem thesis vel quodnam argumentum in pugnam vocari velit. Suadendum quoque est, ne saepe versetur obiectio in syllogismis condicionalibus (stoicis), qui cum haud raro in rerum superficie haereant, pulvinar sunt pigritiae. Adhibeantur autem syllogismi simplices (aristotelici), qui cum ex rerum visceribus causam sive terminum medium trahant, ad rem penitius perspiciendam mentem adigunt et ipsam rei causam enucleatius petefaciunt.

Ad defendentis deinde responsa diligenter attendat arguens; argumenta, quibus occurri possit responsis, praevideat atque ita disponere conetur, ut defendentem, omnibus effugiis interclusis, ad solutionem claram et directam adigat. Quam ob rem omnia per syllogismos proponat et maximo caveat opere, ne formam legitimam neglegat; ne falsa, dubia, nondum probata pro certis et probatis proferat; videat etiam, ne argumentum a defendente retorqueri possit. Neque ad finem disputationis utile est, ut schedulam adhibeat: sed omnia, quantum fieri potest, sine scripto dicat ex tempore. Curet semper, ut accurate probet id, quod a defendente negatum est; et argumentum distinctione disiectum instauret. Itaque propositiones ex parte concessas, ex parte negatas aut probet ex parte negata, aut etiam qua concessas contra thesim valere ostendat. Propositionem transmissam et non negatam tamquam veram usurpare poterit et defendentem ad ulterius respondendum cogere. Si defendens negat disiunctionem, obicienti licet petere, ut membrum in disiunctione omissum significet. Negata propositione universali exigere potest instantiam, ut videlicet defendens locum indicet, in quo propositio universalis vim non habeat. Neque frustra adhibetur interdum argumentum ad hominem, quo ex principiis sive veris sive falsis a defendente admissis conclusio thesi propositae

contraria infertur. Si defendens negaverit consequentiam, obicienti ostendendum est syllogismum non laborare eo defectu rectitudinis, quem defendens allegavit, sed recte dispositum esse. Suppositum quoque, quod negatum sit, simili modo quam brevissime probandum est atque curandum, ut quantocius ad difficultatem propriam ab initio motam disputatio redeat.

Atque haec huic loco satis sint. Illud tantum monitum volumus, ad eius generis disputationes, ut cum utilitate peragantur, praeparationem diligentem et operosam adhibendam esse.

His rebus de tribus sciendi modis et de ipsa argumentatione et modo philosophandi expositis, a dialectica ad criticam veniendum est.

LIBER II.

Critica.

(Philosophia fundamentalis.)

Praenotanda.

414. I. **Criticae obiectum et partitio** (cf. n. 63 sq). Cum homines omnes natura duce persuasum habeant, nos operationibus mentis recte institutis duci ad cognitionem rerum, quae revera *sint* a mente percipiente non pendentes, nos hactenus hanc cognitionis cum rerum realitate conformitatem sumpsimus et ut rem ex se manifestam posuimus, eo contenti, ut de *rectitudine* operationum mentalium accurate praeciperemus. Conformitas autem cognitionis subiectivae cum cognita realitate obiectiva *veritas* vocatur, et quicumque studiis logicis vacat, ad id omnibus viribus contendit, ut cognoscenti sibi comparet rei cognitae *evidentiam*, qua cognitionis suae *certitudinem* habere possit.

Verum haec naturalis omnium hominum de veritate cognitionum sumptio atque persuasio cum omni tempore, tum hac nostra aetate multis modis in dubium vocata est. Et alii quidem ullam de rebus certitudinem haberi posse pertinaciter negant: alii verbo quidem certitudinem admittunt, re autem tollunt eo, quod de motivis sive rationibus certitudinis falsa praecepta dant; alii eo certam de rebus cognitionem corrumpunt, quod nullam vel falsam de ultimo certitudinis principio doctrinam statuunt. Quorum omnium commenta refutata erunt, si primo ostenderimus *certitudinem*, quam de rebus habere nobis videamur, solidam esse et optime fundatam: si deinde statuerimus, quam firma et certa praesto sint media sive *motiva*, quibus ad veram de rebus habendam certitudinem adducamur: si tandem rectam de *principio* sive motivo ultimo certitudinis doctrinam tradiderimus.

415. *Definitio et divisio.* Ex his consequens est, ut logica critica *definiatur:* scientia, quae explicans certitudinis exsistentiam, motiva, principium atque etiam actum cognitionis humanae, veram de rebus cognitionem ab hominibus acquiri posse ostendit.

Quibus verbis partes praecipuas indicavimus, in quas critica dividitur. In *prima* parte eos confutabimus, qui certitudinem esse negant; in *altera* motiva sive fontes vel media inspiciemus; in *tertia* motivum illud primum sive principium certitudinis confirmabimus, quod omnis veritatis logicae criterium esse debet; in *quarta* parte accuratius de natura veritatis et certitudinis agendum esse arbitramur, cuius possessionem per evidentiam appetimus.

Et cordato cuique constare debet rem agi hoc loco, quae maximum ad vitam humanam momentum habeat. Qua de re scite *S. Augustinus* contra academicos, qui veritatem cognosci posse negarunt: „Nisi, inquit, prius tam mihi persuasero, verum posse inveniri, quam sibi illi [academici] non posse persuaserunt, non audebo quaerere, nec habeo aliquid, quod defendam.“ [1] Cum igitur haec nunc inquisitio vel crisis rationis humanae instituitur, de *fundamentis* totius philosophiae, immo omnis scientiae cognitionisque humanae tum theoreticae tum practicae agitur. Quae res cum ab antiquis non neglecta quidem, sed disperse tamen tractata sit, nunc ex ordine et secundum artis regulas contra errores nostri temporis longe lateque vagantes componenda est. Nec immerito haec logica critica a nonnullis *philosophia fundamentalis* est appellata, quae eadem fere ratione referatur ad ceteras philosophiae partes, sicut scientia apologetica ad reliquas disciplinas theologicas.

416. II. De variis statibus mentis respectu veritatis assequendae.

1. **Ignorantia et error.** *Ignorantia* est *status mentis cognitione obiecti carentis;* sive est *absentia cognitionis in subiecto cognitionis capaci.*

Ignorantia quamvis semper non solum rationem simplicis carentiae, sed insuper cuiusdam privationis habeat, speciali tamen ratione privationem dicit, cum quis caret „scientia eorum, quae aptus natus est scire“, i. e. scientia ea, quam ut habeat, a natura destinatus est. Quocirca recte distinguunt inter ignorantiam negationis (quam simplicem nescientiam vocant), et ignorantiam privationis, quae est ignorantia proprie dicta [2].

Ignorantia aut *partialis* est aut *totalis,* prout intellectus aut quarundam tantum rerum notitia privatus est aut omnium. Et totalis esse potest aut *absolute* aut *relative,* i. e. respectu alicuius obiecti.

Error definitur: *mentis assensus, quo vel negamus conformitatem eorum, quae sunt conformia, vel affirmamus conformitatem eorum, quae sunt difformia;* vel etiam: *discrepantia positiva inter id, quod mens iudicat, et rem, de qua iudicat.*

Est igitur error actus mentis positivus, quo falsa pro veris approbantur. Et requiritur discrepantia positiva, quae in eo est, ut mens

[1] Contra academicos 2, 9. [2] *S. Thom.,* S. th. 1, 2, q. 76, a. 2.

dicat rem intellectam aliter esse, quam revera est. Nec satis est negativa, quae in eo est, ut cognitio non exhibeat omnia, quae in obiecto insunt.

Error etsi ab ignorantia omnino distinguitur, tamen ignorantiam aliquam semper supponit. Non enim decipiuntur umquam homines nisi circa ea, quae ignorant. *S. Augustinus:* „Quisquis, inquit, ullam rem aliter, quam ea res est, intellegit, fallitur; et omnis, qui fallitur, id, in quo fallitur, non intellegit. Quisquis igitur ullam rem aliter, quam est, intellegit, non eam intellegit.“ [1]

417. 2. **Dubium sive dubitatio; suspicio.** *Dubitatio* est *status mentis, in quo, obiecto proposito, in neutram contradictionis partem adducimur, propter erroris formidinem;* vel brevius: *suspensio iudicii inter utramque contradictionis partem, quae fit propter erroris formidinem.* Distinguunt dubium negativum et positivum. *Negativum* est, cum mens ideo anceps haeret, quia ex neutra parte rationes notatu dignae occurrunt, quibus intellectus ad assentiendum trahatur. Quod dubium ab ignorantia vix differt. Dubium est *positivum,* si ex utraque parte menti rationes apparent, quae intellectum ad partem suam inclinant.

Nemo autem arbitrari debet, hanc dubitantis animi suspensionem semper philosopho indignam esse. „Melius est enim“, ut monet *S. Augustinus,* „dubitare de occultis, quam litigare de incertis.“ [2] Nec obstat quidquam, ne cum dubitatione componatur iudicium omnino certum, tum de ipsa re, quam incertam vel dubiam esse certo affirmetur, tum de ipso statu mentis, quam in dubitatione versari clare perspiciatur. Immo si dubitatio *positiva* et *deliberata* est, semper in mente dubitantis iudicium aliquod certum supponitur, sive expressum sive implicitum. Antequam enim quis prudenter actum a iudicio abstinendi ponat, determinare debet, rationes ad assentiendum sufficientes non adesse.

Suspicio est quaedam ad iudicandum propensio consequens motivorum apprehensionem et aliquam attentionem ad illa.

Itaque suspicio non iudicium est, sed sola ad iudicandum inclinatio, quae excitari potest, vel quia motivum aliquam suadendi vim habet, vel quia voluntas ad imperandum iudicium ex aliqua affectione prona est.

Suspicio inter dubium et opinionem, de qua mox dicturi sumus, quasi media est. „Quidam actus intellectus habent cogitationem informem, absque firma assensione: sive in neutram partem declinent, sicut accidit *dubitanti;* sive in unam partem declinent, sed tententur aliquo signo levi, sicut accidit *suspicanti;* sive uni parti adhaereant, tamen cum formidine alterius, sicut accidit *opinanti.*“ [3]

---

[1] 83 Quaest. q. 32. Cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 17, a. 3 ad 1.

[2] De Genesi ad litt. 8, 5.

[3] *S. Thom.,* S. th. 2, 2, q. 2, a. 1; cf. De verit. q. 14, a. 1.

418. 3. **Opinio et probabilitas.** Dum suspicio est mera ad iudicandum inclinatio, opinio iam est iudicium et definitur: *assensus mentis ad alteram contradictionis partem cum formidine tamen de alterius veritate;* vel brevius: *actus intellectus, qui fertur in unam partem cum formidine alterius*[1]. „Opinio enim est de uno ad duo: est enim de principiis ad conclusionem cum formidine alterius: et sic sunt ibi tria, principium et duae conclusiones, una conclusa, et alia formidata.“ [2]

Si quaeras, qua ratione eiusmodi assensus oriri possit, recordandum est haud raro versari hominem in iis condicionibus, ut propter debilitatem facultatis certo videre non possit, quid veritatis in rebus insit, et tamen ob rationes practicas ipsius intersit, ut sibi de re iudicium efformet. Et iam non fieri non poterit, ut mens a voluntate ad unam partem potius quam ad alteram inclinetur et imperante voluntate assensum praebeat. „Alio modo intellectus assentit alicui, non quia sufficienter moveatur ab obiecto proprio, sed per quandam electionem voluntarie declinans in unam partem magis quam in aliam: et siquidem hoc fit cum dubitatione et formidine alterius partis, erit *opinio*.“ [3] Cum enim alteri etiam parti probabilitas aliqua insit, voluntas, quominus intellectus id percipiat, impedire semper non potest. Et iam mens ad uni parti adhaerendum inclinata, formidinem de alterius veritate omnino abicere non potest. Quapropter „opinio non habet firmum assensum; est enim quiddam debile et infirmum . . ., unde non videtur procedere ex perfecta voluntate“ [4].

Itaque opinionem tribus elementis constitui recte observatum est, voluntatis uno, duobus intellectus. Ex his alter formidinis, ne opposita pars vera esse possit, alter in alteram partem assensionis est. Actus autem voluntatis in illa electione imperfecta cernitur, qua intellectus ad assentiendum inclinatur.

419. Illud tantum haberi potest *vere probabile*, quod ratione gravi suadetur, i. e. ratione, quae etiamsi periculum errandi non omnino excludat, nihilo tamen setius in se vim habet, quae ad rem confirmandam valeat et rationes oppositas satis solvat.

Opinio, quae gravi nititur motivo, et cui mens ea tantum firmitate adhaeret, quae respondet gravitati rationum suadentium, *prudens* haberi solet. Quodsi una alterave re peccat, *imprudens* vocatur. Itaque et ex defectu motivi sufficientis et ex immoderato assensu opinio imprudens esse potest.

[1] *S. Thom.*, S. th. 1, q. 79, a. 9 ad 4.
[2] *S. Thom.* in l. 1 de anima lect. 4, Ponit tertium.
[3] *S. Thom.*, S. th. 2, 2, q. 1, a. 4. [4] Ibid. q. 2, a. 9 ad 2.

420. 4. **Certitudo.** „Certitudo nihil aliud est quam determinatio intellectus ad unum.“ [1] Et certitudinis status ille est, in quo mens obiecto firmiter adhaeret sine ulla dubitatione vel oppositi formidine. Definiri autem solet: *status mentis, rei cognitae firmiter adhaerentis ex motivis, quae omnem errandi formidinem excludunt.*

Sed firmitas illa, qua mens convenientiae vel discrepantiae notarum vel generatim realitati cognitae adhaeret, id ipsum est, in quo certitudo formaliter constituta est. Quam ob rem certitudo etiam definiri potest: *„firmitas adhaesionis virtutis cognitivae in suum cognoscibile“* [2]; vel: *firmitas adhaesionis intellectualis veritati perceptae;* vel etiam: *firmitas assensus in unam contradictionis partem sine formidine errandi.* Quae firmitas cum in re sit res positiva, tamen negativum illud adiunctum habet, quod in exclusione formidinis de veritate oppositi cernitur.

Manifestum est autem hanc assensus firmitatem, in qua intellectus quietem suam reperiat, nisi ex ipsa veritatis cognitione, sive directa sive indirecta, numquam nasci posse. Nulla enim facultas quiescit nisi in bono vel fine sibi proprio. Intellectus autem propter assequendam veritatem est constitutus; ergo in sola cognita veritate quiescere potest.

421. **Certitudo naturalis et philosophica.** Certitudo ex prima obiecti perceptione oriri potest; quod si fit, omnino *directa* est. Cui, ipsa natura duce, haud raro apud homines etiam vulgares voluntaria quaedam reflexio accedit sive distinctior obiecti motivorumque consideratio. Et haec iam certitudo *reflexa* vocatur, quia attentionem aliquam ad ipsam cognitionis veritatem adiunctam habet, neque tamen limitem vulgaris sive naturalis excedit. Ab hac *reflexa vulgari* distingui solet certitudo *reflexa philosophica*, quae ex diligenter considerata vi ipsius motivorum applicationis nata, regulis artis logicae regitur, ita ut motiva, quibus certitudo omnis innititur, clare explicari et vindicari possint.

Disputatio I.

De certitudinis exsistentia.

422. Huius tractationis exordia petimus ab ipsa *certitudinis exsistentia* declaranda et vindicanda. Maximo enim opere ordini rationis convenit, ut ea tractentur prius, quae fundamenta sunt ceterorum. Veritas autem et exsistentia certitudinis fundamentum est, quo posito et confirmato iam tuto ad reliquas quae de fontibus et criteriis certitudinis agitantur quaestiones procedi

[1] *S. Thom.* in 3 dist. 23, q. 2, a. 2, sol. 3.
[2] Ibid. dist. 26, q. 2, a. 4.

potest. Neve opinetur quispiam, id silentio ab homine philosopho sumendum vel tamquam a natura iam satis firmum praetereundum esse. Certe enim philosophi est, etiam ad *certitudinem naturalem* et vulgarem, a qua quippe philosophia ipsa proficiscatur, attento animo reflectere eiusque firmitatem diligenter perspicere. Imprimis igitur de certitudinis exsistentia inquirendum est; videndum deinde, quae sit certitudinis primitivae natura.

CAPUT I.

De ipsius certitudinis negatione.

423. De ipsa certitudinis exsistentia agentes, dicemus, quid de iis opinandum sit, qui certitudinem esse negent vel dubitent, quos *scepticos* vocant sive quaesitores.

Scepticismi notio et ratio. Quicumque homo rationem adhibet, ipso facultatum cognoscitivarum usu certitudinem de multis rebus acquirit, ut patet ex experientia universali. Ante omnem enim doctorum virorum disputationem inquisitionemve, sicut sescenta alia, ita etiam *certitudinem* humanae vitae tam necessariam in tuto collocavit natura eo, quod et media illius acquirendae suppeditavit et usum mediorum expedivit et vi tanta mentem nostram veritati astrinxit, ut de plurimis rebus dubitare, quantumvis conemur, non possimus. Hanc actualem adhaesionem ad multas res ut omnino certas et veras, quae a sola natura procedit et omnem voluntatem reflexionemve philosophicam antecedit in unoquoque homine, *naturalem* et *primitivam* vocare licet. Quam actu nemo habere potest, quin ipso usu ostendat facultates cognoscitivas ex se veritatis obiectivae manifestantes esse.

Philosophi autem est, fundamenta huius quam natura duce acquisitam habemus certitudinis expendere et explicare. Qui id agunt, philosophi *dogmatici* vocantur; qui certitudinem naturalem nullis rationibus scientificis destrui posse firmiter tenent. Alii cum in certitudinis naturalis fundamenta inquirerent, certitudinem omnem prorsus negandam esse affirmarunt. Atque hi *sceptici* sunt vocati. Alii tandem certitudini naturali vim omnem et efficaciam omnino denegandam esse censuerunt, sed posse per criticam rationis purae veram et integram certitudinem effici et quasi creari. Quae philosophandi ratio *criticismus* est appellatus.

Et scepticorum nomen initio illi tantum philosophi sibi meruerunt, qui quidem veritatem comprehendi vel percipi posse affirmaverunt, negaverunt autem eam ante se ab ullo comprehensam esse: eam igitur sibi esse quaerendam. Unde σκεπτικοί vel ζητητικοί vel ἀπορητικοί nominati sunt.

Sed posteriore tempore hoc nomen ad significandos omnes translatum est, qui quocumque modo negant certo sciri quidquam vel cognosci ab ullo homine posse.

424. Scepticismi historia[1]. Inquirenda nunc huius erroris historia est, ut videamus, quas rationes sceptici ad rem suam stabiliendam protulerint. Scepticismo via parata est ab iis, qui de convenientia phaenomenorum subiectivorum cum rebus naturalibus externis moverunt dubia. Quorum primus erat *Heraclitus* Ephesius (ca 500), qui mentis aciem supra obviam sensuum experientiam elevans, omnia penitus fluere *(πάντα ῥεῖ)* et ideo res omnes fluxas esse et caducas, ideoque nullo modo experientiae sed soli rationi fidendum esse dixit. Fuit tamen a scepticismo omnino alienus. Cui successerunt sophistae duce *Protagora,* cuius fuisse traditur: *Πάντων χρημάτων μέτρον ἄνθρωπος.* Isti repraesentationes cognitione exhibitas non res obiectivas esse docuerunt, sed effectus ab homine percipiente productos. Qua doctrina amplus locus scepticismo apertus est. Et primi academici, qui vocantur, initio certo sciverunt de acquirenda certitudine desperandum esse. Posteriores autem academici et qui postea *Pyrrhone* duce exstiterunt sceptici, se id quoque nescire dixerunt. Is autem, qui accuratius rem inspicere velit, distinguet eos, qui aperte ab affirmanda certitudine abstinuerunt, et eos, quorum systemata ad scepticismum accedunt, quamvis ipsi sceptici esse nolint.

425. I. Qui scepticismum aperte professi sunt. 1. Inter hos *academici* sunt, etsi hi sceptici (vi vocis attenta) nominati non sint[2]. Et Academiam mediam intellegimus sive eam, quae duce *Arcesilao* (318 ad 245) negabat esse quidquam, quod a nobis sciri posset; et ne id quidem nos scire, nihil a nobis sciri posse. Quam rem *ἀκαταληψίαν* vocabant sive defectum cognitionis certae[3]. Opinabantur enim academici nullam esse posse ideam, quae obiectum suum tam accurate distincteque exprimeret, ut retentis suis notis effici non posset ab alio obiecto, quam cuius mens eam intellegeret esse imaginem. In eligendo bono et reiciendo malo satis esse, ut mens maiorem sequeretur probabilitatem; de cetero adhibendam esse *τὴν ἐποχήν* sive assensus cohibitionem *(στάσιν διανοίας, δι' ἣν οὔτε αἱρομέν τι οὔτε τίθεμεν).*

Paulo aliter de certitudine docuerunt, qui *Carneadem* Cyrenensem (215—130) secuti sunt. Hunc Academiam tertiam instituisse scimus, qui ideo nulla certitudinis fundamenta posse esse putavit, quod cognitio sensualis per se in ambiguo et dubio esset posita, omnis autem cognitio

[1] Cf. *Raoul Richter,* Der Skeptizismus in der Philosophie, 2 vol., Leipzig 1904 1908.

[2] Ibid. I 34 sq.

[3] Cf. *Cic.,* Acad. prior. 2, 6 et 47; Acad. post. 1, 12.

intellectualis, ut vera et certa esset, cognitionem sensualem ut firmam et certam supponeret. Multa, inquiunt, videntur esse vera, sed nulla est certitudo. Ea autem, quae videntur vera esse, revera probabilia sunt, sive ex parte sive ex toto; atque ita a sapiente approbari possunt.

426. 2. *Pyrrhonem* (ca 360—270) magistrum habent illi, qui et sunt et vocantur *sceptici*; inter cuius discipulos eminet *Timon* Phliasius (325 ad 235). Qui quidem primo tempore putarunt veritatem, cum nondum ab ullo homine inventa esset, summis viribus esse quaerendam. Postea autem apertis verbis veritatem numquam inveniri fassi sunt. Res enim, inquiunt, sciretur vel per experientiam sensuum vel per rationem. At sensu nihil sciri potest, cum sensui vis subiectiva insit et pro condicionum varietate variabilitas fere infinita. Nec ratione quidquam vere cognoscitur, cum nihil ratione percipiatur, quin tot rationibus oppugnari possit, quot defendatur. Unde omnia percipi dicunt alia et diversa pro varietate individuorum, pro varietate facultatum cognoscitivarum, pro varietate adiunctorum, situs, intervallorum, permixtionum, pro varia consuetudine, varietate victus, morum, legum, fabularum mythicarumque rerum multarum externarum. Quibus omnibus rebus effici, ut prudentis sit de nulla re affirmare vel negare quidquam: in hac animi ambiguitate fundamenta sita esse beatitudinis, quae nulla re turbari possit.

Aenesidemus Cnosius (qui Alexandriae inter annum 80 et 60 a. Chr. n. philosophiam proposuisse videtur) resuscitavit et ultra persecutus est, quae tradita erant a scepticis antiquioribus. Plurimum ad firmandum scepticismum valuit, modos et fontes dubiorum colligendo, quos alii ante passim tetigerant, et secundum hanc seriem indicando: 1° varietatem organorum sensitivorum; 2° varietatem inter homines; 3° varietatem viventium generatim; 4° adiuncta rerum apparentium et mutationem nostrarum vitae condicionum; 5° situm, intervalla, loca; 6° permixtiones et varias rerum compositiones; 7° quantitatem et constitutionem corporum, quibus in rebus apprehensiones nostrae fundamenta haberent; 8° relationes (ad quas ex *Sexti Empirici* sententia omnes scepticorum modi reducuntur[1]); 9° sensationem frequentiorem rarioremve et inde ortam conceptuum diversitatem; 10° victum, mores, leges, fabulas mythicas dogmaticasque hominum sententias. In nonnullis tamen ad refellendum penitus dogmatismum et ipse nova proposuit, quae deinde cum reliquis dubitationum argumentis a scepticis propagata sunt. *Heracliti* sententiam, ex qua omnia in perpetuo fluxu sita essent, non ut sententiam certam admisit, sed tamen ut modum loquendi et cogitandi pure subiectivum summopere laudavit[2].

Praeterea scepticis illius temporis adnumerandi sunt *Agrippa*, *Menodotus*, *Sextus*, qui a se ipso „medicus methodicus", ab aliis vocatur Em-

[1] *Sextus Empir.*, Hyp. Pyrrh. 1, 14.

[2] Videsis *Natorp*, Forschungen zur Geschichte des Erkenntnisproblems, Berlin 1884, 112 et 113; *R. Richter*, Der Skeptizismus in der Philosophie I 29 sqq.

piricus (ca 200 p. Chr.), *Saturninus*, alii. De quorum vitis parum liquet. Plurimi traduntur fuisse medici empirici; ceteros credibile est eandem professionem secutos esse. Unde haec scepticorum disciplina ab empirica medicorum secta discerni vix potest[1]. Fontes dubiorum apud hos ad quinque reducti sunt, qui sunt: 1° opinionum discrepantia; 2° necessitas regressus in infinitum; 3° varietas iudicantis ipsius; 4° dogmata ex libitu et arbitrio admissa; 5° petitio principii[2].

Aliqui ex his ab universali dubitatione affectiones subiectivas et exsistentiam propriam exemisse videntur et admisisse etiam principia rationis prima. Sed de his scepticorum opinationibus difficile est certi quidquam statuere.

427. 3. *Scepticismus posteriore aetate redivivus.* Cum saeculo decimo sexto et septimo post relictam et contemptam philosophiam antiquam ingens in rebus philosophicis turbatio orta esset, mirum non est haud paucos ad scepticismi antiqui placita rediisse. Inter hos eminent:

a) *Michael de Montaigne* (1533—1592), qui, ut erat versatus in scriptis philosophorum, cum silvam illam philosophicarum sententiarum inter se repugnantium deprehenderet, eo devenit, ut de omni certitudine humana dubitaret mentique facultatem assequendi veritatem denegaret[3]. Malum omnium maximum censet, quod putent homines non solum se habere cognitionem veritatis, verum etiam se posse umquam ad eam pervenire. Etenim cum cognitio omnis humana fiat per sensus, in his omnis nostra certitudo fundatur. Sed sensus nostri iis dotibus praediti non sunt, quae ad certam de rebus cognitionem requiruntur. Praeterea non constat non aliquos sensus homini deesse, quibus, si adessent, non veriorem tantum, sed aliam plane de rebus cognitionem acquirere possemus. Porro quisnam nos certos facere potest de conformitate idearum nostrarum cum obiectis repraesentatis, ex qua conformitate veritas resultet oportet? Num ratio? At ratio nisi intervenientibus sensibus obiectum nullo modo attingere potest! Quis igitur? — Patet nos facultate omni destitutos esse, quae de veris falsisque sensuum nostrorum apprehensionibus cum certitudine iudicare possit. Quodsi vero talem haberemus, minime nobis satisfactum esset, sed alia insuper indigeremus, quae huic invigilaret, et sic in infinitum pergendum esset. Omnia tandem, quae in mundo exsistunt, nonne continuis mutationibus subiecta sunt? Quomodo igitur cum certitudine aliqua de rebus iudicare possumus, cum eodem temporis momento, quo eas sensibus percipimus, mutentur in alias? Praeterea ratio, quae interdum fallitur: cum fallitur, aut cognoscit se falli, aut non cognoscit; si cognoscit, error impossibilis; si non cognoscit, tum semper debet formidare errorem. — Talia variis in locis apologiae *Raymundi Sabundini*.

[1] Cf. *Natorp* l. c. 157; *Richter* l. c. I 32 sq.

[2] *Richter* l. c. I 71.

[3] Optime de Montaigne *A. Baumgartner*, Geschichte der Weltliteratur V 277 sq; cf. etiam *Richter* l. c. II 59 sq.

428. b) Inter eos, qui Michaelis de Montaigne vestigia secuti sunt, praecipuus numeratur eius amicus *Petrus Charron* canonicus (1541—1603), cuius opus principale est libellus „La sagesse". Innatum nobis agnoscit desiderium veritatis, sed media ad eam certo comparandam sufficientia negat.

c) Tertium locum inter scepticos illius temporis occupat *Franciscus Sanchez* Lusitanus (1562—1632), qui scripsit librum: „Quod nihil scitur". Etsi ad speciem scepticismum moderatiorem professus est, reapse tamen haud saniorem doctrinam in medium protulit, quam quos nominavimus. Praeter rationes, quae ipsi sunt cum illis communes, has fere affert, quibus systema suum scepticum sustinere conatur: „Omnes res creatae simul unum totum efficiunt. Hinc sequitur singulas res non posse cognosci nisi per relationem ad omnes alias, i. e. nos debere cognoscere omnes res, ut possimus vel unam tantum cognoscere. Sed quis infinitam rerum multitudinem scientia complecti potest? Quid scimus de iis, quae fiunt in media terra, quid de iis, quae in supremo aethere, quid tandem de iis, quae olim acta sunt? Contendunt quidem philosophi notitiam specierum generumque satis esse, ut singula individua cognoscamus, cum scientia sit de universalibus. Sed quid tandem illud universale? Quid genera, quid species? Fictiones merae et phantasiae imagines. — Accedit, ut res non cognoscamus in se ipsis, sed tantum per earum imagines: quanta igitur cognitionis imperfectio! Perfecta cognitio supponit perfectum subiectum cognoscitivum. Sed Deus tantum perfectus." — Ex his aliisque praemissis Sanchez hanc tandem conclusionem ducit: „Nihil scitur, sola fides solvit dubium et praebet veritatem!"

d) Plures succedente tempore sceptici exorti sunt, quorum nomina referre longum est. Inter alios *Petrus Bayle* (1647—1706) humanae rationi solum errores detegendi potestatem, non autem verum certo cognoscendi facultatem concessit.

e) Neque nostris temporibus scepticismum universalem esse emortuum ostendit praeter alios quam plurimos *Theod. Ziehen* professor Berolinensis, qui de omni certitudine desperandum esse declarat[1].

429. II. **Scepticis intrinsecus affines** sunt 1. illi, quorum sententiam *subiectivismum* vocant, qui totum rerum esse nihil aliud esse volunt nisi „percipi". Cuius generis est idealismus ille sensualisticus, de quo post Aristotelem *Aquinas:* „Priores naturales non bene dicebant in hoc, quia opinabantur nihil esse *album* aut *nigrum*, nisi quando videtur; neque *saporem* esse, nisi quando gustatur; et similiter de aliis sensibilibus et sensibus. Et quia non credebant esse alia entia nisi sensibilia, neque aliam virtutem cognoscitivam nisi sensum, credebant, quod totum esse et veritas rerum esset in apparere. Et ex hoc deducebantur ad credendum, contradictoria simul esse vera propter hoc, quod diversi contradictoria opinantur."[2]

[1] Psychophysiologische Erkenntnislehre[3] (1907) 3.
[2] In l. 3 de anima lect. 2, Dicens quod.

Inter hos qui memoretur dignus est *Protagoras,* qui dicit, „quod homo est mensura omnium rerum, scilicet secundum sensum et intellectum ..., quasi esse rei sequatur apprehensionem intellectus et sensus. Et sic qui dicit hominem esse mensuram omnium, nihil aliud dicit quam hoc esse verum, quod videtur unicuique. Quo posito sequitur, quod idem sit et non sit, et quod idem simul sit bonum et malum. Et simile est in aliis oppositis, eo quod multotiens videtur hominibus aliquibus aliquid esse bonum, et aliis videtur contrarium, et ipsum *videri* est mensura rerum secundum opinionem Protagorae, ut scilicet in tantum sit verum rem esse, in quantum videtur“ [1].

Intellectum a sensu non distinxit Protagoras, sed solum sensum ut omnium rerum mensuram posuit. Unde merito ei a *Socrate* exprobratum est, cur non praeter hominem etiam simiam vel porcum ut mensuram omnium rerum poneret [2]. Ea igitur erat Protagorae sententia, ut doceret nullam esse cognitionis normam obiectivam, sed ea vera esse, quae sibi homo facultate sensitiva repraesentaret ut vera: unde de re qualibet contradictoria affirmari et negari posse.

Posteriore tempore potissimus *G. Berkeley* (1685—1753) hunc subiectivismum restauravit, arbitratus obiecta cognitionis nostrae nihil esse praeter affectiones subiectivas a Deo in nobis productas. Nihil generatim percipi posse nisi sensationes vel ideas; aperte ergo pugnantia dicere eum, qui ponat exsistere res praeter ideas.

Atque hic subiectivismi error sub variis formis (cf. n. 432) hodie latissime per omnes eruditorum hominum sectas circumvagatur [3]. Specialis forma moderna subiectivismi est qui vocatur *immanentismus,* qui negat nos quidquam certo scire de rebus extra nos seu de rebus „transcendentibus“.

430. 2. Scepticismo affines sunt quoque *empiristae,* qui negant ullam esse cognitionem proprie dictam praeter experientiam sensuum. Experientia percipi dicunt. unum esse solere iuxta aliud vel post aliud, non autem percipi nexum logicum ullum, quo unum ex alio consequi necesse sit; negant igitur ullum percipi a nobis nexum causalem. Praeter *Iosephum Glanville* († 1680) hoc loco praecipue nominandus est *David Hume*

[1] *S. Thom.* in l. 11 met. lect. 5, in fine. *Οὔτε γὰρ ψυχρὸν οὔτε θερμὸν οὔτε γλυκὺ οὔτε ὅλως αἰσθητὸν οὐδὲν ἔσται μὴ αἰσθανομένων* (Met. 9, 3 [1047 a 5]). Hac de re *Plato,* Theaet. 152 160 A B C.

[2] *Plato,* Theaet. 161 C.

[3] Ita inter alios *Goethe:* „Kenne ich mein Verhältnis zu mir selbst und zur Außenwelt, so heiße ich es Wahrheit: und so kann jeder eine eigene Wahrheit haben, und es ist doch immer dieselbige“ (Maximen und Reflexionen III). Et alio loco: „Ich habe bemerkt, daß ich *den* Gedanken für *wahr* halte, der für mich fruchtbar ist, sich an mein übriges Denken anschließt und zugleich mich fördert; nun ist es nicht allein möglich, sondern natürlich, daß sich ein solcher Gedanke dem Sinne des andern nicht anschließe, ihn nicht fördere, wohl gar hindere, und so wird er ihn für falsch halten: ist man hiervon recht gründlich überzeugt, so wird man nie kontrovertieren“ (*Goethe-Zelter*scher Briefwechsel V 354).

(1711—1776), qui principia empirismi ita evolvit, ut omni cognitioni humanae omnem realitatem obiectivam negaret [1]. Circumscribit enim ambitum cognitionis ad solas sensitivae experientiae perceptiones subiectivas. Atque hic empirismi error nostra aetate plurimorum hominum ingenia occupata tenet. Ita praesertim *positivistae Aug. Comte* (1798—1857), *J. St. Mill* (1806—1873), alii. Qui de omnibus veritatibus, quae per experientiam sensilem, observationem, experimentationem confirmari non possint, dubitandum esse aperte docent, iis rebus contenti, quae sensus nostros tangant.

431. 3. His accedunt *materialistae*. Inter quos „dixit *Democritus* [ca 420 a. Chr.], quod aut nihil est determinate verum in rebus, aut si quid est verum, non est nobis manifestum; cognitionem enim rerum accipimus per sensus; iudicium autem sensus non est certum, cum non semper eodem modo iudicet" [2]. In obvia sensuum perceptione (αἴσθησιν) haerendum non esse duxit, cum haec falsa esset et contradictionibus plena [3]; se autem ipsum secundum rationem (λόγον) procedere, atque ita atomos et vacua admittenda esse (tamquam νοητά), ex quibus solis corpora constituerentur tamquam ex esse et non-esse.

Epicurus (341—270) quamquam, rei caput quod attinet, Democritum secutus, tamen in perceptione sensuum absolutam veritatem posuit, arbitratus de omni perceptionis veritate actum esse, nisi id quod sensui repraesentaretur, esset obiective verum [4]. Sed hanc veritatem contineri dixit solis apparentiis, quae rebus productae essent. Negavit Epicurus homini praeter sensum aliam facultatem cognoscitivam inesse: neque aliud dixit quidquam exsistere nisi id, quod per se sensu percipi posset [5]. Speciatim negavit ullum nexum logicum vel causalem a nobis percipi. Propter rationes tamen practicas asseveravit necessarium esse, ut nobis aliquas de rerum essentiis persuasiones (ὑπόληψιν) fingeremus.

4. Praeter epicureos sunt plurimi, qui scepticismum impugnare quidem sunt conati, sed ipsi ob infirmitatem suam inviti a scepticismo devorati sunt. In quorum numero sunt *stoici (Zeno)*, *Thomas Reid* (1710—1796), *fideistae* (*Petr. Dan. Huet*, 1630—1721; *Frid. Henr. Jacobi*, 1743—1819), *traditionalistae*, de quibus infra suo loco, *voluntaristae* et generatim omnes, qui de principio certitudinis falsa dogmata posuerunt. His accedunt *kantiani*, qui vocantur critici; de quibus post dicendum erit.

---

[1] „Der griechische Skeptizismus war im Empirismus geendet, der englische Empirismus endet im Skeptizismus."

[2] *S. Thom.* in l. 4 met. lect. 11. Cf. *Arist.*, Met. 4, 5 (1009 b 12); De anima 1, 2 (404 a 27); De generat. et corrupt. 1, 2 (315 b 9).

[3] Cf. *Sextus Empir.*, Adv. math. VII 135: *Δημόκριτος δὲ ... νόμῳ* (i. e. secundum apparentiam) *φησὶ γλυκὺ καὶ νόμῳ πικρόν, νόμῳ θερμόν, νόμῳ ψυχρόν, νόμῳ χροιή· ἐτεῇ δὲ ἄτομα καὶ κενόν.* Cf. ibid. IX 19.

[4] *Πάντων κρηπὶς καὶ θεμέλιος ἡ ἐνάργεια.* Cf. *Natorp*, Forschungen zur Geschichte des Erkenntnisproblems 210 sqq.

[5] Cf. ibid. 223 235.

432. III. **Specialis forma scepticismi moderni est relativismus.** Negant relativistae nos umquam certo scire posse quidquam de rebus uti sunt in se et extra nostram mentem. Subiectivam vero cogitandi necessitatem, qui eam concedunt, alii aliter explicant.

1. *Psychologismus* eam necessitatem repetit ex natura humani intellectus. Quae nos necessario vera esse iudicamus, vera sunt pro nobis; utrum valeant etiam pro alio intellectu, v. g. divino, nos nescimus. Ita v. g. *B. Erdmann*[1], *Spitta*[2], *Raoul Richter*[3].

2. *Transformismus* theoriam evolutionis applicat ad facultatem cognoscitivam: neque pro ipso intellectu humano certam et stabilem veritatem admittit. Verum est, quod statui et evolutioni cuiuslibet intellectus correspondet. Ita *Paulsen, Vaihinger, du Prel, Laas, O. Pfleiderer, M. Carriere*[4]. Ad extremum hoc perduxit *Nietzche*.

3. *Pragmatismus* docet veritatem logicam aliam et aliam esse pro varia utilitate vel valore cognitionis. Ita v. g. *Peirce, F. C. S. Schiller, W. James, J. Dewey*.

4. Alii relativistae generatim censent veritatem variari per omnes loci et temporis circumstantias.

433. **Scepticismi variae species.** Scepticismus generatim definitur: *negatio vel dubitatio, quae versatur circa legitimum aliquod certitudinis motivum vel principium.* Est autem duplex: *universalis,* qui omnia prorsus, ne ipso quidem subiecto cogitante excepto, in dubio versari asseverat, hinc omnia certitudinis motiva vel principia in dubio ponit; et *particularis,* qui non omnia, sed aliqua tantum motiva in dubium vocat. Praeterea distinguunt scepticismum *subiectivum,* quo ipsa certitudo subiectiva negatur, ideoque necessario universalis est; et *obiectivum,* quo, admissa certitudine subiectiva, ea solum reicitur, quam obiectivam vocant.

Potest autem aliquis inhaerens certitudini subiectivae certitudinem obiectivam reicere ita, ut neget nos de ulla re secundum se accepta certitudinem habere posse; ex quo ille scepticismus particularis oritur, quem *subiectivismum* diximus (cuius species est „solipsismus", idealismus absolutus, quo admittitur certitudo tantum, quam quis de se ipso solo habet).

Inter varias has species hoc loco solus scepticismus, qui universalis est, in quaestionem vocatur. Refutatur autem simul omne genus relativismi et idealismi absoluti, in quantum immediate cohaeret cum scepticismo universali vel logice ad eum ducit. De

[1] Logik I, Halle 1892, n. 370, p. 378.

[2] Mein Recht auf Leben, Tübingen 1900, 61.

[3] Der Skeptizismus in der Philosophie I 132 sq; II 44 sq.

[4] Cf. de his Stimmen aus Maria-Laach 43 (1892) 358 sq 487 sq; 48 (1895) 25 sq; 78 (1910) 56 sq; 79 (1910) 268 sq.

scepticismi particularis speciebus ferendum iudicium erit, cum de motivis certitudinis singulis disputatio separatim instituetur.

434. **Thesis 1.** **Scepticus, qui de omnibus dubitandum esse profitetur, nulla demonstratione refutari potest, neque ipse sententiae suae rationem ullam legitimam proferre potest.**

Ad statum quaestionis. 1. Haec thesis ponitur tum contra academicos tum contra pyrrhonicos, qui quidem initio se veritatem „quaerere" velle dixerunt, postea tamen de veritate invenienda desperarunt, sicut academici. Etiam posterioris temporis sceptici nostra thesi refutantur.

2. Thesis non ad scepticos dirigitur, sed de scepticis tantum agit. Ratio thesi proposita scepticis primo obiecta est a stoicis[1].

Argumentum *(ex defectu fundamenti ad argumentandum necessarii).* Ut scepticus refutetur demonstratione, vel ut ipse scepticus rationem legitimam suae sententiae proferat, necessario requiruntur principia eaque ut obiective certa ab utraque parte admissa et a deducenda conclusione diversa. *Atqui* scepticus, modo sibi constare velit, nullum habet principium certum, ex quo contra ipsum quis proficisci possit, vel quod ipse ad ostendendam scepticismi veritatem adhibere possit. *Ergo* neque ipse demonstratione ulla refutari potest, neque sententiae suae rationem ullam, quae legitima sit, potest proferre[2].

Scholion. Neque ideirco scepticus victoris instar gloriari potest. Impotem enim esse, quocum disputetur, non idem est atque in disputatione victoriam canere. Quis enim dicet *truncos* vel *lapides* in disputando victores esse, eo quod cum ipsis nulla disputatio iniri possit? Scepticus deinde neque cum adversario disputare potest neque conari, ut doctrinam scepticam alicui suadeat; et ne suam quidem doctrinam proponere potest, quin se ipsum confutet. Tandem quod postremum est, siquidem sanam mentem habeat, non potest non videre scepticismum aperta contradictione contineri. Id autem systema, cuius absurditas videnti cuique est perspicua et manifesta, nullius demonstrationis indiget, qua absurditas illa manifesta fiat. Itaque intra mentem se victum non agnoscere non potest, quantumvis pertinaciter verbis contradicat.

435. **Thesis 2.** **Scepticismo universali admisso homo vitam agere secundum suam naturam non potest.**

Ad stat. quaest. Etiamsi scepticismus in se repugnat — id quod mox dicturi sumus —, tamen apparens quaedam scepti-

[1] Cf. *Sextus Empir.,* Adv. math. VIII 463; VII 433; *Pyrrh.* II 186.
[2] Cf. *Palmieri,* Log. 131.

cismi professio in actu signato certe non repugnat. Hanc doctrinam hominibus exitiosam esse dicimus, cum contra naturam sit et inde sequatur omnis humanae vitae eversio. Et haec etiam res maximopere a stoicis contra scepticos est proposita[1].

Argumentum *(ex iis quae ad vitam humano modo instituendam omnino requiruntur).* Ut homo vitam eo modo agat, quem natura postulat, requiritur 1° ut facultatem adhibeat cognoscendi ea quae sunt. Vix enim ore sententiam proferre potest, quin aliquid a se certo cognitum esse affirmet, i. e. aliquid, quod non tantum cogitetur, sed revera sit. Ecquid possit agere homo, qui ne id quidem ut certum et verum admittere velit, quod clara cum evidentia esse perspicit? Requiritur 2° ut societas inter homines sit, cuius vinculum est ratio et oratio; quae docendo, discendo, communicando conciliat inter se homines coniungitque naturali quodam commercio, in quo agnoscantur notiones iusti et iniusti, utilis atque nocivi, boni et mali, et certa denique agnoscatur auctoritas.

436. „Neque ulla re", ut dicit *Tullius*, „longius absumus a natura ferarum, in quibus inesse fortitudinem saepe dicimus, ut in equis, in leonibus: iustitiam, aequitatem, bonitatem non dicimus; sunt enim rationis et orationis expertes." [2] Atqui haec omnia, quae ordinatae vitae humanae sunt fundamenta necessaria, is ignorabit, qui doctrinam scepticismi sequi velit. „Qui negant quidquam posse comprehendi, haec ipsa eripiunt vel instrumenta vel ornamenta vitae, vel potius etiam totam vitam evertunt funditus, ipsumque animal orbant animo, ut difficile sit de temeritate eorum, perinde ut causa postulat, dicere." [3] „Maxime vero virtutum cognitio confirmat, percipi et comprehendi multa posse. In quibus solis inesse etiam scientiam dicimus; quam nos non comprehensionem modo rerum, sed eam stabilem quoque atque immutabilem esse censemus; itemque sapientiam, artem vivendi, quae ipsa ex sese habeat constantiam. Ea autem constantia si nihil habeat percepti et cogniti, quaero, unde nata sit et quomodo? Quaero etiam, ille vir bonus, qui statuit omnem cruciatum perferre, intolerabili dolore lacerari potius, quam ut officium prodat aut fidem, cur has igitur sibi tam graves leges imposuerit, cum, quam ob rem ita oporteret, nihil haberet comprehensi, percepti, cogniti, constituti? Nullo igitur modo fieri potest, ut quisquam tanti aestimet aequitatem et fidem, ut eius conservandae causa nullum supplicium recuset, nisi iis rebus assensus sit, quae falsae esse non possunt. . . . Deinde quomodo suscipere aliquam rem aut agere fidenter audebit, cum certi nihil erit, quod sequatur? cum vero dubitabit, quid sit extremum et ultimum bonorum, ignorans, quo omnia referantur, qui poterit esse sapientia?" [4]

[1] Cf. *Cic.*, Acad. prior. 2, 10—12. [2] De offic. 1, 16.
[3] *Cic.*, Acad. prior. 2, 10. [4] Ibid. 2, 8.

437. At *contra dicunt* academici: In rebus omnibus ad vitae usum spectantibus sapientissimus quisque probabilitate et opinione contentus esse solet. „Quid enim? conscendens navem sapiens, num comprehensum animo habet atque perceptum, se ex sententia navigaturum? qui potest? Sed si iam ex hoc loco proficiscatur Puteolos, stadia triginta probo navigio, bono gubernatore, hac tranquillitate: probabile videatur, se illuc venturum esse salvum. Huiusmodi igitur visis consilia capiet et agendi et non agendi.“ [1]

Verum ad hanc dubitationem quod *respondeatur,* in promptu est. Omnino verum est sapientis esse, ut non in omnibus rebus vitae practicae exspectet et postulet certitudinem, sed probabilitati rationabili fidat. Sed exaggerant rem et non solum omnem scientiam, sed etiam ipsam vitam practicam contradictionibus implent, negando *omnem* certitudinem. Namque ipsi academici id saltem „certum“ esse statuunt, nihil ab homine nisi cum sola probabilitate cognosci posse; „certum“ deinde esse, res aliquas certo esse probabiles, immo aliis probabiliores: „certas“ denique esse regulas, ex quibus quid opinandum sit, quid ut improbabile reiciendum, distingui possit, et has regulas in vitae usu et consuetudine tuto adhiberi posse. Accedit, quod experientia teste natura homines omnes cum necessitate impellit, ut multa admittant non solum ut probabilia, sed ut omnino certa; cuiusmodi est exsistentia propria, bis bina esse quattuor. Praeter has res certas plurima etiam in vita humana occurrere, quae probabilia tantum sint, id a nemine umquam, qui sanae mentis sit, negatum est.

438. **Thesis 3.** **Scepticismus universalis, sive ut factum sive ut doctrina spectatur, omnino repugnat.**

Ad stat. quaest. 1. Quid nomine scepticismi significetur, ex iis repetendum est, quae ante (n. 423 sq) diximus. Cum dubitatio generatim sit suspensio intellectus inter utramque contradictionis partem, dubitatio *universalis* omnem prorsus cognitionem certam negat vel in dubium vocat, non solum de rebus externis, sed etiam de exsistentia ipsius subiecti negantis vel dubitantis.

2. Scepticismus ut *factum* esset status mentis, in quo quis intellectum adhibens de omnibus omnino rebus ita dubitaret, ut de re nulla, ne de sua ipsius quidem cogitatione vel exsistentia affirmaret vel negaret quidquam. Scepticismus ut *doctrina* est systema ipsum verbis propositum, quod de nulla re non dubitandum esse docet.

Cum scepticismum ut *factum* esse non posse affirmamus, volumus dicere fieri non posse, ut homo ratione utens de omnibus dubitet sive assensum suspendat. Ut *doctrinam* scepticismum repugnare asseverantes volumus dicere eum, qui de omnibus plane rebus dubitandum esse do-

[1] *Cic.,* Acad. prior. 2, 31.

ceat, hanc doctrinam proferre non posse, quin ipse in doctrina sua contradictionem ponat. Re cohaerent inter se pars utraque, et duas partes ponimus solius claritatis gratia.

3. In thesi ostenditur scepticismi absurditas. Quae declaratio vel indirecta demonstratio non adversus scepticos dirigitur, saltem non adversus scepticos, ut sunt sceptici; sed instituitur ad ostendendam veritatem iis, qui a contradictionibus et absurditatibus abhorrent, atque adeo, ut illi qui se scepticos profitentur, adducantur ad sentiendum se revera scepticos non esse.

439. Pars I. Scepticismus repugnat ut factum.

Arg. 1 *(ex testimonio conscientiae).* Experientia teste multae res sunt ita manifestae, ut assensum mentis attendentis velit nolit necessitate naturali ad se rapiant, ita ut neque positive dubitare neque certum assensum cohibere quisquam possit. Ita nemo actu vigil et cogitans dubitare vel a certo iudicio mentem cohibere potest, quo interius dicat se esse, cogitare, imminere periculum, si accurrat canis rabie actus vel furiosus taurus, sescenta alia, de quibus vere a *Tullio* dictum est: „Ut necesse est, lancem in libra ponderibus impositis deprimi, sic animum perspicuis cedere.“ [1]

Arg. 2 *(ex iis quae sceptici concedunt).* Fatetur scepticus in hominibus omnibus naturalem certitudinem inesse, a quibus ipse differat eo, quod sit scepticus. Ergo ipse fatetur, et se et alios esse, se ab iis qui certitudinem admittunt, differre, se dubitare. At inquiet scepticus: Fortasse in hac ipsa mea confessione erro. Quod nihil aliud est quam dicere: Fortasse obiectivam rei veritatem non assequor. Hanc igitur iterum ponit, dum dubium suum cogitat.

440. Pars II. Scepticismus universalis repugnat ut doctrina.

Arg. 1 *(ex natura cognitionis).* Illorum doctrina evidenter secum ipsa pugnat, qui necessario id tollunt in actu signato, quod ponunt in actu exercito; *atqui* id de scepticis dicendum est; *ergo* scepticismus universalis repugnat ut doctrina.

Prob. min. Qui enim dogmatismum impugnant et scepticismum affirmant, id facere non possunt, quin aliquam cognitionem adhibeant. Sed cognitio omnis involvit saltem tria: a) Affirmationem certam *existentiae propriae.* Qui enim iudicat se falli posse, iudicat se *esse.* „Si fallor“, inquit *S. Augustinus*, „sum; nam

[1] Acad. prior. 2, 12.

qui non est, utique nec falli potest." [1] b) Principium, quod verbis exprimitur: Nihil simul esse potest et non esse: qui enim dicit dubitandum esse, etiam dubitandum esse certo iudicat: et si dicat se ipsam suam dubitationem cum dubio de dubitatione proferre, saltem certo iudicat *fortasse* dubitandum esse. Id autem iudicium habere non potest, nisi quia timet, ne falsum pro vero habeat. Qui autem id timere posset, nisi supponeret esse et non-esse inter se esse opposita? c) Cognitionem nostram ex natura sua ad id necessario ferri, ut nobis *rem* seu *aliquid repraesentet.*

Arg. 2 *(ex natura dubitationis).* Contradictio aperta est de omnibus dubitare et simul aliquod certum iudicium ferre: *atqui* omnis dubitatio positiva involvit implicite aliquod iudicium certum; *ergo* doctrina postulans dubium universale postulat contradictionem.

Ad min. In dubio mens non est in mera quiete ignorantiae, sed anceps haeret inter utramque partem vel vere vel saltem apparenter contradictoriam. Talis consideratio physice et metaphysice impossibilis est, nisi mens videat contradictoria simul esse non posse; qui deliberate dubitando haeret, saltem necessario videt et iudicat neutram partem sibi apparere impossibilem. Dicendo: dubito de omnibus, aut nihil dicis, sed mere vocabula profers, aut aliquid certi affirmas, scil. prae tua cognitione rem aut esse aut non esse, te autem non valere nunc discernere, utrum sit necne.

441. Et *confirmatur* id quod diximus, si causas inspicimus, quibus homines, ut se profiterentur scepticos, adducti sunt [2].

1. Aliqui putant idem plane esse, si quis dicat cognitionem veritatis ab homine non sine difficultate et errandi periculo haberi posse, atque si dicat hanc cognitionem nullam esse. — Si nulla esset, quomodo id cognosceret? quomodo id verbis proferret? 2. Alii inde quod homines nonnumquam a veritate oberraverint, concludunt eos numquam ad cognitam veritatem pervenire posse. — Neque tamen se ipsos a veritate aberrare volunt. 3. Alii, videntes absurditates multorum philosophiae systematum, nihil iam dixerunt ab ullo homine posse perspici. — 4. Alii, cum putarent nihil a cordato homine admitti debere nisi id, quod ex solidis principiis demonstratum esset, caeco impetu etiam ea demonstrari volebant, ex quibus ut per se immediate certis demonstratio

[1] De civit. Dei 11, 26. Et explicatius alio loco: „Si dubitat, inquit, vivit; si dubitat, unde dubitet meminit; si dubitat, dubitare se intellegit; si dubitat, certus esse vult; si dubitat, cogitat; si dubitat, scit se nescire; si dubitat, iudicat non se temere consentire oportere" (De Trinit. 10, 10, 14).

[2] *Ubaghs,* Log. n. 399 sq.

omnis procedere debet. — Quas omnes causas vanas esse et inanes, cogitanti cuilibet est manifestum.

Praeterea *confirmatur* id, quod contra scepticismum constitutum est, cum fundamenta tolluntur destruunturque causae, quibus miserábilis ista animorum fluctuatio efficitur.

' Quarum prima est, ut ait *Tullius,* quod parum defigunt animos et intendunt in ea, quae perspicua sunt, ut quanta luce ea circumfusa sint, possint agnoscere. „Ordiamur igitur a sensibus. Quorum ita clara iudicia et certa sunt, ut, si optio naturae nostrae detur, et ab ea deus aliquis requirat, contentane sit suis integris incorruptisque sensibus, an postulet melius aliquid, non videam, quid quaerat amplius. . . . Potestne quisquam dicere inter eum, qui doleat, et inter eum, qui in voluptate sit, nihil interesse? aut ita qui sentiat, non apertissime insaniat?" [1]

Alterum fundamentum scepticorum est, quod idem monet *Tullius,* „quod fallacibus et captiosis interrogationibus circumscripti atque decepti quidam, cum eas dissolvere non possunt, desciscunt a veritate. Oportet igitur et ea, quae pro perspicuitate responderi possunt, in promptu habere, . . . et esse armatos, ut occurrere possimus interrogationibus eorum captionesque discutere. Quod deinceps facere constitui" [2]. Neque oblivioni umquam dandum, ex eo quod non omnis difficultas solvi a nobis modo possit, nihil sequi contra argumenta positive rem demonstrantia.

442. Notanda ad obiectiones solvendas. 1. Ingens hominum tum rudium tum doctorum dissensio nos docere debet, quantopere ab erroribus in rebus praesertim difficilioribus cavendum sit, permultasque revera esse res, quas homo tantum suspicando et opinando, vel auctoritate duce, vel saltem ut certas nonnisi longiore studio et voluntate ab omni mala affectione libera attingere possit. Sed verum non est res omnes vel plurimas illi dissensioni subesse; id quod sobrio cuique apertum est satis.

2. Ratio humana si consideratur in se, fallibilis quidem est, non tamen per se, sed per accidens; si consideratur ut applicata ad hoc vel illud cognoscendum, infallibilis est, si omnia ad recte agendum requisita adsunt. Itaque ratio semper quidem est fallibilis per accidens; non tamen semper potest falli per accidens. Sed *obicies* solum Deum per se infallibilem esse. *Respondendum* est distinctione: solus Deus per se infallibilis est infallibilitate absoluta, imparticipata, illimitata. Et creaturae participata tantum et limitata infallibilitas ascribi potest. Cf. n. 484 sq.

3. Non omnis veritas, ut certo habeatur, demonstratione indiget, cum possit esse immediate evidens. Ita etiam falsitas scepticismi per demonstrationem directam ostendi non potest, sed ideo non potest, quia evidenter et immediate in se apertam falsitatem habet; attamen ostendi declararique potest esse falsus demonstratione indirecta.

[1] *Cic.,* Acad. prior. 2, 7; cf. etiam c. 8 et 9.
[2] Ibid. 2, 15.

443. ***Obi. 1.*** Pugnantia dicit, qui falsitatem alicuius systematis demonstrari non posse docet et simul profert eiusdem systematis refutationem. Id autem factum est, cum scepticismus impugnaretur.

Resp. Aliud est docere systematis alicuius falsitatem demonstratione directa ostendi non posse: aliud, demonstratione indirecta systema illud confutari.

Obi. 2. Illa philosophia optima est, quae omnes errores diligenter cavet et magnopere modestiam nutrit et humilitatem. At his dotibus praeditum esse scepticismum, nemo non videt.

Resp. *Dist. mai.:* Si cavet errores assecutione veritatis, *conc. mai.;* si tristi illa obtinendae veritatis desperatione cavere errores conatur, *nego mai.* Nam certe non est laudandus medicus, qui morbo medetur occisione aegroti.

Obi. 3. Omne visum sive apparens cum sit a vero, tale est, quale etiam a falso esse potest [1]. Quae academicorum dubitatio generalius et fortasse etiam subtilius hoc modo concipi potest: Homo cum fallitur, aut cognoscit se falli, aut non cognoscit. Si cognosceret, non falleretur: si se falli non cognoscit, eodem modo rebus iis, quae tamen nullae sint, movetur et afficitur, quo iis quae sunt. Sed si ita est, semper de singulis iudiciis dubitare licet, sintne vera an falsa.

Resp. Hominem nonnumquam ponere iudicium falsum atque ita falli per accidens, in concessis est. Sed hic homo iudicio falso irretitus imprimis non videt id, quod affirmat, neque igitur videt se iudicium verum ponere, atque ita obscuro quodam modo cognoscit se falli saltem eo, quod deficiente motivo, quod ad iudicandum satis sit, tamen iudicet. Etsi praeterea non advertit se errare, tamen si accurate motiva sui iudicii perpendere vel saltem super iudicium latum attentiore animo redire velit, errorem certe deteget. Id ut faciat, eo monetur, quod ipso momento, quo fert iudicium, cuiusdam obscuritatis, confusionis, vitiosae levitatis *conscius est.* Dum autem homo secundum veritatem certo iudicat, hanc sui iudicii veritatem cognoscit eo, quod reapse videt motiva sui iudicii a se accurate circumspecta et clare percepta esse. Et quo diligentius motiva sui iudicii perpendit, eo erit ad veritatem assensus confirmatior. Quam ob rem dici non potest omne iudicium, cum sit verum, tale esse, quale falsum est. Neque semper de iudiciis singulis dubitandum est.

In argumento autem ab adversaria parte opposito ad illud: „Homo se falli non cognoscit" animus advertendus est et distinctio adhibenda. Homo enim, cum fallitur, se falli non cognoscit *negative* tantum, i. e. motiva sui iudicii non videt; illud tamen „non-cognoscere" non cum cognitione *positiva* coniuncta est, qua videt se non falli et motiva certae adhaesionis cognoscere. Haec autem cognitio positiva in iudicio, quod est de re vera, locum habet.

[1] Cf. *Cic.*, Acad. prior. 2, 13.

444. ***Obi. 4.*** Non est ulla res, quae non cum omnibus rebus sive veritatibus cohaereat. Ut igitur rem unam certo cognoscam, res ad unam omnes mihi cognoscendae sunt. Atqui complexus veritatum maior est, quam qui limitata ratione cognosci queat.

Resp. Ex his rebus obiectis illud tantum sequitur, nullam intellegentiam creatam illa infinita et perfectissima et adaequata rerum omnium cognitione frui posse, quae soli Deo O. M. convenit. Et agnoscendum praeterea est ambitum earum rerum, quae ab homine certo sciri possint, admodum coartatum esse, multisque in locis veritatem parum virium et parum firmamenti habere. Qua de re scite *Lactantius:* „Inter ipsos [philosophos] alii putaverunt sciri posse omnia; hi sapientes utique non fuerunt; alii nihil, et ne hi quidem sapientes fuerunt. Illi, quia plus homini dederunt; hi, quia minus: utrisque in utramque partem modus defuit. Ubi ergo sapientia est? Ut neque te omnia scire putes, quod est Dei: neque omnia nescire, quod est pecudis.“ [1]

Obi. 5. Primum, de quo certitudinem habere possem, aut esset abstractum aut concretum. Non est abstractum: nam certa cognitio abstracti supponit cognitionem certam concreti. Neque est concretum; nam certa concreti cognitio supponit certam abstracti cognitionem. At si non est primum, cuius veram certitudinem acquirere possum, neque est secundum, tertium.

Resp. Id quod cognitione sensitiva directa primum cognosco, est concretum quid. Id autem, quod cognitione intellectiva primo cognoscimus, est abstractum, scil. ens, et simul concretum, scil. ipsum concretum obiectum sensationis; quod denique cognitione philosophica et reflexa primum cognosco, est abstractum quid.

Obi. 6. De re nulla certus esse possum, neque de futura, neque de praesenti, neque de praeterita. Non de futura; nam nihil futurum est, quod non pendeat ex causis, quas ignoro. Neque de praesenti; nam ad parandam scientiam quamlibet tempus intervenire debet. Ergo ea tantum, quae *erant*, cognoscere possum. Sed ne haec quidem. Omnia enim continenter mutationi multiplici obnoxia sunt. Quo igitur pacto nunc scire possum, interea nullam accidisse mutationem? et *stellas*, quas interveniente lumine video, quod ab illis ante menses et annos profectum est, hodie in universo reapse adhuc exsistere?

Resp. Ea quae proxime et immediate cognosco, sunt facta praesentia, v. g. proprii subiecti exsistentia et affectiones actuales. Analysi idearum cognoscimus etiam immediate principia evidentia, quae nulli mutationi subsunt. Qua ratione ope memoriae praeterita, et multa alia ope ratiocinii et testimonii certo cognoscere valeamus et sub quibus condicionibus, accuratius dicetur, quando de singulis certae cognitionis fontibus agetur.

[1] Divin. instit. 3, 6.

445. **Thesis 4.** **Relativismus veritatis est absurdus absurditate scepticismi universalis: similiter falsus est psychologismus.**

Ad stat. quaest. 1. Quilibet homo natura duce multa pro veris habet, et quidem ita, ut omnem qui aliter de eodem omnino obiecto iudicet, errare censeat. Qui iudicat: sol lucet, pluit, bis bina sunt quattuor, dicere vult rem ita se habere: v. g. pluere. Eum vero, qui stans in pluvia pluere negaverit vel in dubium vocarit, pro insano aut mendace habet. Natura enim duce censemus id quod uni verum est, etiam omni alii intellectui verum esse.

2. Contra relativismus (n. 432) docet veritatem circa eandem omnino rem esse posse aliam et aliam; negata igitur veritate absoluta relativam tantum admittit. Potest igitur verum esse secundum hanc doctrinam: hunc equum habere quattuor pedes, et simul verum esse, eundem equum non habere quattuor pedes, modo referatur ad alium et alium intellectum; vel potest forte in hac tellure verum esse bis bina esse quattuor, et simul in Marte verum esse bis bina esse quinque vel septem.

3. Nolunt relativistae esse sceptici, et concedunt nos necessitari ad quaedam affirmanda; ipsam tamen hanc necessitatem logice destruunt, uti ex argumentis patebit.

4. De variis formis relativismi vide supra n. 432. Priore parte thesis relativismum in genere reicimus, altera psychologismum, reliquas formas in corollariis.

Neque vero huius loci est omnes errores psychologisticos aut evolutionisticos iam refutare, sed solum relativismum scepticum.

446. 5. Non negamus etiam vero et recto sensu distingui posse veritatem *absolutam* et *relativam*. Absolutum enim dicit perfectum, relativum imperfectum. Veritas utpote perfectio cognitionis sequitur gradum perfectionis ipsius cognitionis. Hinc:

a) Ratione *obiecti materialis simpliciter absoluta* est veritas eius cognitionis, quae omnia scibilia exhaurit et comprehendit, i. e. solius cognitionis divinae; et hoc sensu veritas cognitionis entium finitorum dici potest relativa. *Absoluta secundum quid* potest dici veritas, quae est in intellectu creato certum aliquod obiectum cognoscente, quantum naturaliter ab ipso cognosci potest; *relativa*, quae solum aliquas notas rei cognoscit; v. g. cum de eodem globulo ferreo nigro unus ex visu iudicat: est globulus niger, caecus vero globulum manu tenens iudicat: est globulus ferreus.

b) Ratione *actus* ea cognitio est absoluta, quae perfectissimo et clarissimo modo rem cognoscit; ita etiam cognitio et veritas mentis finita dici potest relativa in comparatione ad simpliciter absolute perfectam cognitionem divinam; secundum quid absoluta

potest dici cognitio intuitiva, propria, evidens in comparatione ad cognitionem abstractivam, analogam, obscuram, incertam.

In his omnibus absolutum et relativum rectius et accuratius referuntur et dicuntur de cognitione quam de formali ratione veritatis.

Reici omnino debet omnis relativismus veritatis quoad obiectum *formale* iudicii. Qua in re attendi debet, interdum non omnem determinationem verbis expressam esse, cum ex circumstantiis nota sit. Ita omittuntur saepe temporis limitationes, v. g. qui nunc iudicat et dicit: pluit, sane non iudicat semper pluere. Eius iudicium refertur ad tempus, quo loquitur, et sic est et manet absolute verum pro omni intellectu.

447. **Pars I. Relativismus veritatis generatim absurdus est.**

Arg. 1 *(ex identitate cum scepticismo universali).* Qui negat vel in dubium vocat possibilitatem verae certaeque cognitionis rei cuiusquam, docet scepticismum universalem; *atqui* relativismus negat possibilitatem verae certaeque cognitionis; *ergo* relativismus est scepticismus universalis.

Ad min. Veritas illa relativa, quam relativismus statuit, aut nullo modo differt a falsitate, aut vere ab ea differt; *atqui* si *prius,* iam cessat omnis quaestio de veritate et cognitio omnis aequiparatur phantasiis somniantis aut illusionibus insani; si *alterum,* certe ea cognitio vera dici debet, quae conformis est rei: v. g. si equus est in se quadrupes, cognitio quaelibet, quae dicit equum esse quadrupedem, vera est. At secundum relativismum etiam aliquis intellectus de eodem equo *vere* iudicare potest illum equum non esse quadrupedem. Ita tollitur principium contradictionis; nam aut equus idem debet *simul* esse quadrupes et non esse; aut affirmare (dicere: esse) quod est, debet idem esse atque negare (dicere: non esse) quod est. Ita iterum destruitur omnis differentia inter verum et falsum.

Ergo doctrina relativismi reducitur ad hoc: Duobus de eadem omnino re contradictorie iudicantibus, uterque aeque verus, aeque falsus esse potest, et numquam valeo discernere, uter vere, uter false sentiat; aliis verbis, obtineri non potest vera certaque cognitio ulla, sed manet dubium absolute universale.

448. **Arg. 2** *(ex absurdis sequelis).* Relativismus veritatis impossibilem reddit omnem scientiam, doctrinam, fidem; *ergo* absurdus est.

Prob. antec. 1. *Scientia* „relativa“ nulla est. Secundum relativismum ex eo, quod mihi clarum sit bis bina esse quattuor, homi-

cidium esse illicitum, nihil scio. Nam secundum relativismum forte Deo certum est homicidium esse licitum, bonum, faciendum; debet relativista saltem concedere, forte Deum esse ita infallibilem, ut quod ipsi verum sit, absolute et pro omni intellectu, etiam meo, valeat; ergo secundum ipsius relativistae principia ne relativa quidem veritas subsistit, et cessat omnis scientia theoretica et practica, logica, realis, ethica.

2. *Doctrina* omnis fit ridicula. Nam si solum docenti verum est, quod ipse putat, quid alium iuvat novisse, quid magister sentiat? Immo, qua ratione alius potest certo cognoscere, quid ego sentiam et iudicem? Fortasse mihi tantum verum est, me iudicare bis bina esse quattuor; alteri verum est, *me* iudicare bis bina esse quinque. Igitur sicut scientia relativismi est illusio, ita doctrina fit locutio inanis.

3. *Fides* omnis fit impossibilis. Testis relativista coram iudice numquam dicere potest, aliquid vere factum esse; immo ne certo quidem dicere potest se vidisse, sed ad summum enuntiare potest: nunc mihi videor putare, aliquando me tale quid vidisse.

449. Pars II. Relativismus sub forma psychologismi absurdus est. Psychologismus docet veritatem aliam et aliam esse pro diversitate subiecti. Quatenus hoc refert ad iudicia particularia et non necessaria et ad differentias accidentales et individuales, v. g. aetatis, cognitionis iam acquisitae, vocatur relativismus *individualis;* quatenus refertur ad iudicia humana necessaria, quorum necessariam veritatem repetit ex natura specifica intellectus humani, vocatur relativismus *specificus*, psychologismus (stricte dictus) vel etiam *anthropologismus*. Relativismus individualis post argumenta prioris partis ulteriorem refutationem non meretur; neque apparet iudicium pueri et senis de eodem obiecto diversam habere posse rationem veritatis. Etiam psychologismus specificus refutatus est argumentis iam allatis. Refutatur porro speciatim:

450. Arg. 1 *(ex differentia inter veritatem et falsitatem).* Ea doctrina est absurda et sceptica, quae tollit discrimen inter verum et falsum; *atqui* psychologismus relativisticus tollit discrimen inter verum et falsum; *ergo* est scepticismus universalis.

Prob. min. Unicum fontem veritatis et certitudinis talium iudiciorum psychologista repetit ex necessitate psychologica; *atqui* nullam potest ostendere rationem, cur necessitas psychologica postulet veritatem. Machina calculatoria potest aeque bene ita construi, ut cum physica necessitate ostendat summam aut veram aut falsam.

Arg. 2 *(ex interna contradictione systematis).* Concedit psychologismus nos homines cum physica (psychologica) necessitate quaedam pro veris habere, et eadem nihilominus in dubium vocat et ita eandem necessitatem iterum negat; *ergo* psychologismus se ipsum conficit.

Ad antec. Quantacumque est necessitas psychologica iudicandi bis bina esse quattuor, corruit ea necessitas, quamprimum admitto relativismum. Quamprimum enim admitto, forte alii cuilibet intellectui, v. g. divino, bis bina posse *vere* esse quinque, eo ipso pro meo intellectu cessant esse necessario quattuor.

Quod evidenter comprobatur cotidiana cogitantium experientia. Numquam enim ad iudicandum nos *necessitamur*, nisi eadem vi necessitemur censere, *rem ex se et in se* ideoque pro omni intellectu recte cogitante ita esse et aliter esse non posse.

451. ***Coroll. 1.*** Ergo etiam *transformismus* (evolutionismus) logicus eadem ratione absurdus est. Differt haec sententia a psychologismo modo refutato, eo quod ne specificas quidem leges cogitandi constantes esse vult, sed theoriam darwinisticam ad ipsam mentem extendit. Repugnat transformismus multiplici ratione: est error simul materialisticus; sed etiam argumentis partis prioris refutatur. Error hic reicitur 58ª propositione decreti Pii X Lamentabili sane (3 Iulii 1907): *„Veritas non est immutabilis plus quam homo, quippe quae cum ipso, in ipso et per ipsum evolvitur."* [1]

452. ***Coroll. 2.*** Ergo etiam *pragmatismus* eadem ratione absurdus est, qui veritatem logicam aliam et aliam esse docet pro varia *utilitate* cognitionis. Ex professo hunc errorem refutabimus, quando de universali veritatis criterio agemus (n. 796 sq). In quantum statuit veritatis relativismum, sufficienter refutatus est argumentis allatis.

Coroll. 3. Ergo in scepticismum universalem incidit omnis doctrina, quae non agnoscit nos revera cognoscere posse, aliquid ita in se verum esse, ut valeat absolute et pro omni intellectu cogitabili.

453. ***Obi. 1.*** Illud non est absolutum, quod saepe mutatur; *atqui* veritas nostra fere continuo et intensive et extensive mutatur, crescit, vel oblivione minuitur; *ergo* veritas non est absoluta sed relativa.

Resp. *Trans. mai. Dist. min.:* Crescit quoad obiectum materiale et quoad claritatem subiectivam et firmitatem, *conc. min.;* quoad idem ob-

[1] Cf. *J. Bessmer,* Philosophie und Theologie des Modernismus, Freiburg 1912, 478 sq.

iectum formale seu ipsa veritas logica formaliter spectata crescit, *nego min. Pariter dist. cons.:* Veritas est relativa, quod spectat ambitum obiectorum et claritatem (firmitatem), *conc. cons.;* in ipsa sua ratione formali, *nego cons.*

Obi. 2. Ea perfectio rei est relativa tantum et non absoluta, quae sine rei mutatione, solo termino extrinseco mutato, in contrarium verti potest: *atqui* iudicium verum transire potest in falsum, solo termino extrinseco mutato, v. g. iudicium: Petrus sedet, fit falsum, si Petrus surgit; *ergo* veritas iudicii est relativa tantum.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.:* Iudicium prorsus idem seu de eodem omnino determinato obiecto transire potest a vero in falsum, *nego min.;* enuntiabile materialiter spectatum potest referri ad iudicium verum et falsum, *conc. min. Pariter dist. cons.:* Veritas iudicii seu cognitionis eiusdem omnino obiecti est relativa tantum, *nego cons.;* veritas enuntiabilis non perfecte determinati est relativa, *trans. cons.* — Ut illud enuntiabile perfecte et determinate significet iudicium, vel ex ipsis verbis vel ex circumstantiis cognosci debet, ad quod tempus referatur iudicium. Iudicium: Petrus sedet, hoc determinato sensu: eo tempore quo eum video sedentem, sedet, immutabiliter et absolute verum est ab aeterno in aeternum, homini et Deo.

454. ***Obi. 3.*** Ultima ratio, ut aliquid certo verum habeamus, est experientia necessitatis subiectivae ita iudicandi; *ergo* psychologismus verus est.

Resp. *Nego antec.* omnino; ultima ratio est, quia clare menti nostrae manifesta est rei veritas. In iudiciis evidentibus utique etiam experimur necessitatem subiectivam, sed non immediate et primo, neque, quod caput est, *caece.* Nam dum sanae mentis sumus, clare cognoscimus differentiam inter nostram necessitatem iudicandi et eam necessitatem, qua insanus quisque impellitur ad falsa putanda, v. g. se esse regem. Psychologismus tollit discrimen inter sanos et mente captos.

Obi. 4. Mens est instructa et constructa ad iudicia formanda, neque in hoc opere est libera, ideoque recte comparatur machinae; et ea iudicia sunt dicenda vera, quae constructioni et legibus huius machinae correspondent; *ergo* psychologismus verus est.

Resp. 1° *indirecte:* Ita tollitur omne discrimen inter verum et falsum: ideoque absurdum est, quod obicitur.

Resp. 2° *directe. Dist. mai.:* Ipsa mens seu facultas intellectiva ulla ratione est ad modum machinae constructa, *nego mai.* (est facultas simplex cognoscitiva, quae non fabricat verum, sed illud cognoscit); organa corporalia cognitionis inferioris (sensitivae) aliquo modo comparari possunt machinis, *subdist. min.:* ad cognitionem praeparandam, *conc. min.;* ad eam per se mechanice perficiendam, *nego min.;* ad hoc enim mechanismus non sufficit, ut alibi fuse explicatur et demonstratur.

455. ***Obi. 5.*** Omnis cognitio est actus psychologicus; *atqui* omnis actus psychologicus pendet a natura cognoscitiva; *ergo* omnis cognitio valet tantum pro natura cognoscentis.

Resp. *Dist. mai.:* Est actus psychologicus tantum, *nego mai.;* est actus psychologicus et simul rei alicuius *repraesentaticus, conc. mai. Contradist. min.:* A natura cognoscentis pendet in essendo (ut sit v. g. spiritualis, sensitivus), *conc. min.;* in repraesentando seu in veritate, *subdist.:* in veritate formaliter spectata, *nego min.;* in gradu accidentalis perfectionis, claritatis, *trans. min.* — Imago realis omnis in *essendo* pendet a materia, ex qua fit, in *perfectione* pendet ab artifice, et etiam accidentaliter pendere potest a materia; sed in *veritate* unice pendet ab obiecto, quod repraesentat et cui conformari debet.

Obi. 6. Non probatum est nostrum modum cogitandi esse unicum modum possibilem; *ergo* fortasse alia entia habent diversas leges cogitandi; de cognitione aliorum entium nihil scimus, nam quidquid cognoscimus, cognoscismus cognitione humana seu modo nostro; scimus *nos* non posse intellegere, quomodo pro aliis non valeat principium contradictionis, sed illi forte hoc capiunt. (Ita fere *B. Erdmann*, Logik I 375 sq.)

Resp. *Dist. assert.:* Non cognoscimus modum subiectivum, quo quaelibet entia suas cognitiones acquirant, *trans. assert.;* non cognoscimus omnem intellectum errare, qui neget principium contradictionis, omnem intellectum *vere* iudicare: bis bina esse quattuor, *nego assert.* Similiter dicendum contra dicta similia, quae inveniuntur apud *Paulsen* et alios. Cognoscere non est somniari vel phantastice ludere, sed est *res* repraesentare et *scire;* veritas cognitionis unice consistere potest in conformitate cognitionis cum re cognita, et ideo a momentis subiectivis independens est; „veritas ex diversitate personarum non variatur“ [1].

456. Thesis 5. Subiectivismus universalis et absolutus reincidit in scepticismum universalem ideoque absurdus est.

Ad stat. quaest. 1. *Subiectivismus* statuit nos non cognoscere nisi proprias subiecti affectiones; vocatur etiam *idealismus* aut *immanentismus*. De ipsis rebus subiectivista, si sibi constare vult, proprie nihil dicere potest, i. e. neque potest asserere neque negare exsistentiam cuiuslibet rei a sua cognitione independentis et ab ea distinctae. Quare recte subiectivismus vocatur scepticismus *obiectivus*. Plerique relativistae sunt simul subiectivistae, et vice versa. Formaliter tamen differt *relativismus* et *subiectivismus;* ratio communis relativismi in eo est, ut admittat veritatem aliam et aliam esse posse, undecumque tandem variabilitas ea proveniat; ratio communis subiectivismi in eo est, ut omnem cognitionem mere subiectivam (internam) esse statuat. De subiectivismo prout diversa obiecta et singulos cognitionis fontes respicit, speciatim suo loco agetur (n. 516 sq 599 sq); hic solum de subiectivismo absoluto et universali.

[1] *S. Thom.* in Iob c. 13, lect. 2.

457. 2. Natura duce homines censent. a) res externas, quas oculis videmus, revera extra nos et in se et independenter a nostra cognitione adesse. Idealista dicit: video; sed num obiectum externum visus exsistat, non cognosco, nescio. b) Ipsa nostra organa, nostras actiones corporales et *psychicas* natura duce pro rebus vere et realiter exsistentibus habemus, nos ut subiectum reale exsistens cognoscimus et reale discrimen inter actum cognoscitivum et obiectum asserimus. Negat id subiectivista, cui etiam actus proprii et ipsum subiectum cogitans non est aliquid reale ullo modo ab ipsa actuali cognitione distinctum, sed mere subiectiva repraesentatio actualis; de permanentia subiecti ultra actus durationem subiectivista nihil scit (ego apparens, phaenomenale). Uti infra patebit, totum hunc errorem iam *Kant* in suo systemate continet, neque ipsi fuit ullum ius logicum quidquam asserendi de exsistentia alicuius rei in se (Ding an sich).

458. 3. Pro nostro igitur saltem intellectu secundum subiectivismum nulla est distinctio inter esse et percipi (n. 429). Atque in eo consistit difficultas et error fundamentalis subiectivismi. Ita breviter exprimi potest: Non cognoscimus nisi cogitando: quidquid cognoscimus, est cogitatum; res autem, quae in se et independenter ab aliqua cogitatione est (exsistit), est res non cogitata; cognoscere igitur rem a cogitatione independenter exsistentem est cogitare rem non cogitatam; quod videtur esse aperta contradictio.

Dicunt: Homo non-philosophus quamprimum aliquod obiectum percipit, solum ad obiectum attendit, et quia activitatem propriam nullo modo percipit, ipsum obiectum pro reali habet; cum autem incipit reflectere, fit philosophus et advertit se cognoscere, seu advertit sibi immediate non datum esse quidquam nisi suam propriam cognitionem, et nunc cognoscit se quidem habere visionem, imaginationem, cogitationem arboris, sed nihil inde se scire de arbore aliqua non visa, non cogitata, in se exsistente.

Ita passim, v. g. fere ad verbum docet inter alios *K. Fahrion*[1]. Subiectivistae talem doctrinam proponenti id ultro concedi potest, eam non esse ex rebus haustam neque ulla ex parte rebus correspondere. Nam etiam homo nondum philosophus, quamprimum aliquotiens oculos aperuit et clausit, clare inter obiectum externum visum et oculum videntem discernit; neque ulla reflexio philosophica illud discrimen tollit. Quid autem subiectivista respondebit, si ex eo quaeritur, unde ipse secundum sua principia scire et dicere possit, quid homines sive philosophi sive non-philosophi cognoscant? Quod dictum est supra de scep-

[1] Philosophie und Weltanschauung, Stuttgart 1911. Opusculum istud tamen melius inscriberetur: Negatio philosophiae et cognitionis mundi.

tico, valet etiam de subiectivista, scil. quod cum ipso vera disputatio esse non possit (cf. n. 438, 3).

459. **Arg. 1** *(ex concessa exsistentia et cognitione affectionum subiectivarum).* Concedunt adversarii exsistentiam affectionum subiectivarum; *atqui* 1. nulla est ratio affirmandi exsistentiam affectionum subiectivarum, quae non sit etiam ratio affirmandi exsistentiam rerum, quae actum subiectivum cognitionis transcendunt et nobis ut in se exsistentes repraesentantur. Et quis est, quin eadem evidentia res extra se positas percipiat qua semet ipsum? et eadem necessitate affirmet exsistentiam ordinis obiectivi qua ordinis subiectivi? Aut igitur et obiectiva certitudo et subiectiva admittenda est, aut neganda utraque[1].

2. Accedit, quod huius scepticismi asseclae ex principiis sui systematis admittere debent exsistentiam affectionum subiectivarum *talium,* quales habent in conscientia sua. Sed inter affectiones subiectivas uniuscuiusque hominis multae sunt, quae non solum percipiuntur ut affectiones solius subiecti neque solum ut *effectae* a rebus in subiecto (id quod adversariis placet), sed praeterea ut *repraesentantes* formaliter illas res. Etsi autem repraesentatio obiectas res non perfecte adaequat, tamen hae res revera exsistere debent eo modo, quo per se repraesentari solent („modum" intellegimus non subiectivum, sed obiectivum); nisi quis putare velit, facultates nostras cognoscitivas nos per se in errorem inducere, et in scepticismum universalem relabendum erit. *Ergo* subiectivismus logice reincidit in scepticismum universalem.

460. **Arg. 2** *(ex concessa exsistentia et vi reflexionis et conscientiae).* Subiectivistae hi, qui scepticismum obiectivum defendunt, admittunt vim ipsam reflexionis perfectae et conscientiam subiecti cogitantis. *Atqui* neutrum admitti potest, omissa certitudine obiectiva. Primo *reflexionem* quod attinet, ea per modum actus secundi redit in actum primum ut in suum obiectum. Si igitur nihil prorsus obiective certum est, ne ipse quidem actus primus et directus, qui est aliquid obiectivum respectu actus secundi reflectentis, certus esse potest. Et ipsa ergo certitudo subiectiva pessumdatur. Deinde *conscientiam* ipsius subiecti cogitantis quod spectat, haec esse non potest sine percepta identitate ipsius subiecti variis temporibus. Quapropter ipse etiam scepticus, quocum rem habemus, tuto profitetur se certo esse eundem hodie, atque heri fuit, vel saltem ante duo minuta. Ut autem percipiatur haec

[1] Cf. *Balmes,* Philos. fundam. tom. I, l. 1, c. 25, n. 251.

identitas, haberi debet certitudo obiectiva de actibus, quibus heri vel ante duo minuta subiectum cogitans perceptum erat. Hi enim actus praesenti temporis puncto praeterierunt, nec ullus actus est, de quo nunc subiective certus esse possum, nisi hic, quem nunc elicio.

Arg. 3 *(ex destructione principii contradictionis).* Si verum est, quod dicunt hi sceptici, nihil obiective certum esse, neque certum obiective erit ipsum principium contradictionis, et a parte rei aliquid simul esse poterit et sub eodem respectu non esse; sed deleta vi obiectiva huius principii iam ipsa certitudo subiectiva pereat necesse est, cum iam cesset omne discrimen inter cognitionem veram et falsam; neque proprie quidquam sciri potest[1].

Arg. 4 *(ad hominem).* Argumenta omnia, quibus adversarii scepticismum obiectivum tuentur, aut obiective vera sunt aut non vera. Si obiective vera sunt, iam sunt saltem aliqua, quae obiective vera sunt. Si non sunt obiective vera, certitudo obiectiva admittenda est.

461. ***Obi. 1.*** Cognitum debet esse in cognoscente: *atqui* in cognoscente non potest esse obiectum a cognoscente diversum: *ergo* solum possibilis est cognitio subiectiva.

Resp. *Dist. mai.:* Cognitum debet esse in cognoscente aut per suam realitatem (entitative) aut per similitudinem (repraesentative, intentionaliter), *conc. mai.;* debet inesse realiter (entitative), *nego mai. Contradist. min., nego cons.* et *consequentiam.*

Obi. 2. Ut veram certitudinem habere possim, actum, quo rem cognosco, rei etiam revera conformem esse cognoscere debeo. Si igitur intellectus cognoscit actum suum, hunc alterum actum, quo primum cognoscit, comparare debet primo itaque tertium ponere, quo cognoscat secundum, atque ita deinceps in infinitum usque.

Resp. Potest quidem intellectus ponere actum secundum, quo penitius inhaereat actui priori; verum id minime est necessarium, cum iam in actu primo intellectus directe percipiens rem, in ipso actus exercitio etiam perceperit suam cum re conformitatem. — At, *inquies*, quomodo cognitionem meam menti immanentem cum re, quae est extra mentem, comparare possum? Qui transitus? ubi pons? qui fieri potest, ut mens e pelle quasi sua exeat in sphaeram, quae sphaeram subiectivam transcendit? *Resp.:* Co-

[1] Quod ipsis his verbis concedit *Fichte:* „Ich weiß überall von keinem Sein und auch nicht von meinem eigenen. Es ist kein Sein. Ich selbst weiß überhaupt nicht und bin nicht. *Bilder* sind, sie sind das einzige, was da ist, und sie wissen von sich nach Weise der Bilder" (Die Bestimmung des Menschen: Werke II, Berlin 1845, 245).

gnitio mea menti immanet entitative, sed intentionaliter fertur seu respicit directe ipsum obiectum; concomitanter et in actu exercito autem simul se ipsam ut talem, i. e. talis obiecti cognitionem percipit. Transitus realis seu pons physicus non requiritur, quia non opus est, ut cognoscens et cognitum entitative uniantur (cf. n. 512).

462. ***Obi. 3*** (cf. Stat. quaest. n. 458). Ens a cogitatione independens cognosci nequit. *Prob.:* Quidquid cognosco, est a me cogitatum; *atqui* omne a me cogitatum a mea cogitatione dependet; *ergo* nequit cognosci ens a cogitatione independens.

Resp. *Nego assert. Ad prob. dist. mai.:* Est solum a me cogitatum, *nego mai.;* potest simul esse in se (subiective) et a me cogitatum (esse obiective in mente), *conc. mai. Contradist. min.:* Ut cogitatum seu ut habet esse obiectivum in mente mea, a mea cogitatione pendet, *conc. min.;* in suo esse proprio subiectivo, *nego min.* Aliis verbis, non possum cogitare rem nisi cogitando, sed possum cogitare rem etiam *esse* extra me et de multis rebus possum certo scire eas etiam fuisse, esse, permanere, quando de iis non cogito.

Obi. 4. Non pugnantia putat, qui totum illum qui nos circumdare videtur conspectum rerum a Deo ut inane quiddam et vanum sensibus nostris obici opinatur. Id autem si non repugnat, esse potest; si esse potest, difficiliter, visum quod inane sit, a vero internoscitur: et ne ullo quidem modo discerni potest, utrum ille mundus realis sit et verus, an visus tantum et apparens.

Resp. id ipsum, quod scite hac de re *Tullius:* „Primum quidem hoc reprehendendum, quod captiosissimo genere argumentationis utuntur, quod genus minime in philosophia probari solet, cum aliquid minutatim et gradatim additur aut demitur. Soritas hos vocant, quia acervum efficiunt uno addito grano. . . . Quis enim tibi dederit, aut omnia deum posse, aut ita facturum esse, si possit? quo modo autem sumis, ut, si quid cui simile esse possit, sequatur, ut etiam difficiliter internosci possit? deinde ut ne internosci quidem? postremo ut eadem sint? ut si lupi canibus similes, eosdem dices ad extremum. . . . Omnium deinde inanium visorum una depulsio est, sive illa cogitatione informantur, quod fieri solere concedimus, sive in quiete, sive per vinum, sive per insaniam. Nam ab omnibus eiusmodi visis perspicuitatem, quam mordicus tenere debemus, abesse dicemus." [1]

463. ***Obi. 5.*** Ea videtur esse omnium hominum condicio, ut nullo modo distinguere possint, utrum in statu vigiliae versentur an in statu somnii. Nemo igitur de veritate earum rerum, quas cognoscere sibi videtur, ulla ratione certus esse potest.

Resp.[2] Nos cum vigilantibus, non vero cum dormientibus vel somniantibus rem habemus; vigilantes autem omnes inter experien-

[1] *Cic.*, Acad. prior. 2, 16.

[2] Mirum est, quantopere haec de discrimine inter vigiliam et somnium dubitatio philosophos vexaverit a Platonis tempore (Theaet. 158 B). Et

tiam sensuum et vana somnia clare distinguunt. Vigilantibus enim visa sunt certa, determinata, ordinata, et re tota et omni ratione ita exhibentur, ut in rebus vere exsistentibus fieri debet[1]. Contra somniantibus quam plurima permixta sunt et confusa et indeterminata. Quod ideo fit, quia in somniis non excitatur sensus communis ad actus suos *secundum normam* a natura intentam, i. e. ab irritatis sensibus externis et excitatis inde nervis sensitivis, sed *praeter ordinem* per irritationem anomalam (velut per vim sanguinis vel pressionem aliam mechanicam) ad procreanda phantasmata excitatur. Ex quo fit, ut somnia, quae interposita vigilia accidunt, nullum inter se habeant nexum, neque ullam seriem ordinatam actionum vel rerum constituant, neque in potestate nostra sit situm, ut eas ordinemus[2].

CAPUT II.

De primitivae certitudinis natura.

464. Postquam scepticismus est reiectus, a quanam certitudine genus certitudinis exoriatur videndum est. Quaeritur igitur, quaenam reapse reperiatur certitudo primitiva.

Difficultas oriri potest, quod omnis certitudo videatur semper aliam supponere certitudinem; non enim videtur philosophus aliquid pro certo habere posse, quod non solida demonstratione probetur; verum omnis demonstratio supponit et praerequirit certas praemissas. Ita difficultas oritur ex re certe admittenda; alia oriri videtur ex parte cognoscentis. Facultatum nostrarum cognoscitivarum infallibilitas cognosci debet, ut his sine formidine timoris fidere possimus. Sed haec infallibilitas cognosci non po-

Platoni ipsi, ut est apud *Augustinum*, tota haec qua circumdamur rerum aspectabilium congeries somnium esse videbatur, ex quo nos philosophia ad vigilandum excitaret. *Cartesius* nos ex sola Dei veracitate scire posse docuit, nos vitam nostram sensitivam non somniare, sed revera vivere. *Spinoza* hanc dubitationem eo solvisse se putavit, quod diceret (De intell. emend. 8, 62) „nullo modo timendum esse, nos aliquid fingere, si modo clare et distincte rem perciperemus". *Locke* id dubitantibus respondit, si omnia essent somnia, etiam hanc dubitationem a somniis alienam esse non posse; quodsi quis serio id dubitare vellet, ipsi de studio conservationis propriae, quod vigilantium proprium esset, recogitandum esse (Ess. conc. hum. underst. 4, c. 11, n. 8). *Leibnizio* satis erat, ut diceret hanc dubitationem propter phaenomenorum combinationem (la liaison des phénomènes) facile solvi posse. *Jacobi* dubitantibus in memoriam revocavit, somnium esse non posse nisi supposita vigilia ut statu ordinario. „Wer nie gewacht hätte, könnte nie träumen; und es ist unmöglich, daß es ursprüngliche Träume, einen ursprünglichen Wahn geben könne" (David Hume über den Glauben: Werke II, Leipzig 1815, 233).

[1] Cf. *Balmes*, Philos. fundam. 2, 3.

[2] Plura hac de re *Palmieri*, Instit. philos. I 177.

test nisi adhibitis facultatibus, quarum infallibilitas in quaestione versabitur.

Ad has difficultates respondebimus thesibus sequentibus.

465. **Thesis 6.** **Prima certitudo est immediata; nam impossibile et scepticum est velle omnia demonstrare, et hoc sensu etiam dubitatio methodica absolute universalis absurda est.**

Ad stat. quaest. 1. *Dubitatio realis et methodica.* a) Dubitatio realis est suspensio iudicii inter utramque contradictionis partem. Est *realis,* quia oritur ex reali defectu motivi sufficientis et consistit in reali formidine errandi per assensum certum praestitum; distinguitur passim in dubium reale positivum et negativum, prout positivae rationes utramque partem suadent, vel alteri parti desunt rationes positivae, alteri adsunt quidem, sed insufficientes. Si enim neutri contradictionis parti adsunt positivae rationes, potius habetur status ignorantiae quam dubii.

b) Dubitatio *ficta* vel *methodica* non consistit in certitudinis absentia, sed in mera *abstractione* a certitudine.

Qui de alicuius propositionis veritate nondum certus, sive observationibus et experimentis sive ratiocinio inquirit, sitne propositio affirmanda vel neganda, versatur in dubitatione reali.

Qui vero, licet de re iam certus, vel eam alii demonstrare vel sibi novum argumentum quaerere vult, debet assumere praemissas, quae independenter a rei demonstrandae certitudine constare possunt. *Abstrahit* igitur a certitudine, quam aliunde habet, et in hac abstractione consistit dubium illud, quod ex modo quo fit dicitur *fictum,* et ex fine propter quem fit, vocatur *methodicum.* Nulla est ratio dividendi dubium tripliciter in reale, fictum, methodicum. Si enim adest dubium reale, methodo simpliciter relinquitur, ut quaerat argumenta apta. Si autem res aliunde certa est, ad fines methodicos sufficit dubium „fictum". Neque divisio dubii in positivum et negativum locum habet in dubio methodico; consistit enim in mera abstractione a certitudine[1].

2. *Demonstratio* definitur: argumentatio legitima ex certis et evidentibus praemissis (cf. n. 280) seu ratiocinatio constans ex propositionibus veris, quae priores sint ac notiores causaeque conclusionis.

3. *Cartesius* dicit, ut perveniri possit ad plenam certitudinem, de omnibus omnino dubium esse tentandum, etiam de evidentissimis, cum forte malo genio aliquo impellamur ad ea pro veris

[1] De dubitatione methodica cf. *Kleutgen,* Philos. der Vorzeit n. 223 sq. Minus clare de hac re loquitur *R. Jeannière,* Criteriologia vel Critica cognitionis certae, Paris. 1912, 111 113.

habenda. In hoc tentamine unam invenit veritatem indubitabilem, nimirum: „Cogito, ergo sum"; ea tanta claritate gaudet, ut dubium sit impossibile. Inde statuit principium: Illud, quod clare et distincte percipitur, verum est. At sic malum genium non videtur exclusum, probanda igitur est exsistentia Dei. Hanc Cartesius demonstrat ex clara et distincta perceptione entis summe boni. Tale autem ens nequit nos in errorem invincibilem inducere. Manet igitur certum, quidquid clare et distincte percipitur. At processus iste incipit a contradictione et finitur circulo vitioso. Dicit de omnibus dubitandum esse, et simul firmiter tenet plurima, scil. rationem saepe errare, differentiam esse inter verum et falsum et rationem dignoscere verum a falso. Dein ut idea clara sit criterium infallibile, requirit exsistentiam Dei, hanc autem ex ipsa idea clara demonstrat[1].

4. Thesis habet duas partes; priore ostendimus generatim, impossibile et scepticum esse omnia demonstrare velle; altera contendimus etiam speciatim, dubitationem methodicam, quae in omni demonstratione de veritatis conclusione adhibetur, non debere nec posse ad omnes omnino veritates extendi.

466. Pars I. Impossibile et scepticum est omnia velle demonstrare[2].

Arg. 1 *(ex indemonstrabilitate principiorum materialium demonstrationis).* In omni demonstratione certitudo conclusionis praerequirit certitudinem praemissarum: *atqui* qui nihil admittit ut certum, quin prius demonstretur, nullas potest habere praemissas certas; *ergo* neque ad conclusionis certitudinem perveniet.

Prob. min. In isto enim supposito praemissae ipsae erunt demonstrandae ex aliis praemissis iterum demonstrandis, et sic porro sine fine.

Arg. 2 *(ex indemonstrabilitate principiorum formalium demonstrationis).* Qui nihil vult admittere nisi demonstratum, neque admittere potest per demonstrationem aliquid certo cognosci posse, nisi prius hoc ipsum demonstraverit; *atqui* hoc non potest demonstrari nisi per aliquam demonstrationem: *ergo* aut in dubio haerere debebit universali, aut contra suam doctrinam nihilominus aliquam veritatem admittit ut certam, quin ipsa prius demonstrata sit.

---

[1] Cf. *Kleutgen*, Philos. der Vorzeit n. 285 sq, *Frick*, Logica[4] n. 248 sq.
[2] *S. Thom.* in l. 1 anal. post. lect. 7.

Arg. 3 *(ex iis quae speciatim praerequiruntur ad argumentationem indirectam).* Demonstratio indirecta seu ad absurdum eo fit, quod ostendatur assertionis contradictorium certo et indubitato principio contradicere; nisi igitur prima principia sine ulla probatione admittantur, iterum inducitur processus in infinitum.

467. Pars II. Neque dubitatio methodica universalis admittenda est.

Arg. 1 *(ex natura argumentationis).* Dubitatio methodica universaliter admissa impossibilem reddit omnem demonstrationem; *ergo* admitti nequit.

Prob. antec. Dubitatio methodica consistit in eo, quod a veritatis certitudine abstrahatur (quin positive et serio in dubium vocetur); *atqui* abstractione facta ab alicuius veritatis certitudine iam nihil certo ex hac veritate inferri potest; nam praemissarum vis demonstrativa formaliter in earum certitudine consistit; *ergo* dubitatio methodica universaliter admissa omnibus praemissis vim probandi adimit omnemque demonstrationem reddit impossibilem.

Arg. 2 *(ex natura dubitationis methodicae).* Dubitatio methodica non consistit in eo, quod mens de aliquo enuntiabili nullo modo cogitet, sed in eo, quod de enuntiabili cogitans ab illius certitudine abstrahat; *atqui* sunt veritates, de quibus mens nullo modo cogitare potest, ita ut abstrahat ab earum certitudine; *ergo* dubitatio universalis methodica est impossibilis.

Prob. min. Menti actu cogitanti de terminis „esse" et „non esse" physice impossibile est, ab eorum evidenti repugnantia et hinc a principii contradictionis evidentia ullo modo abstrahere. Immo metaphysice impossibile est, cum etiam dubii cuiuslibet fictio involvat admissum principium contradictionis.

468. ***Coroll. 1.*** Ergo, qui postulat, ut omnia demonstrentur, nihil demonstrare potest atque ipsam philosophandi possibilitatem destruit. Ad rem *Aristoteles: Ὅλως ἁπάντων ἀδύνατον ἀπόδειξιν εἶναι· εἰς ἄπειρον γὰρ ἂν βαδίζοι, ὥστε μηδ' οὕτως εἶναι ἀπόδειξιν* [1].

Coroll. 2. Ergo ante omnem demonstrationem quaedam ut absolute certa affirmanda sunt, scil. prima principia, quae sunt veritates immediate evidentes. „Certitudo scientiae tota", ait

[1] Met. 4, 4 (1006 a 8).

S. Thomas, „oritur ex certitudine principiorum. Tunc enim conclusiones per certitudinem sciuntur, quando resolvuntur in principia.“ [1]

Coroll. 3. Ergo hae primae affirmationes nec sunt arbitrariae nec sine motivis nec merae suppositiones, ideoque non constituunt „immoderatum dogmatismum“; sed eo ipso, quod sint veritates immediate evidentes, non indigent demonstratione neque demonstrari possunt; habent in se ipsis motivum completum et immediatum ad firmum assensum. Ad rem *S. Thomas:* „Proprium est horum principiorum, quod non solum necesse sit ea per se vera esse, sed etiam necesse sit videri [cognosci, perspici], quod sint per se vera. Nullus enim potest per se opinari contraria eorum.“ [2]

Coroll. 4. Ergo nullo modo statui potest, ut initio criticae esse debeat dubitatio realis universalis negativa methodica, ut vult *Jeannière*[3]. Nam 1° generatim ad aliquam criticam seriam non requiritur dubitatio realis; „nequit homo in duas personas dividi, quarum una rem inquirat, dum altera rem eandem pro certa teneat“, i. e. nequit homo simul de eadem re realiter certus esse et *realiter* dubitare; nulla autem est difficultas in eo, ut quis manens certus methodice dubitet. Si postulatur, ut *serio dubitet,* id ambiguum esse potest; *serio agere* debet, i. e. sincere in inquisitione et argumentatione abstrahere debet a certitudine rei probandae neque eam in praemissis ulla ratione supponere; non autem debet *serio realiter* dubitare de re. 2° idem ipse auctor praemittit „data“ duo problematis critici, scil. certitudines spontaneas et facultatem hominis in eas reflectendi. Data ita explicat: Ea *dari* debent, quibus negatis problema solvi nequit; insuper recte statim monet certitudinem reflexam non essentialiter sed gradu tantum a certitudine spontanea distingui. Postulat igitur ad hoc, ut problema criticae solvi possit, certitudinem spontaneam quidem, sed *veram.* Ergo sibi contradicit postulando dubium *reale* universale (cf. quae de differentia dubii ficti realis et methodici in statu quaest. dicta sunt n. 465). Atque nisi initio criticae positive ut certa admittatur non solum facultas quaelibet reflexionis, sed *facultas vere iudicandi,* non potest ad certitudinem umquam perveniri.

469. ***Scholion 1.*** Quoad usum dubitationis realis et methodicae haec statuuntur:

1. Quae sunt per se immediate evidentia, in dubium vocanda non sunt, neque in dubium reale neque in dubium methodicum.

[1] De verit. q. 11, a. 1 ad 13.
[2] In l. 1 anal. post. lect. 19. [3] Criteriologia 113.

A fortiori de iis dubitandum non est, quae ipsa dubitatione affirmantur. Philosophari enim non est ineptire. Per se evidentia sunt explicanda, declaranda, evolvenda[1]. *Sensu solum aliquo latiore* dubitatio methodica de evidentibus adhiberi potest, quatenus mens per modum *quaestionis* ea sibi proponit et in ea eorumque evidentiam *reflectit*. Omnino falsum est initium philosophiae debere esse dubitationem universalem, sive realem sive methodicam.

2. Illa quae etsi demonstrari possint, tamen aliunde certa sunt, e. g. exsistentia corporum, in dubitationem realem vocanda non sunt; methodica autem dubitatio in iis utilis est, ut melius perspiciatur, quibusnam et quam firmis fundamentis eorum certitudo innitatur. In ipsa demonstratione eatenus semper adhibetur dubitatio methodica de conclusionis veritate, quatenus praemissae eam supponere non debent.

3. Dubitatio realis est adhibenda in iis, quae neque immediate evidentia sunt neque certa adhuc demonstratione probata, et proinde rationabilem dubitationis causam praebent. In horum dein veritate investiganda accurate determinandus est status quaestionis.

470. ***Scholion 2.*** Cum igitur non solum omnis demonstratio ultimatim nitatur in principiis absque demonstratione certis, sed ne dubitare quidem mens possit nulla omnino re certo admissa, iam patet initium philosophiae non esse dubium universale, neque reale neque methodicum, sed in *attentione reflexa* ad certitudinem naturalem et primitivam. Illud igitur solum reflexione considerandum restat, quaenam et quot sint illae veritates, quae non solum serio in dubium vocari nequeant, sed a quarum certitudine mens ne abstrahere quidem perfecte possit, quin incapax reddatur omnis ulterioris certitudinis omnisque inquisitionis rationabilis. Quod declarabitur thesi 7ª.

Obiectiones vide post thesim 7ªm.

471. **Thesis 7.** **Cum multa sint, quae nec possunt demonstrari nec debent, primitivae tamen veritates, quas ante omnem philosophicam inquisitionem tamquam fundamenta certitudinis ponere necesse est, sunt tres:**

1. *factum primum,* quod est propria exsistentia;
2. *principium primum,* quod est contradictionis principium;
3. *condicio prima,* quae est aptitudo facultatum cognoscitivarum ad assequendum cognitione id, quod revera *est.*

Ad stat. quaest. 1. Tres enumerantur veritates, quae non solum ut immediate evidentes nullius demonstrationis indigeant

[1] *Kleutgen,* Philos. der Vorzeit 524 527—531.

neque ullius sint capaces, sed etiam demonstrationem omnem tamquem veritates primitivae et tamquam fundamenta omnis certitudinis praevertere debeant. Quattuor ergo demonstranda suscipimus: primo veritates illas omnem demonstrationem fugere. Neque negamus principia illa monstrari posse indirecte, scilicet „contradicendo negantibus illa per ea, quae oportet ab iis concedi, non per ea, quae sunt magis nota“ [1]. Attamen ei qui veritates primitivas negaverit, ne indirecta quidem demonstratio manet, sed logice haeret in absurditate scepticismi.

2. Secundo loco veritates illas esse primitivas dicimus. Qua voce significare volumus, in suo quamque ordine primam esse, quae pro iudiciorum nostrorum certitudine per se directe momentum habeat.

Nolumus igitur dicere tres illas esse quasi fontem, ex quo cognitio omnis haurienda sit, quasi veritates ceteras omnes in illis tribus videamus et ex ipsis ratiocinando extrahamus. Hoc enim modo nulla omnino est veritas, quae pro mente nostra sit primitiva (cf. n. 22).

3. Tertio illas veritates dicimus in iudicio omni implicite affirmari.

Et hoc loco iudicium non mere obiectivum attendimus, ut est res iudicata sive veritas affirmata, sed iudicium ut est *actus* mentis rem obiectivam cognoscens et affirmans. Si enim iudico *Deum exsistere*, res iudicata in se obiective spectata a mea exsistentia meaque ad cognoscendum aptitudine non pendet. Itaque de iudicio subiective accepto agitur, quod firmitatem assensus includit. – Implicite illas contineri dicimus. Etsi enim una alterave explicite etiam affirmari potest, tres tamen simul uno iudicio explicite affirmari non possunt.

4. Quarto tandem tres illas veritates enumeratas tamquam fundamenta certitudinis affirmamus cognitioni omni subicienda esse.

Ad fundamenti rationem non solum necesse est, ut veritas, de qua agitur, nullam aliam cui innitatur notitiam supponat, sed praeterea oportet, ut mens ea veritate sive explicite sive implicite cognita de iis, quae cognovit, certa esse possit, ea autem in dubium vocata, omnis certitudo desinere debeat.

Si igitur tres illas veritates primo ut in se certas et indubitatas, deinde in suo quamque ordine primam, tertio omni iudicio certo inesse, quarto denique etiam ut fundamenta necessaria subesse per quattuor partes ostenderimus, id quod hac in thesi nostrum est, omnino praestitisse nobis videmur.

[1] *S. Thom.* in l. 1 anal. post. lect. 20.

472. Pars I. Nec possunt nec debent demonstrari.

1. Demonstrari *non potest* a) *factum primum.* Factum enim exsistentiae propriae alia ratione demonstrari non posset, nisi aliquam proprii animi affectionem in praemissis affirmando, velut: *cogito, volo, sentio,* et inde deducendo: *ergo sum.* Sed eius generis argumentatio est petitio principii.

Qui enim in praemissis „se cogitare" ponit, is nil aliud affirmat nisi „se esse cogitantem". Ergo in praemissis ipsa exsistentia propria, de qua quaeritur, iam formaliter et directe affirmata est.

Quamvis igitur me ipsum intervenientibus affectionibus meis cognoscam, tamen non primo affectiones has in abstracto cognosco, ex quibus cognitis ad cognitionem mei ipsius progrediar, sed statim ab initio me ipsum sic affectum cognosco sive me ipsum in affectionibus mecum quasi concretis, et deinde per abstractionem affectiones ut formas quasi a subiecto distinguo, cum dico: Ego sum cogitans [1].

b) Neque *principium primum,* quod contradictionis vocant, demonstrari potest. Omne enim ratiocinium necessitatem veritatis suae ab hoc principio nanciscitur; illud ergo demonstrationi cuilibet supponendum est.

c) Neque *condicio prima,* quae est aptitudo mentis ad verum cognoscendum, ulla ratione demonstrari potest. Ante enim demonstrationem omnem supponendum est rationem nostram, cuius opus est demonstratio, cognoscendae veritati aptam esse et parem.

473. 2. Neque *indigent* demonstratione. Illa veritas nullius eget demonstrationis, quae non solum per se manifesta est, sed ipsa ne dubitari vel negari potest, quin implicite affirmetur; *atqui* quicumque deliberate dubitat vel aliquid negat, id facit, quia refugit falsum ideoque implicite affirmat falsum non idem esse ac verum, i. e. affirmat principium contradictionis, et quidem *a se actu cognitum ut verum,* ideoque simul implicite affirmat suam exsistentiam et mentis suae aptitudinem ad verum a falso distinguendum; *ergo* istae tres veritates non indigent demonstratione.

474. Pars II. Tres illae veritates sunt primitivae relate ad omnem nostram cognitionem.

In *ordine ontologico* primum principium est principium contradictionis; enascitur enim immediate ex ipsa universalissima ratione entis. In *ordine autem subiectivo seu cognitionis* primum requisitum est ipsa exsistentia cognoscentis. *Nexus* autem inter ordinem ontologicum et logicum primo habetur ex mentis *vi cognoscitiva;* haec enim relatio *cognoscitivitatis* (aptitudinis mentis ad

[1] Cf. *Kleutgen,* Philos. der Vorzeit n. 328.

verum) et *cognoscibilitatis* (rerum seu earum intellegibilitatis seu evidentiae) est prima et maxime necessaria condicio cognitionis, veritatis, certitudinis. Neque ulla analysi ulteriore istae tres ad simpliciores et priores in suo ordine reduci possunt; sunt igitur vere primitivae veritates.

475. Pars III. Tres istae veritates in omni certo iudicio implicite continentur et affirmantur.

Argumentum *(ex analysi assensus certi).* Quicumque certum iudicium ponit de quacumque veritate, explicite affirmat eam rem ita esse, implicite autem (et in actu exercito) dicit *se actu certo cognoscere rem ita esse* et quidem necessario, seu *aliter* eam (saltem hic et nunc) esse *non posse* nec sine errore aliter dici posse; *atqui* hoc est implicite quidem, sed certo affirmare suam exsistentiam, principium contradictionis, aptitudinem mentis ad verum assequendum; *ergo* in omni iudicio implicite *affirmantur* hae tres veritates.

Potest quidem iudicium directum de ipsius rei veritate, v. g. Deus exsistit, sequi reflexum iudicium alterum, quod directe fertur in priorem actum: meum iudicium, Deum exsistere, est certum. Hoc autem iudicio altero reflexo non novus status cognitionis seu certitudinis enuntiatur, seu non dicitur vere novi quidquam; sed tantum explicite et in actu signato effertur, quod iam implicite et in actu exercito in priore actu continebatur.

476. Pars IV. Tres istae veritates sunt omnis certitudinis fundamentum necessarium et sufficiens.

1. *Requiruntur:* a) *Factum primum.* Nam certa scientiae assecutio non solum exsistentiam, sed etiam propriae exsistentiae cognitionem involvit. Cognitio enim certa est, qua quis *sibi* cum certitudine rem cognitam repraesentat; qui igitur non certo cognoscit se exsistere, sibi cum certitudine rem obiectam repraesentare nequit.

b) *Principium primum.* Nam certus esse non potest quis de ulla re, nisi intellegat rem ita esse et aliter simul esse non posse; hoc autem dicit cognoscere principium contradictionis.

c) *Condicio prima.* Qui enim non certus est de mentis suae *aptitudine* ad verum assequendum, ille dubitare debet a fortiori de vera cognitione *actuali* quacumque.

2. *Sufficiunt;* nam inter veritates, quae demonstratione non indigent praeter istas tres nulla alia est veritas primitiva, ab his tribus *vere* et *proprie distincta,* quae in *omni* iudicio certo includatur et ut fundamentum requiratur.

Affirmatur quidem in omni iudicio certo non solum aptitudo veri assequendi, sed actualis veritatis assecutio, haec tamen non

est nisi actus illius aptitudinis et in hac nititur. Affirmari dicitur principium identitatis, sed istud non est nisi alia expressio principii contradictionis. Affirmari dicunt etiam principium rationis sufficientis; hoc autem principium ut principium ontologicum reducitur ad principium contradictionis; ut condicio logica reducitur ad aptitudinem mentis distinguendi verum et falsum. Neque in iudicio, quo quis affirmat v. g. ipsum principium contradictionis (seu identitatis), ullo modo continetur affirmatio formalis implicita *principii* rationis sufficientis *(ontologici)*.

477. ***Scholion 1.*** Quamvis factum primum, principium primum et condicio prima recte dicantur veritates primitivae, tamen ut vim suam qua fundamentum exserant, debent implicite apprehensae seu *cognitae* esse. Ipsa vera *cognitio* actualis harum veritatum non est veritas primitiva; non enim est primum factum, sed supponit iam factum exsistentiae subiecti, sed est condicio, ut vim suam exerceant; non tamen est condicio prima, quia supponit iam aliam condicionem, nempe aptitudinem mentis ad cognoscendum.

Scholion 2. Cum quaeritur, quomodo hae tres veritates sint simul fundamentum veritatis eo casu, quo una ex ipsis his tribus est obiectum iudicii, e. g. Ego exsisto, respondendum est tunc ad certitudinem sufficere affirmationem implicitam aliarum duarum et explicitam huius.

478. ***Obi. 1.*** A philosopho omnia demonstranda sunt. *Prob.* Philosophia est cognitio rerum per causas ultimas; *atqui* causae ultimae sine demonstratione certo cognosci non possunt; *ergo* omnis cognitio certa philosophica est ex demonstratione.

Resp. *Nego assert. Ad prob. Conc. mai. Dist. min.:* Causae ultimae extrinsecae rerum non cognoscuntur sine ratiocinio et demonstratione, *conc. min.;* causae (seu rationes) ultimae intrinsecae, *subdist. min.:* In multis rebus non cognoscuntur immediate, *conc. min.;* nullae immediate cognoscuntur, *nego min. Pariter dist. cons.:* Cognitio philosophica *totalis* non est possibilis sine multiplici demonstratione, *conc. cons.;* nulla res seu veritas potest philosophice certa esse sine demonstratione, *nego cons.*

Ad principium contradictionis cognoscendum sufficit cognitio simplicissimae et primitivae rationis entis ut sic: ex qua ipsum principium etiam philosopho immediate et absolute certum est. Verum tamen est cum philosophum perfectius id cognoscere, qui perspexit etiam ultimam rationem omnis entis, scil. ens a se, Deum.

479. ***Obi. 2.*** Factum primum demonstrari potest. Recte argumentatur Cartesius: Cogito, ergo sum.

Resp. *Nego assert. Ad prob. negatur,* nam praemissa formaliter includit iam ipsum consequens.

Inst. *Atqui* est legitimum enthymema. Praemissa dicit meram identitatem inter ego et cogitans, scil. ego sum (nominaliter per modum copulae) cogitans; minor (vel maior) omissa dicit: quidquid cogitat exsistit; si igitur complete explicatur, argumentatio est haec: Omne cogitans est exsistens; *atqui* ego sum aliquod cogitans; *ergo* ego sum exsistens. Est syllogismus legitimus primae figurae in Darii, vel cum propositio singularis aequivaleat universali, in Barbara.

Resp. *Nego assert.*, scil. esse legitimum ethymema. *Ad prob.* Cogitans in praemissis aut sumitur pro exsistente (actuali) cogitante, et tunc maior dicit: Omne quod exsistit et cogitat, exsistit, et minor: Ego sum exsistens et cogitans, et evidens est conclusionem in minore iam affirmari: aut cogitans etiam sumitur solum nominaliter, uti v. g. si quis dicit: Possibilis est homo cogitans (vel: post saeculum creabitur cogitans), et nulla sequitur exsistentia illius cogitantis.

480. ***Obi. 3.*** Principium primum demonstrari potest.

a) *Aristoteles* ipse nihil simul esse et non esse inde demonstrat, quod fieri non possit, ut idem simul affirmetur et negetur[1].

Resp. Ita *formulam* logicam et formulam metaphysicam principii inter se cohaerere ostendit, ipse tamen disertis verbis negavit principium illud simpliciter demonstrari posse, cum sit primum[2].

b) *Ueberweg:* Principium contradictionis et potest et debet demonstrari. *Potest:* Nam hoc principium per analysim natum est ex conceptu veritatis, iudicii, affirmationis, negationis; ex quibus conceptibus accurate definitis sine ulla difficultate principium illud deduci potest. *Debet:* Qui enim multae illae controversiae, quae apud philosophos hac de re dicentes in multas partes trahunt, umquam componi possint, nisi hoc principium vere demonstretur?[3]

Resp. *Dist. assert.:* Potest et debet explicari, declarari, *trans. assert.;* vere potest et debet demonstrari, *nego assert.*

Inst. *Sed revera ita demonstratur:* Veritas *affirmationis* idem est atque repraesentationum convenientia cum rei realitate; ergo etiam idem atque falsitas negationis. — Veritas autem negationis idem est atque repraesentationum difformitas a rei realitate; ergo etiam idem atque falsitas affirmationis. Ergo si affirmatio vera est, negatio falsa est; et si negatio vera est, affirmatio falsa est. *Quod erat demonstrandum*[4].

Resp. Haec declaratio admitti potest ut principii a sua forma metaphysica (nihil potest esse et non esse simul) ad formam logicam (iudicia contradictoria nequeunt simul vera vel simul falsa esse) traductio. *conc.;* est vera demonstratio principii, *nego.* Nam omnia quae in praemissis asseruntur, illud iam continent et supponunt.

---

[1] Met. 4, 4 (1006 a 5).

[2] Cf. Met. 4, 3 (1005 b 33), cuius ultima verba: *Φύσει γὰρ ἀρχὴ καὶ τῶν ἄλλων ἀξιωμάτων αὕτη [ἡ δόξα] πάντων* (cf. etiam c. 4).

[3] System der Logik § 77. [4] Ibid.

481. ***Obi. 4.*** Non sunt tres, sed una tantum est veritas primitiva, scil. principium contradictionis. *Prob.* Veritas et necessitas propositionis metaphysicae et immutabilis (v. g. bis bina sunt quattuor) non potest fundari in re contingenti; *atqui* factum primum et consequenter condicio prima sunt veritates contingentes; *ergo* solum principium primum est veritas primitiva.

Resp. *Nego assert.* vel *dist.:* Est unica veritas in ordine mere ontologico, *conc. assert.;* relate ad nostram certam cognitionem, *nego assert.*

Ad prob. Dist. mai.: Veritas obiectiva propositionis necessariae nequit fundari in re contingenti, *conc. mai.;* certa istius veritatis cognitio non potest pendere a cognitione alicuius facti contingentis, *subdist. mai.:* Non potest pendere a facto contingenti inconexo cum ipsa cognitione certa, *conc. mai.;* a facto intime conexo et incluso in certa cognitione, *nego mai. Dist. min.:* Factum primum exsistentia propria est factum contingens inconexum cum cognitione, *nego min.;* est factum contingens intrinsece conexum, inclusum in omni cognitione certa, *conc. min. Pariter dist. cons.* (sicut assertum), scil. in ordine mere ontologico, *conc. cons.;* in relatione ad nostram certam cognitionem, *nego cons.*

Inst. Atqui neque certa cognitio pendet a facto primo. *Prob. min. subsumptam.* Sane etiam abstractione facta ab hoc, utrum ego actu exsistam necne, iudicare debeo de circulo, eum esse rotundum neque quadratum: ad hoc potius asserendum, quam contradictorium nihil prorsus confert cognitio meae propriae exsistentiae. Immo necessario iudico, circulum etiam me non exsistente vel ad cognoscendum inepto manere rotundum, et non posse fieri quadratum. *Ergo* factum primum nullo modo est veritas primitiva.

Resp. *Dist. min. subsumptam:* Certa cognitio non pendet a facto primo tamquam a criterio vel motivo assensus, *conc. min. subs.;* tamquam a condicione, *nego min. subs.*

Ad prob. Dist. antec.: Abstractione facta a propria exsistentia verum manet et necessario verum, circulum non esse quadratum, *conc. antec.;* possum ego *certo cognoscere,* i. e. *scire me recte et vere iudicare* circulum non esse quadratum, quin simul certus sim et iudicem me esse et recte cognoscere, *nego antec. Pariter dist. cons. sicut min. subs.*

Inst. *Atqui* alius est actus, quo intellego rem, et alius, quo intellego me intellegere rem, seu quo certus sum de re et quo certus sum de mea cognitione; prior actus nondum, sed solum alter supponit cognitionem propriae exsistentiae; *ergo* factum primum non est veritas primitiva pro omni certitudine. (Ita fere *Mercier.*)

Resp. *Dist. antec.:* Actus reflexus novus *potest* addi, *conc. antec.;* actus prior, quo certo iudico rem esse, non iam simul in actu exercito dicit: Ego actu cognosco rem esse, *nego antec.* Non *praecedit* cognitio harum veritatum primum aliquod iudicium, sed in omni etiam primo certo iudicio quilibet intellectus *simul* percipit et affirmat istas veritates.

482. ***Obi. 5*** (contra partem secundam). Non sunt primitivae, nam ulterius reduci possunt ad principium rationis sufficientis.

Resp. *Nego assert.* Principium rationis sufficientis tum in ordine ontologico tum in ordine cognitionis nostrae fundatur in principio contradictionis. In *ordine ontologico* rationem requiri, ut aliquid sit (potius quam non sit), iam supponit principium contradictionis, i. e. differentiam inter esse et non esse. Atque idem valet in *ordine cognitionis.*

Obi. 6. Principio contradictionis prius est principium identitatis.

Resp. Principium identitatis non nisi forma, nullo modo re differt a principio contradictionis.

Obi. 7. *Non sufficiunt.* Si enim ad certitudinem requiritur, ut cognoscam me vere exsistere, etiam videtur requiri, ut non solum cognoscam aptitudinem mentis, sed etiam actualem veram cognitionem; *ergo* sunt quattuor veritates primitivae.

Resp. *Dist. antec.:* Revera in certo iudicio etiam actualem veram cognitionem cognosco et exprimo, *conc. antec.;* et haec est veritas a facto primo et a condicione prima adaequate distincta, non ad ipsas reducenda ideoque quarta aeque primitiva veritas, *nego antec.;* et sub data distinctione *nego cons.*

483. ***Obi. 8.*** Exsistentia Dei est unica veritas primitiva.

Prob. Omnis veritas ultimum suum fundamentum habet in exsistentia Dei; *ergo* exsistentia Dei est unica veritas primitiva.

Resp. *Dist. assert.:* Exsistentia Dei seu Deus est prima veritas in ordine ontologico absolute considerato, *conc. assert.;* est prima veritas ordinis ontologici a nobis cognoscenda (cui innitatur nostra certitudo), *nego assert. Ad prob. Conc. antec. Pariter dist. cons.*

Inst. *Atqui* etiam relate ad cognitionem nostram exsistentia Dei est prima veritas.

Prob. Quicumque negat vel in dubium vocat exsistentiam Dei, ad scepticismum logice perducitur; *ergo* etiam omnis certitudo nostra nititur in Dei exsistentia certo cognita.

Resp. *Nego min. subs. Ad prob. Dist. antec.:* Immediate, *nego antec.;* mediate et consequenter, quatenus ex ipsis rebus ab illo certo admissis (exsistentia rerum finitarum) ope principii contradictionis adigi potest, ut aut agnoscat Deum exsistere, aut sibi contradicat et hinc denegato principio contradictionis neget omnem certitudinem, *conc. antec.*

Pariter dist. cons.: Quatenus in illa primo cognita innitatur, *nego cons.:* quatenus negata Dei exsistentia ducat in contradictionem, *subdist. cons.:* aliis veritatibus iam certo admissis, *conc. cons.;* nulla alia iam certo admissa, *nego cons.*

484. **Thesis 8.** **Veritas primitiva condicionis primae, i. e. aptitudinis mentis ad cognoscendum, dicit intellectum nostrum esse per se infallibilem, etiamsi falli possit per accidens.**

Ad stat. quaest. 1. Fallibilis proprie dicitur is, qui in ordine cognitionis errare et iudicium, quod a rebus diversum sit, proferre potest. Qui errare non potest, dicitur infallibilis.

Per se infallibilis est, qui ad consequendum verum ex sua natura aptus est et ordinatus, ita ut numquam in errorem incidat, si actum recte secundum suam naturam ponat. Unde fallibilis per se ille est, qui etiam in actibus secundum indolem suae naturae positis a vero deficere et falso adhaerere potest. Fallibilis *per accidens* est, qui propter causam suae naturae extrinsecam errare potest.

Infallibilis *ex toto* (absolute, simpliciter) est, qui nullo modo, neque per se neque per accidens, falli potest.

2. Si homo spectatur pro toto complexu facultatum suarum, dici potest et debet esse fallibilis *per se;* in eo enim complexu facultatum reperitur id, quo homo in errorem ferri potest citra aliam causam homini externam (v. g. influxus passionum vel voluntatis mentem in iudicium praecipitans). Non igitur dicimus in thesi *hominem* per se infallibilem esse, sed id affirmamus de intellectu.

3. Non potest nec debet thesis proprie demonstrari, cum sit ipsa veritas primitiva aptitudinis mentis seu condicio prima; sed reflexe dumtaxat explicanda est per attentam considerationem terminorum.

485. **Pars 1. Intellectus per se infallibilis est.**

Arg. 1 *(ex absurditate scepticismi universalis).* Aut intellectus est per se infallibilis, aut admittendus est scepticismus universalis; *atqui* scepticismus universalis absurdus est; *ergo* intellectus est per se infallibilis.

Prob. mai. Facultas per se fallibilis est ex se et natura sua indifferens ad verum et falsum; ideoque omnino inepta est ad distinguendum et discernendum; *ergo* ad *certum* iudicium vere incapax est, et sic ruit omnis certitudo et manet aut scepticismus absolutus aut si mavis ignorantia totalis, neque adest facultas, quae vere cognoscitiva dici potest.

Arg. 2 *(positive declarativum ex conceptu potentiae).* Quaevis potentia naturaliter tendit ad suam perfectionem (seu bonum suum); *atqui* perfectio propria intellectus est *veritas; ergo* intellectus est per se infallibilis.

Ad rem *S. Thomas:* „Nulla potentia cognoscitiva deficit a cognitione sui obiecti nisi propter aliquem defectum aut corruptionem suam, cum secundum propriam rationem ad cognitionem talis obiecti ordinetur; sicut visus non deficit a cognitione coloris, nisi aliqua corruptione circa ipsum exsistente. Omnis autem defectus et corruptio est praeter naturam, quia natura intendit esse et perfectionem rei. Impossibile est igitur, quod sit aliqua virtus cognoscitiva, quae naturaliter deficiat a recto iudicio sui obiecti. Proprium autem obiectum intellectus est *verum*. Impossibile est igitur, quod sit aliquis intellectus naturaliter circa cognitionem veri aberrans."[1]

486. Pars II. Falli potest per accidens.

Ex priore parte thesis constat intellectum non esse per se fallibilem; cum autem evidenter pateat eum passim errare, non tam probandum quam explicandum est eos errores esse per accidens. Per accidens errare potest facultas cognoscitiva, quae in activitate sua pendet a condicionibus sibi externis: potest enim in illis condicionibus aliquid deesse. In agnoscendo vero sibi cum debita claritate proposito intellectus errare non potest; quando autem deest rei evidentia, potest voluntatis influxu inclinari ad citius et male assentiendum. Quae postea magis patebunt.

487. ***Obi. 1.*** Quod cui accidere potest, illi forte semper accidit: *atqui* intellectui nostro (ex parte secunda) accidere potest error; *ergo* forte illi semper accidit errare, et sic dici debet fallibilis per se.

Resp. *Dist. mai.:* Quod cui accidere potest ex indifferentia interna, illi forte semper accidit (ut corpori alicui ad certos colores indifferenti accidere potest, ut semper sit album vel semper nigrum), *conc. mai.;* quod cui contra naturam ex defectu condicionis ipsi naturae extrinsecae accidere potest, forte semper illi accidit, *nego mai. Contradist. min.:* Intellectui nostro error accidere potest ex indifferentia interna ad verum et falsum, *nego min.;* accidere potest contra naturam ex defectu alicuius condicionis naturae extrinsecae, *conc. min., nego cons.,* in quo attendi debet, cum quo iungatur particula semper: scil. intellectus noster nullo modo est ita fallibilis, ut possit „semper falli", sed utique cum dependeat in exercitio suo a condicionibus quibusdam, semper est talis, qui per accidens, aliquando, in aliqua re falli potest, i. e. non est positive et ex toto infallibilis.

Obi. 2. Illa facultas est fallibilis per se, cuius natura excludit infallibilitatem: *atqui* natura nostri intellectus utpote finita excludit infallibitatem; *ergo* intellectus noster est fallibilis per se.

Resp. *Dist. mai.:* Cuius natura excludit solum infallibilitatem ex toto, non tamen infallibilitatem limitatam, *nego mai.;* cuius natura omnem etiam

[1] S. c. gent. 3, 107, Adhuc, Nulla potentia.

limitatam sed veram infallibilitatem excludit, *conc. mai. Contradist. min.:* Natura intellectus finita excludit infallibilitatem simpliciter absolutam ex toto, *conc. min.;* excludit omnem infallibilitatem limitatam ad certum ambitum obiectorum, *nego min.*

Potest revera in multis suis iudiciis errare intellectus creatus, sed non est intellectus verus, qui non valeat ad ulla iudicia adeo certa pervenire, ut in iis non solum errare nequeat, sed immo nequeat nescire istorum iudiciorum veritatem et certitudinem infallibilem.

Disputatio II.

De motivis sive mediis (fontibus) assequendae veritatis et certitudinis.

(Criteriologia.)

488. **Huius disputationis finis et scopus.** Ex iis quae disputatione priore cognovimus, certum est nos veram certitudinem acquirere posse. Finis criticae igitur seu theoriae cognitionis (noeticae, Erkenntnislehre) non is esse potest, ut a dubio universali profecti inquiramus, possitne esse vera certaque cognitio, sed vis singulorum fontium cognitionis accurate declaranda est. Quae reflexa attentio in singulos fontes evidentius etiam ostendet adhaesionem illam naturalem et primitivam, qua homo sola natura duce multas res ut omnino certas et veras amplectitur, per se esse veram et proprie dictam certitudinem, a certitudine illa reflexa, quam philosophicam vocant, non quoad rem et essentiam, sed quoad modum tantum et perfectionis gradum diversam.

Non uno modo et una via omnes nostras cognitiones acquirimus; alia est via, alia sunt media, quibus immediate cognoscimus certam exsistentiam rerum singularium, alia, quibus veritates universales et ab experientia et rerum contingentium exsistentia independentes, vel etiam a propria observatione remotas.

489. **Medium seu fons cognitionis** seu quid sit cognitionis medium, fons, motivum, criterium, condicio. Medium dicitur quidquid quocumque modo iuvat ad aliquid efficiendum vel obtinendum; distinguitur in *medium quo* et *medium quod*. Medium quo cognitionis *primarium* est *medium subiectivum* et consistit in ipsa facultate cognoscitiva eiusque actibus. Medium quo *secundarium*. est omne id, quod ad cognitionem gignendam quocumque modo ita concurrit, ut ipsum non debeat cognosci, v. g. aër pro auditu et eiusmodi. *Medium quod* seu *medium obiectivum* cognitionis certae est omne id, quod menti se obiciens seu obiective

se sistens veritatem aliquam menti certo manifestare valet. Atque haec *media quae* proprie dicuntur cognitionis *fontes*.

Quidquid habet rationem *fontis*, realiter spectatum etiam est *criterium* veritatis ac certitudinis *motivum*, non tamen vice versa. Ratione tamen haec tria distinguuntur. *Fons* dicitur aliquid, quatenus est medium *novae* cognitionis acquirendae, *criterium* autem qua distinctivum veri et falsi, *motivum* denique qua movens mentem ad assensum. Nec possunt haec tria simpliciter converti inter se; licet enim unum sit universale veritatis criterium et ultimum certitudinis omnis (naturalis) motivum, non tamen exsistit unus communis fons, ex quo omnium rerum nobis cognoscibilium notitiam haurire valeamus.

Porro distingui debet fons etiam a *condicione* et a *fundamento*.

Condicio est omne id, quod ad cognitionem praerequiritur, quin tamen qua tale veritatem obiective manifestet, v. g. sanitas mentis, status vigil. *Fundamentum* autem a mera condicione differt eo, quod condicio adesse debeat, non autem per se necessario supponatur ut cognita; fundamenti vero nomine intellegitur illa veritas, in qua cognita omnis certitudo ultimatim innititur. Non est necessario simul fons alterius cognitionis.

Definitur igitur medium quod seu fons cognitionis: principium obiectivum, per quod cognitum veras certasque cognitiones mens acquirere seu iudicia vera certaque sibi comparare potest.

490. **Mediorum seu fontium divisio.** Media, quibus intellectui materia cognitionum suppeditatur, ad tria revocari solent: *experientiam* (obiective spectatam), *intellegentiam* (ideas obiectivas) *auctoritatem*. Duo fontes priores vocantur fontes interni, scil. rei cognoscendae, auctoritas fons externus est. Experientia dividitur in externam et internam, intellegentia in immediatam et mediatam (per ratiocinium). Inde aliqui enumerant fontes quinque, qui tamen ad istos tres recte reducuntur.

Ex ordine igitur de experientia, intellegentia, auctoritate dicendum est. Si de factis contingentibus agitur, motivum est experientia; si de veritatibus necessariis, est intellegentia; si de veritatibus, quas non ipsi cognovimus, sed aliis testibus cognitas habemus, motivum est auctoritas. Possunt autem ad aliquam veritatem, quando cognitio est mediata, plures diversi fontes concurrere, uti v. g. fit in conclusione ex veritate universali et facto experimentali. Hic modus mediatus non est speciatim tractandus.

CAPUT I.

De medio seu fonte primo, i. e. de experientia.

491. **Experientia quid sit.** Experientia ille modus cognoscendi appellatur, quo obiectum singulare immediate ipsi percipimus. Experientia sive cognitio experimentalis hominis incipit a sensatione; verum natura humana tali modo statuta est, ut sensationi iungatur intellectus. Cum actu sensus externi, quo obiectum coloratum videmus vel durum tangimus, in homine vigili et sano coniungitur perceptio ipsius mentis; idem valet de sensu interno, quo v. g. dolorem sentimus. Praeterea proprium est omnis actus intellectivi (cognitionis, iudicii, volitionis deliberatae), ut ipse actus menti intentionaliter praesens sit seu conscius; et potest mens etiam reflexione perfecta in suum actum redire.

Ut autem cognitiones his facultatibus acceptae debito modo ad utilitatem eam adhiberi possint, propter quam a natura datae sunt, praesto est *phantasia* et *memoria*. Quae quamquam cognitiones novas ex se non praebent, quia tamen cognitionem naturaliter iuvant, hoc loco silentio praeteriri non possunt.

Primo igitur de sensibus externis dicemus[1]; secundo ad sensum internum et conscientiam advertemus animum; tertio disputabimus de experientiae adiumentis, phantasia et memoria, quantum huic loco satis est.

SECTIO I.

De experientia externa.

492. *Notiones praemittendae.* Extra omnem controversiam positum est, unumquemque nostrum videri sibi sensibus externis percipere res, quae revera sint extra nos, idque summa cum certitudine. Et *directe* quidem omnis homo has res externas tamquam immediate sibi obiectas percipere arbitratur, neque est qui putet se percipere imagines, ex quibus ad res externas ut ad imaginum causas efficientes ratiocinio concludat.

---

[1] „Exemplum veterum secuti, prius de sensu externo disputamus quam de sensu interno. Qua procedendi ratione iis aperte adversari volumus, qui opinantur nos prius percipere in recto affectiones internas quam res externas.“ Ita auctor ad hunc locum in nota dixit. Editor, quamvis in sua Logica alterum ordinem secutus sit, nihilominus in hac nova editione huius operis ordinem ab auctore volitum retinendum esse censuit. Ratio enim allata bona ac solida est; et licet inversio ordinis non contineat negationem illius rationis ut verae, tamen eo minus etiam speciem seu apparentiam dissensus admittere voluit, quo firmius ipsi persuasum est de eius rationis *veritate* (cf. n. 528, ad finem).

Perscrutantes autem diligentius, detegimus intervenire in perceptione hac quasdam organorum affectiones, quarum ope nos res illas directe cognoscere putamus; has tamen affectiones, quas *sensationes externas* vocant, eodem actu *externo* sensationis non percipimus (non *videmus* oculum eiusque alterationem), sed sensu *interno* quo sensatio externa completur. Sensatio ita perfecta recte describitur: cuiusdam impressionis ab obiecto praesente provenientis experientia, qua obiectum illud immediate percipere nobis videmur ex persuasione naturali.

Itaque sensationem introducit organi materialis modificatio ex externi agentis actione proveniens. Organum externum cum organo sensitivo communi coniunctum et ab anima informatum sub impressione obiecti elicit actum cognitionis sensitivae. Uti iam notavimus (n. 491), in homine, cuius una anima est simul intellectiva, cum sensatione iungitur obiecti sensati cognitio intellectualis: et cum sensationibus sequentibus iungitur memoria priorum cognitionum.

493. Ipsae *sensationes*, ut omnes actus cognoscitivi, dupliciter considerari possunt, primo ut sunt subiecti affectiones, et ut sunt obiecti perceptiones. In quantum sunt subiecti affectiones, proxime sunt obiectum conscientiae; accuratior autem inquisitio in earum intrinsecam naturam, in modum quo exsistunt et fiunt, est philosophiae realis, et quidem psychologiae (et quoad alterationem corpoream, etiam physiologiae). Consideratae vero ut sunt rerum repraesentationes sunt medium (fons) cognitionis certae, et ita pertinent ad obiectum logicae. De sensationis igitur valore obiectivo et veracitate nobis agendum est.

494. Conspectus historicus.

1. *Antiqui.*

Veracitas et valor obiectivus sensationum, iam ab antiquis saepe impugnatus, nostro tempore a multis vel negatur vel in dubium vocatur; philosophia moderna magna ex parte haeret in subiectivismo.

Inter antiquos *Heraclitus*, cum omnia quae sensibus apprehenderemus, in perpetuo fluxu esse dixisset, negavit sensationi fidendum esse. Sensationibus nostris acquiri certitudinem de exsistentia corporum, negarunt *eleatici*; quae sensu perciperentur, non revera „esse" sed „fieri" secundum vanam apparentiam; ea igitur non-entia vocanda esse vel vana phaenomena docuerunt.

Protagoras ex negata veritate obiectiva qualitatum sensibilium profectus, subiectivismum statuit. De scepticismo *Democriti* et eius impugnatione per *Epicurum*, qui statuit sensualismum phaenomenalem, vide supra n. 431.

Neque *Plato* veracitati experientiae sensilis satis consuluisse videtur. Is enim cum *esse* omne in ideis reposuisset, illis quae sensui apparent, solum non-esse reliquit sive ipsius esse vanam umbram. Licet forte vocabulis Platonis significatio recta et vera subici possit, tamen id non satis elucet nec sat clare saltem agnovisse videtur Plato, etiam ipsis sensibus attingi obiectum, quod revera *sit*.

Id quod ab *Aristotele* praeclare est constitutum; qui phaenomena, quae per se sensu perciperentur, esse accidentia docuit, quae rebus substantialibus inhaererent, atque etiam has aliqua ratione ipsis sensibus percipi.

Verum post Aristotelis tempora haec via veritatis iterum a multis relicta est, praesertim a *neoplatonicis*, quorum princeps *Plotinus* († 270 p. Chr.) a mundo sensibili aversus et in se reflexus, mundum supersensibilem per intuitum est contemplatus; in hoc verum esse inveniri, illum esse huius umbram et vanam impuramque imaginem a spiritu effectam et veritatis supersensibilis quasi speculum. Sensationem non esse cognitionem proprie dictam, sed eius leve vestigium; neque cognitione sensitiva iuvari animam in cognoscenda veritate, sed impediri potius et turbari [1].

495. 2. *Recentiores.*

Cartesius, observans multas sensuum fallacias in febricitantibus, somniantibus, militibus pede vel bracchio mutilatis, ipsorum sensuum veracitatem negavit; non tamen negavit exsistentiam mundi externi, at certitudinem eius demonstrare voluit ita: ex cogitatione nostra propriam exsistentiam, exinde exsistentiam Dei veracis deducit; deinde ex Dei veracitate, qui nobis invincibilem de corporum exsistentia persuasionem indidisset, etiam concludit ad eorum veram exsistentiam. Negavit Cartesius nos immediate corpora percipere; sed id quod immediate perciperemus, esse ideas dixit menti nostrae inhaerentes sive signa, quae tamen cum ipsis rebus (utpote sola extensione geometrica constitutis) nullam haberent similitudinem.

Malebranche (1638—1715) vestigiis Cartesii insistens, cum corpora sola extensione constitui ideoque nullo modo agere posse censeret, sensationes nostras a Deo organis nostris immediate imprimi voluit. Ulterius inde progressus *Spinoza* omne *esse* substantiale rebus, quas experiremur, negavit; extensionem illam, in qua Cartesius substantiam corporum posuerat, solum attributum essentiae (unicae) divinae esse docuit, quae essentia duobus generatim attributis affecta esset: extensione et cogitatione.

496. *Acosmismus in Anglia.* Post Baconis tempora primo illa philosophandi ratio vulgabatur, qua cognitionem omnem ad cognitionem sensitivam revocabant. Deinde per crisim cognitionis sensitivae, quam instituit *J. Locke*, pervenerunt ad *acosmismum dogmaticum*, scil. *negationem* exsistentiae corporum. Ita *George Berkeley* (1584—1753) non solum

[1] Cf. de his *Zeller*, Grundriß der Geschichte der griechischen Philosophie [10] (1911) § 97 et 98.

colores et alias qualitates docuit esse modos perceptionis nostrae subiectivos, sed et ipsas res corporeas his modis subiectivis adnumerandas esse docuit, ita ut totum esse rerum nihil aliud esset quam percipi sive vanum phaenomenon in organis nostris a Deo productum. *Hume* professus est *acosmismum scepticum;* admittens realitatem impressionum dumtaxat et perceptionum, de realitate *rerum* dubitandum esse censuit.

497. *Acosmismus in Germania.* Acosmismum Anglorum aggressus est *Kant;* realitatem et exsistentiam corporum verbotenus agnoscit, quae quidem agant in organa nostra modo nobis ignoto [1]. Sed in systemate suo, quod *idealismum* transcendentalem vocat, nihil manet nobis cognitionis vere obiectivae. Consimiliter ab extremi idealismi placitis abhorruerunt *Herbart* [2], *Beneke*, alii, qui *realismum transcendentalem* se profiteri dicunt, retentis tamen idealismi principiis. Alii autem non dubitarunt ea aperte proponere, quae ex idealismi principiis necessario fluunt, scil. *acosmismum absolutum* seu idealismum absolutum. *J. G. Fichte* est auctor *idealismi subiectivi*, secundum quem omnia quae nobis repraesentamus, sunt activitas nostra subiectiva considerata in sua terminatione [3]. *Idealismi obiectivi* speciem proposuit *Schelling*, qui ordinem obiectivum quidem admisit ab ordine subiectivo secundum apparentiam distinctum, revera tamen identicum. *Idealismum logicum* evolvit *Hegel*, negans quidpiam esse praeter ideam puram et abstractissimam entis, ex qua per processum logicum sive dialecticum omnia evolvantur.

498. Acosmismus moderatior, qui passim dicitur *idealismus physiologicus*, docet nos sensibus non cognoscere nisi phaenomena subiectiva. Triplex distingui potest, scil.: a) Idealismus psychologicus *scepticus*, qui exsistentiam mundi concedit ut possibilem vel probabilem hypothesim; ita *Helmholtz*. b) *Psychomonismus;* hic concedit adesse saltem alienas conscientias, alios homines, vel etiam corpus proprium et corpora aliena. c) *Fideismus*. Multi putant nos certo quidem per sensus mundum cognoscere non posse, sed statuunt „postulatum realitatis".

Error subiectivismi, sive dogmatici sive sceptici, est communissimus in moderna philosophia, ita ut omnino impossibile sit conspectum eius asseclarum dare. Neque fieri potest classificatio secundum auctores et asseclas cuiusvis opinionis, cum varie inter se intermisceantur.

499. Quoad *rem* errores (et opiniones plus minusve erroneae) ad hos reduci possunt:

[1] Cf. Prolegomena zu einer jeden künftigen Metaphysik I, § 13, adnot. 2, ed. *Acad. Berol.* IV 288 sq.

[2] Einleitung in die Philosophie § 19 sq.

[3] „Du siehst sonach ein, daß alles Wissen lediglich ein Wissen von dir selbst ist, daß dein Bewußtsein nie über dich selbst hinausgeht" (Die Bestimmung des Menschen: Werke II, Berlin 1845, 221—222); et: „Des Dinges, das da ist und sein kann, wirst du dir unmittelbar bewußt; und es gibt kein anderes Ding als das, dessen du dir bewußt wirst. Du selbst bist dieses Ding" (ibid. 228; cf. etiam 239).

1. *Acosmismus absolutus* et *universalis*, in quantum saltem quoad ea quae explicite asserit, a puro scepticismo recedit, admittit subiecti cognoscentis exsistentiam; negat autem acosmismus dogmaticus, in dubio relinquit acosmismus scepticus exsistentiam mundi corporei, et si consequenter loquitur, etiam exsistentiam corporis proprii, solum subiectum simplex cogitans admittit. In quantum igitur omnem rem cognitam in aliquam ideam (mere subiectivam) reducit, vocatur *idealismus*.

Idealismus acosmisticus distinguitur *subiectivus* et *obiectivus*. Idealismus subiectivus *causam* cognitionis (sensitivae et intellectualis, quae in hoc systemate non iam possunt distingui) assignat ipsum subiectum cogitans *(Fichte)*. Idealismus obiectivus statuit *a Deo* in anima nostra corporum phaenomena vel apparitiones immediate produci, cum tamen ipsa corpora realia non exsistant; ita *Berkeley*.

Ab idealismo obiectivo diversa sententia est *occasionalismus* a *Malebranche* statutus, qui admittit corporum exsistentiam, negat autem nos per ipsa obiecta ad cognitionem determinari, sed a solo Deo in nobis cognitionem produci.

Contra idealismum acosmisticum statuimus certitudinem, quae de corporum exsistentia per sensationes in nobis gignitur, nulla ratione everti posse.

500. 2. *Idealismus transcendentalis*, quem *Kant* statuit, rerum etiam corporearum exsistentiam admittit, et praeterea etiam nos ab obiectis ad cognitionem aliquo modo determinari concedit.

Kantii idealismum alio loco ex toto tractare debemus; hoc loco nominandus est et refutandus, in quantum *extensionem*, quam cognoscimus, formam mere subiectivam, non vero realem rerum determinationem esse vult.

3. Idealismus moderatior est *physiologicus*, qui extensionem realem quidem extra nos admittit, qualitates autem reliquas sensibiles, quae primariae seu propriae dicuntur et sunt singulorum sensuum externorum obiectum, *solius* subiecti internas affectiones esse vult.

501. 4. Tandem inter eos, qui idealismum reiciunt, est disputatio de qualitatibus istis primo et per se sensibilibus. Contra idealismum etiam physiologicum hi consentiunt in eo, ut dicant omni sensationi externae aliquid in obiecto respondere, quod sit vera et realis causa nostram cognitionem determinans. Ratio cur hoc obiectum videam caeruleum, illud album, ratio cur nunc talem et non alium (v. g. altiorem) sonum audiam, cur unum obiectum sapiam dulce, aliud amarum, ex obiectorum diversitate

petitur. In hoc igitur conveniunt; sed disputant, sitne qualitas proprie et proxime sensibilis formaliter talis in ipsa re, qualis sensui apparet, an solum fundamentaliter vel causaliter. Haec quaestio qua ratione et sub quo respectu ad physicam et philosophiam naturalem, et quo modo ad logicam criticam pertineat, in statu quaestionis thesis 13, n. 540, accuratius dicemus.

502. **Thesis 9.** **Ex ea sensuum veracitate, quae ad scepticismum vitandum etiam citra directam demonstrationem ut certa admittenda est, evidenter constat enuntiationem sensuum externorum per se naturaliter esse immediate de rebus extra ipsum sentiendi actum exsistentibus.**

Ad stat. quaest. 1. Duplici facultate cognoscendi homo praeditus est: *sensu* et *intellectu*. Facultas sensitiva ea est, qua res individuales, quae vel ipsae quantae extensaeve sunt, vel ad has res proxime referuntur, nobis repraesentamus. Facultas intellectiva ea est, qua res insensibiles vel res sensibiles secundum rationes insensibiles percipimus. Insensibilia sunt ea, in quibus deest quantitas extensioque geometrica.

Facultas sensitiva in organo corporeo residet, ab eo egreditur in eodemque recipitur. Nomine *organi* partem corporis speciali structura dispositam vocant, quae exercendae functioni vitali destinata est. Quae functio si sensatio est, organum etiam *sensorium* vocari solet.

Sensus distinguunt *externos* et *internos*. Externi sunt quinque: tactus, visus, auditus, olfactus, gustus. Internos quattuor numerare solent: *sensum communem*, qui est radix sensuum externorum et centrum, ad quod sensationes externae omnes feruntur, qui igitur intervenientibus sensibus externis, sibi vitaliter et intrinsecus coniunctis, obiecta externa sub omni communi sensibilitatis ratione percipit; — deinde *phantasiam* sive imaginationem, quae est vis conservandi phantasmata sive imagines rerum sensibilium in individuo exhibitarum, easque repraesentandi et vario inter se modo coniungendi; — tertio *memoriam* sensitivam, quae agnoscit res ut iam cognitas tempore praeterito; — tandem *aestimativam*, quae facienda, appetenda, fugienda exhibet in particulari et concreto.

503. **Externa sensitivitas** naturaliter fertur in res externas, ut externis accidentibus subsunt; id quod per omnium hominum experientiam omnino constat. Et unusquisque sensus obiectum habet suum, quod ab aliis sensibus attingi non potest.

Ita obiectum proprium visus est lucidum coloratumque; auditus in sonos fertur, qui ex corpore vibrante in re media et in organo enascuntur; tactus corpora resistentia experitur; gustus sapores percipit ortos ex certa quadam corporum solutione, quae

in ore peragitur; et simili ratione olfactus odoribus afficitur, qui ex resolutione particularum corporearum naribus immissarum nati sunt.

Proximum est, ut haec obiecta motum aliquem materialem sive immutationem naturalem in organis efficiant. Sed huic immutationi naturali immutatio intentionalis adiungitur, qua fit, ut facultas sentiendi determinetur ad repraesentandum sibi res externas, ut sunt in se ipsis. Haec determinatio sive forma id est, quod „species sensibilis" vocari solet.

Quoniam igitur sensus non solum ab obiectis suis ad cognoscendum excitantur, sed etiam interveniente impressione, quam hodie psycho-physicam vocant, id quo ad cognoscendum hoc vel illud determinantur, forinsecus accipiunt, sensum recte dicunt esse quandam potentiam passivam, „quae nata est immutari ab exteriori sensibili: exterius ergo immutativum est, quod per se a sensu percipitur, et secundum cuius diversitatem sensitivae potentiae distinguuntur" [1].

504. Sed praeter ea sensibilia, quae singulorum sensuum externorum sunt *propria*, alia sunt, quae suppositis sensibilibus propriis a sensibus *pluribus* percipi possunt; cuiusmodi sunt extensio, figura, motus, quies, distantia, numerus, quae sensibilia *communia* sunt nominata.

Primo igitur sensibilia propria et secundo sensibilia communia a sensibus *per se* percipiuntur. Solent autem homines omnes natura cogente iis, quae quantitate, coloribus, aliis qualitatibus sensibilibus affecta apparent, rationem rei, entis, substantiae attribuere. Et quia facultas cognoscitiva, experientia comprobante, ad assequendam realitatem et veritatem apta et destinata est, haec perceptio non halucinatio est, sed vera entis substantiaeque cognitio; et nostra repraesentatio realitati rerum conformis est. Observandum tamen est, quamvis omne id, quod in repraesentationibus nostris expressum contineatur, sit extra mentem in iis rebus, ad quas huiusmodi repraesentationes natura duce ab hominibus referri soleant, eas rationes entis vel substantiae non sentiri per se, sed per quantitatem et qualitates sensibiles. Et iam apparet, cur ordo triplex in obiecto sensibili distingui soleat: *sensibile proprium (per se primo), sensibile commune (per se secundo), sensibile per accidens.* Namque „similitudo alicuius rei est in sensu tripliciter: uno modo primo et per se, sicut in visu est similitudo *colorum* et aliorum propriorum sensibilium. Alio

[1] *S. Thom.*, S. th. 1, q. 78, a. 3; In l. 3 de anima lect. 13.

modo per se sed non primo, sicut in visu est similitudo *figurae* vel *magnitudinis* et aliorum communium sensibilium. Tertio modo nec primo nec per se, sed per accidens, sicut in visu est similitudo *hominis,* non in quantum est homo, sed in quantum huic colorato accidit esse hominem" [1] (cf. n. 570).

Atque his dictis manifestum est sensum externum recte definiri posse, ut sit facultas, qua animal percipiat externum quiddam interveniente impressione in corpore recepta.

505. 2. *Priore thesis parte* ea, quae thesi 8ª de facultatibus cognoscitivis generatim statuimus, ad sensus applicamus. Sensuum veracitatem inter veteres negarunt *Heraclitus* dicens: Ratio nos docet omnia fieri, nihil esse; sed sensus id non testantur; ergo mentiuntur. *Eleatici* dicunt: Fallunt sensus, nam ratio nos docet omnia esse ens unum; sed sensus contrarium testantur. *Democritus* dicit: Ratio nos docet in mundo nihil esse nisi atomos motas in vacuo; sed sensus testantur esse in rebus etiam qualitates sensibiles; ergo mentiuntur. — Contra defendimus sensuum veracitatem in genere etiam citra strictam et directam demonstrationem ut certam esse admittendam; iis tamen qui reiecto scepticismo universali vel aliquam certitudinem admittunt, veracitas sensuum indirecte saltem demonstrari potest. Cum eo autem, quod sensus sint veraces per se, errores per accidens componi possunt; ut igitur sensuum testimonio certitudo actu gignatur, condiciones quaedam impletae esse debent. De iis condicionibus facilius omnia traduntur thesibus posterioribus, quibus de sensibili proprio et communi speciatim agetur.

506. 3. *Altera thesis parte* defendimus sensuum veracitatem postulare, ut admittatur sensus externos immediate et directe non subiectivi quidquam, sed obiectum ab actu sentiendi diversum et ipsi extrinsecum referre, seu, ut dicit v. g. *Jeannière:* „Mediantibus repraesentationibus apprehenditur realitas a proprio *ego* distincta." [2] Haec pars contra eos ponitur, qui putant sensationes nostras directe ferri in imagines sive affectiones in organis nostris effectas, et effectas quidem a causa efficiente, ad cuius exsistentiam si lubeat concludere possimus, eo fere modo, quo aegrotus dolore ex somno excitatus ex ardore corporis, quem sentit, concludit ad sinapismum; vel sicut qui aspicit in velo passo effectas umbras, ex umbris concludit ad homines vel canes, qui umbras effecerint.

[1] *S. Thom.*, S. th. 1, q. 17, a. 2. [2] Criteriologia 387.

Inter Graecos, qui thesi nostrae adversantur, praecipuus est *Epicurus*, qui ut veracitatem cognitionis humanae salvaret, eo adductus est, ut diceret enuntiationem sensuum non esse per se immediate de rebus eventibusve extra nos exsistentibus, sed de apparentiis, sive de effectibus affectionibusve, quas res externae in nobis ex naturae instituto valeant excitare; cum de corporibus aliquid affirmaremus, nos nihil aliud affirmare nisi hoc: haec corpora hoc modo nos afficere. Atque ita dicit fieri, ut sensus numquam erroris accusari possint eorumque enuntiatio absolute vera sit. Nam, ut philosophatur Epicurus, sensus, cum non obiecti actionem simpliciter, sed actionem hanc, ut organa afficit, referre debeant, quomodocumque afficiuntur, affectionem receptam non mutant, sed fidelissime renuntiant. Remus si aquae immissus fractus appareat, verum est illum *apparere* fractum; si ex aqua extrahatur, rectus apparet; eum autem revera *esse* rectum nullus sensus enuntiat.

Generatim thesis nostrae *adversarii* sunt idealistae acosmistici omnes. In quorum numero excellunt *kantiani*[1], qui animam mechanice vel chimice, vel alia ratione affectam, ex se producere totum illum mundum phaenomenalem docent, quem homines omnes sibi sentientibus ut causam formalem obiectivam obversari affirmant. Neque suo *realismo transcendentali E. v. Hartmann* idealismum efficaciter superavit; cum enim omne „conscium" ut immanens idealistis concedat, nulla legitima ratione concludere potest ad exsistentiam cuiuslibet entis transcendentis, sive illud vocare voluerit „conscium" sive „inconscium".

Hic error est omnium idealistarum communis. Diversitas est in eo, quod ii qui idealismi principiis ad extremum usque cum constantia ac perpetuitate inhaerent (ut *Io. Gottl. Fichte, A. Schopenhauer*), negant ex phaenomenis sensu perceptis ad exsistentiam mundi realis concludi posse; ii autem kantiani, qui „realismum" quendam concedunt (ut *Herbart, Imm. Herm. Fichte, E. v. Hartmann,*), conclusionem in illo genere legitimam esse volunt[2].

[1] Ita *Kant:* „Wenn wir äußere Gegenstände für Dinge an sich gelten lassen, so ist schlechthin unmöglich zu begreifen, wie wir zur Erkenntnis ihrer Wirklichkeit außer uns kommen sollten, indem wir uns bloß auf die Vorstellung stützen, die in uns ist. Denn man kann doch außer sich nicht empfinden, sondern nur in sich selbst, und das ganze Selbstbewußtsein liefert daher nichts als lediglich unsere eigenen Bestimmungen" (Kritik der reinen Vernunft, ed. *Acad. Berol.* IV 237). In eadem sententia haeret *Trendelenburg*, Logische Untersuchungen II 520.

[2] De idealismo dicit *Imm. Herm. Fichte:* „Der feste, unerschütterliche Augpunkt des Geistes ruht nur auf sich; unmittelbar weiß er allein von seinen Zuständen. . . . Dieser einfache Gedanke eben war es, welchen Kant als den Geist des kritischen Idealismus, Joh. Gottl. Fichte als das Prinzip der Reflexion und Besonnenheit, als die notwendige Bedingung alles Philosophierens ein-

507. Non negamus cum enuntiatione sensuum externorum etiam intime coniungi posse affectionem subiectivam, quod in aliquibus sensibus externis certe obtinet. Sed reicimus primo sententiam eorum, qui omne id, quod repraesentationibus nostris obiective formaliter exhibetur, in „facta interna et subiectiva" resolvere student; et *positive asserimus, quidquid per sensum tamquam formaliter obiectivum et a sensu distinctum repraesentatur, a mente ut obiectum externum reale admittendum esse.* Idque ex ipsa cognitionis natura sequitur et postulatur.

508. Pars I. Ad vitandum scepticismum veracitas sensuum citra directam demonstrationem ut certa admitti debet.

Nam nec directe demonstrari potest, nec talis demonstrationis indiget; omnibus autem, qui vel aliquam certitudinem admittunt, indirecte demonstrari potest.

1. *Non potest directe demonstrari.*

Argumentum *(ex defectu validae praemissae).* Ut directe demonstretur sensus veracitas, requiruntur praemissae, quae etiam non iam supposita sensus veracitate seu independenter ab ea certae sint, ex quibus tamen ea veracitas legitime deduci aut induci possit; *atqui* tales praemissae necessario desunt: *ergo* veracitas sensus directe demonstrari non potest.

Maior patet ex conceptu demonstrationis et ex vitio petitionis principii.

Ad min. Veracitas sensus consistit in eo, ut per sensus res nobis manifestetur ita, ut revera est, seu consistit in conformitate cognitionis sensitivae cum obiecto suo. *Atqui* obiectum externum non cognoscimus independenter a sensu externo, ipsum actum sensationis per sensum internum; nisi igitur sensui in formandis praemissis iam certo fidamus, numquam habebimus certas praemissas de obiecto, et ideo neque de conformitate sensus cum obiecto.

509. 2. *Nec demonstrationis directae indiget.*

Arg. 1 *(ex facultatis cognoscitivae natura et naturali veracitate).* Qui sibi demonstrari vult veracitatem sensuum, is ponit saltem esse aliquam facultatem cognoscitivam, quae suum obiectum ex naturae instituto proponens, certitudinem praebeat hoc obiectum esse; eam videlicet, quam in demonstratione adhiberi vult. *Atqui*

schärfte. Dies war es eigentlich, von dem er behauptete und behaupten *durfte,* daß, wer es einmal eingesehen, in alle Ewigkeit nicht es zurücknehmen könne" (Die theistische Weltansicht und ihre Berechtigung, Leipzig 1873, 81).

si pro una facultate id ponitur, id ipsum pro aliis quoque facultatibus poni debet, cum par sit veracitatis ratio. *Ergo* neque sensuum veracitas demonstrationis indiget.

Ad min. Facultates cognoscitivae essentialiter diversae et aliae aliis perfectiores esse possunt. Differunt inter se intrinsecus ex entitate sua, nam perfectior est facultas spiritualis quam facultas cognoscitiva organica; perfectior est intellectus, qui ex se habet omnia ad cognoscendum necessaria, et ideo ex se est actualis cognitio omnis rei cognoscibilis (ut intellectus Dei), quam intellectus, qui a potentia (ignorantia) ad actum transire debet et immo ad hoc indiget aliqua determinatione ab obiecto (ut intellectus humanus). Differunt obiecto tum materiali tum formali; ita intellectus universalis est et aliquo modo se extendit ad omne ens cognoscibile; sensus vero restringitur ad obiecta materialia. Sed ex conceptu *cognitionis generico* est, ut cognitio cognoscenti referat obiectum, et ita conformitas et ideo veracitas quoad *suum obiectum* est de intrinseca notione cuiuslibet facultatis cognoscitivae; atque veracitas ita formaliter spectata nullos admittit gradus. Ex notione generica facultatis cognoscitivae finitae est, ut sit per accidens defectibilis; disputari potest de ambitu obiecti proprii alicuius facultatis, sed de aptitudine alicuius facultatis cognoscitivae ad suum obiectum proprium vere cognoscendum dubitare, est in dubium vocare ipsam facultatem.

Arg. 2 *(ex immediata experientiae sensilis perspicuitate).* Id demonstrationis non indiget, quod ex se perspicitur et immediate per se constat. *Atqui* sensibilium perceptionum cum suis obiectis conformitas ex se constat, tum quod ad res externas attinet, tum quoad ipsarum perceptionum in subiecto exsistentiam. *Ergo* demonstrationis non indiget.

Prob. min. Sensus nostri immediate et in recto feruntur in res ut in naturalia sua obiecta; sed omnis facultas cognoscitiva quoad obiectum suum naturale verax est, id quod ex refutato scepticismo constat[1]. — Deinde affectiones subiectivas quod attinet, quae immediate quidem, sed in obliquo et concomitanter sentiuntur, hae etiam entitative insunt ita, ut subiectum percipiens et res percepta sint unum idemque. Quam ob rem fieri non potest, ut aliud sit obiectum, quam perceptum fuerit.

Vel aliis verbis: Id quod per se ipsum certitudinem veritatemque suam declarat, ut approbetur nullius probationis indiget. Atqui perceptio sensitiva, qua mens percipit sibi obiectum exhiberi et percipit

[1] Cf. *Lehmen,* Lehrbuch der Philos. I[3] 182 sq.

quoque concomitanter hanc suam perceptionem, per se ipsam certitudinem veritatemque suam declarat. Sentire enim idem est ipsum atque sensum affici a re et terminari ad rem; ipsum ergo sentire declarat rem certo et vere esse. Si deinde concomitans ipsius perceptionis experientia falsa esse posset, inde haec falsitas oriretur, quod eodem tempore, quo perceptionem experiar, eam non habere possem; at hoc esse non potest, nam sentire aliquam affectionem idem est ipsum atque eam habere.

510. 3. *Indirecte demonstrari potest.*

Argumentum *(ex conceptu demonstrationis indirectae).* Ad demonstrationem indirectam satis est et requiritur, ut ab eo, adversus quem instituitur demonstratio, admittantur principia, ex quibus per legitimam deductionem conclusio cogi possit. *Atqui* ab eo, qui vel aliquam certitudinem admittit, admittuntur quoque eius generis principia, unde exsistentia corporum deduci potest: velut cum permittit, facultati cognoscitivae manifestanti veritatem fidendum esse, vel admittendum esse, quod verum esse immediate cognoscam.

Confirmatur ex exsistentia scientiae empiricae, quam adversariorum multi agnoscunt maximique faciunt. Si enim sensibus fidere non possumus, iam nulla de ulla re externa certitudo esse potest. Et scientia empirica non erit nisi de vanis apparentiis exortis ex indole subiectiva. Et miserrime actum erit de geologia, palaeontologia, astronomia.

Confirmari etiam potest id quod diximus ex ipsis sensuum fallaciis, quas adversarii in ore habent. Nemo enim de his fallaciis dicere potest, nisi confiteatur sensus per se verum dicere, neque nos semper falli sensibus. Et ipsi adversarii saepenumero fallacias sensuum, quae accidunt, ex rebus vel condicionibus explicare conantur, quas extra actum cognoscendi exsistere ponunt.

511. Pars II. Enuntiatio sensuum externorum per se et naturaliter est immediate de rebus extra ipsum sentiendi actum exsistentibus.

Argumentum *(ex interpretatione facti evidentis et natura cognitionis).* Veracitas facultatis cognoscitivae postulat, ut quod ipsa immediate ut obiectivum repraesentat, revera ita obiective se habeat. Ita certe propter ipsam repraesentationem immediatam et intuitivam (omissa igitur omni concludendi ratione) est arbitrandum. *Atqui* in cognitione sensitiva externa menti immediate ut obiectivum quid repraesentantur res externae ut in se ipsis exsistentes. *Ergo* enuntiatio sensuum externorum est immediate de rebus, quae exsistunt in se ipsis et a sentiendi actu non pendent.

Maior constat ex conceptu cognitionis. Cognitio enim omnis id proprium sibi habet, ut quasi ex se exeat et coram se habeat intimeque sibi praesens *obiectivum* quiddam, quod revera in se est; qua entis (cogniti) praesentia et inexsistentia ipsa cognitio est *obiective* talis, qualis est. Dum igitur in re omni causa formalis inest *unius* ordinis, qua res est id, quod est, in cognitione inest causa formalis *duplicis* ordinis: naturalis et intentionalis. „Cognoscentia a non-cognoscentibus in hoc distinguuntur, quia non-cognoscentia nihil habent nisi formam suam tantum; sed cognoscens natum est habere formam etiam rei alterius. Nam species cogniti est in cognoscente. Unde manifestum est, quod natura rei non-cognoscentis est magis coartata et limitata; natura autem rerum cognoscentium habet maiorem amplitudinem et extensionem.“ [1]

Conformatio igitur seu assimilatio intentionalis est de essentia omnis cognitionis. Vocatur assimilatio *intentionalis* in oppositione ad assimilationem *entitativam.* Entitative assimilor rotundo, albo, stulto, si ipse fio vel sum rotundus, albus, stultus, seu si forma rotunditatis est revera aliqua formalitas meae entitatis. In cognitione non requiri talem assimilationem entitativam per se patet; requiritur autem assimilatio intentionalis, quae consistit in eo, ut revera *formalem rationem rotunditatis,* quae et uti est in obiecto, exprimam; secus non cognosco obiectum rotundum. Ad cognitionem igitur rotundi requiritur, ut rotundum sit *formaliter* entitative in re et *formaliter expressum* in actu cognoscitivo. — Plura de hac re paulatim; cf. n. 545.

Prob. min. argumenti. 1. Unusquisque natura duce certus omnino est, videntem se directe videre homines, equos, lapides, cibos; audientem audire sonos; tangentem apprehendere solida. Et homo sanae mentis certe miraretur maximopere, si ipsi quis serio diceret non mundum realem, sed mundum phaenomenalem tantum esse causam formalem obiectivam perceptionum sensilium, ex quo, si velit, ratiocinio aliquo ad mundum realem per principium causalitatis efficientis concludere possit.

2. Praeterea sensu satis saepe discernimus inter affectiones, quas res in nobis efficiant, et illas, quas nos in rebus inesse cognoscamus; ita v. g. *acum* in nobis efficere dolorem, in se autem esse acutam.

3. In sensationibus, praecipue magis perfectorum sensuum externorum, v. g. in visu, plerumque per ipsam sensationem externam nihil prorsus subiectivi se nobis manifestat; sensu interno

[1] *S. Thom.,* S. th. 1, q. 14, a. 1; cf. ibid. q. 75, a. 5 et q. 84, a. 2.

quidem percipimus nos videre, nos oculos claudere vel aperire, sed de ea alteratione et modificatione organi, qua oculus ab obiecto ad visionem determinatur, oculus sanus nihil refert, sed unice refert seu videt obiectum externum. Alterationem physicam (physiologicam) fieri ex scientia naturali scimus, sed neque postquam id didicimus, eam oculo vel aliquo sensu percipere ullo modo valemus.

Ergo ex ipsa experientia immediate evidenti constat sensum externum directe et immediate referre obiectum ab ipso actu sentiendi distinctum eique extrinsecum.

512. ***Coroll. 1.*** Ergo actus sensus externi est actus seu *medium, quo* obiectum externum percipitur, ideoque qui quaestionem movent, quomodo fiat transitus a subiecto ad obiectum, qua contineri dicunt problema totius philosophiae recentioris, quaestionem movent inutilem, superfluam, praeposteram, utpote emergentem ex natura cognitionis male intellecta, immo ex neglecto facto evidente experientiae immediatae. „Dogma" enim modernum, nos immediate non percipere nisi affectiones subiectivas, est prorsus gratuito assertum et evidenter falsum, quotienscumvis repetatur.

Coroll. 2. Ergo neque iudicia, quibus *intellectus* sensatione ductus res externas a nobis diversas exsistere iudicat, demonstrationis indigent.

Si enim corpora, quae sensibus percipiuntur, vere exsistunt, iam intellectus, qui ut facultas cognoscitiva ex se ad veritatem assequendam aptus sit, ex relatione sensuum tuto iudicare potest corpora exsistere. Et iudicia, quae in se quiddam continent perspicuum et quod constare inter omnes necesse est, haec velle demonstrare et firmare nihil attinet.

513. ***Obi. 1.*** Videtur nulla esse sensuum veracitas: nam a sensibus pariuntur errores innumerabiles circa figuram, magnitudinem, distantiam, motum. Ita lignum, quod poris abundat, apparet continuum; luna apparet plana et multo minor quam est; baculus aquae immersus apparet fractus: iis qui sunt in navi, litora videntur moveri: et ita innumera alia. *Ergo* nihil fidendum est sensibus.

Resp. *Nego assert. Ad prob. dist. antec.:* A sensibus pariuntur errores per se, quatenus recte applicati et dispositi suum proprium obiectum falso referant, *nego antec.;* saepe *accidit,* ut incaute iudicium ultra id prosiliat, quod sensus vere et positive exhibent, et ita oritur error per accidens, *conc. antec.* Ad exempla allata responsum patebit ex dicendis in thesibus de obiecto et condicionibus verae sensationis. *Pariter dist. cons.:* Non sunt iudicia sensibus innixa infallibilia per se, *nego cons.;* non sunt absolute infallibilia, ita ut etiam error per accidens excludatur, *conc. cons.*

514. ***Obi. 2.*** Sensationes ex natura sua sunt subiecti modificationes; *atqui* ex modificatione subiecti nequit cognosci aliquid extrinsecum; *ergo* sensationibus nequit cognosci obiectum ipsi extrinsecum.

Resp. *Dist. mai.:* Sunt subiecti modificationes qualescumque, et mere tales, *nego mai.;* sunt actus potentiae cognoscitivae, *conc. mai. Contradist. min.:* Non ex qualicumque subiecti modificatione directe aliquid externi cognosci potest, *conc. min.;* modificatio subiecti, quae consistit in actu alicuius potentiae cognoscitivae, non potest directe referre obiectum externum, *nego min.*

Inst. *Atqui* etiam actus potentiae cognoscitivae nequit referre obiectum a se distinctum; *ergo* manet difficultas.

Prob. antec.: Cognitum debet esse in cognoscente; *atqui* obiectum externum non est in cognoscente; *ergo* nequit cognosci obiectum distinctum, sed ad cognitionem requiritur cognoscentis et cogniti identitas.

Resp. *Nego antec. et cons. Ad prob. dist. mai.:* Cognitum debet entitative seu physice (subiective) esse in cognoscente, *nego mai.;* debet esse repraesentative, intentionaliter (obiective) in cognoscente, *conc. mai. Contradist. min. et nego cons.* Ita etiam amari potest amicus realiter distinctus.

Obi. 3. Ad cognitionem rei externae requiritur transitus potentiae cognoscitivae ad obiectum externum; *atqui* potentia cognoscitiva solum immanenter agere potest; *ergo* nequit transcendere seu cognoscere aliquid transcendens (deest pons).

Resp. *Dist. mai.:* Requiritur transitus realis, ut scil. vel ipsa entitas potentiae cognoscitivae aut aliquis physicus influxus transeat in obiectum[1], *nego mai.;* requiritur transitus intentionalis, *conc. mai. Conc. min. Dist. cons.:* Ergo cognitio non est neque exitus realis potentiae extra se, neque est actio physica transiens et efficiens aliquid in ipso obiecto, *conc. cons.;* cognitio licet actio immanens non est actus, qui intentionaliter repraesentat obiectum externum, *nego cons.* — Pons igitur in quantum requiritur est ipsa ratio *repraesentativa* cognitionis.

515. ***Obi. 4.*** Obiectum externum aut immediate aut mediate percipi dicitur. *Atqui* neutrum fieri potest: non immediate, nam immediate id tantum percipere possumus, quod est in nobis; neque mediate, nam obiectum illud immediatum et intermedium, ex quo cognito ad cognoscendum obiectum extrinsecum duceremur, putari debet esse effectus productus ex causa duplici: a mente nostra et ab ignota re nescio qua externa. Quam autem huius obiecti partem unicuique causae ascribere debeamus, plane ignoramus.

[1] Recte notat *Bon* (Die Dogmen der Erkenntnistheorie, Leipzig 1902, 34 35) *verba* cognoscitiva *percipere, cognoscere* non pertinere ad *verba effectiva* seu productiva (schaffende), sed ad verba ordinativa (intentionalia, zuordnende). Est ratio *intentionalis*, analoga imagini ordinariae, quae rem repraesentat, non aliquid in re producendo neque rem movendo vel quocumque modo eam efficiendo, sed eam in se exprimendo.

Resp. Si voce „immediate" negatur *obiectum* intermedium, corpora cognoscuntur immediate; si ea voce negetur etiam *medium, quo* cognoscantur corpora, haec cognoscuntur mediate. Ponimus igitur eam esse cognitionis omnis naturam, ut formalitate non solum subiectiva determinata sit, sed etiam obiectiva determinari possit, qua fiat, ut rem externam exhibeat ut cognitam. Intercedit medium *quo,* non autem ullum medium *quod.*

Sed dices: Per speciem, quae inest in subiecto cognoscente, res externa cognosci non potest. Ut enim specie immanente cognosceretur res externa, haec species naturam *rei externae,* et non *subiecti cognoscentis* prae se ferre debet. Sed prae se fert modum sive naturam subiecti cognoscentis, secundum illud vulgare: Quidquid in aliqua re suscipitur, ad modum recipientis recipitur. Sunt igitur species illae nihil aliud nisi effectus in sensibus producti secundum naturam sensuum et non obiectorum. *Respondeo:* Species illae, cum duplici ratione considerari possint, si spectantur *entitative,* modum subiecti habent; si *repraesentative,* modum rerum externarum prae se ferunt atque ita nobis patefaciunt res externas.

516. Thesis 10. Certitudo de rerum externarum exsistentia, quam sensationes gignunt, ab idealistis everti non potest, cum idealismus acosmisticus tum subiectivus tum obiectivus repugnet.

Ad stat. quaest. 1. Sicut cognitio omnis, ita etiam cognitio sensibilis a logico proxime non consideranda est ut effectus ab aliqua causa efficiente productus, sed potius ut obiecti alicuius repraesentatio *formalis* sive ut vitalis et intentionalis imago rei cognitae. Veritas igitur cognitionis non immediate et per se pendet a causa et a modo ortus sui, sed ex relatione conformitatis ad obiectum. Idealismus falso haeret in consideratione causali.

517. 2. Idealismus *subiectivus* negata corporum exsistentia causam sensationis unicam assignat subiectum cogitans (simplex): ita idealismus subiectivus extremus; aut subiectum sentiens: ita idealismus moderatior (physiologicus). Etiamsi ostendi posset mentem nostram citra influxum physicum obiecti ex se sufficere ad producendas tales sensationes, quales sunt nostrae sensationes externae, ex iis quae thesi antecedente iam diximus, in tuto maneret valor obiectivus sensationum nostrarum externarum. Ex argumentis autem partis primae patebit subiectum non posse esse unicam et sufficientem causam sensationum externarum; idcirco etiam ex hac parte refutatur idealismus subiectivus.

518. 3. Idealismus *obiectivus* causam sensationum assignat Deum. In hoc idealismus obiectivus convenit cum occasionalismo, quem

statuit *Malebranche*. At Malebranche admittit corporum exsistentiam, sed negata corporum activitate docet eorum repraesentationes immediate a Deo in nobis produci, nos tamen ita vere cognoscere corpora exsistentia. Errat quidem Malebranche; nam ut alibi probatur, ad sensationes revera determinamur per influxum obiectorum in organum vivum. Sed negari non potest Deum, si voluerit, nobis etiam immediate infundere posse cognitionem; sed non potest infundere cognitionem falsam, ideoque non potest nobis dare cognitionem sensitivam qualem habemus, nisi ea revera cognoscamus obiecta realia.

519. Pars I. Subiectum non est sensationum unica causa.

Arg. 1 *(ex simplicitate subiecti — contra idealismum subiectivum extremum).* Si apparitiones corporum prodirent unice ab activitate subiecti cogitantis, nihil aliud essent quam internae simplicis subiecti modificationes. *Atqui* hac suppositione explicari non potest:

1. cur corpora non appareant, ut ceterae modificationes internae, *intra* subiectum et in subiecto, sed tamquam obiecta *externa* et ab animo plane distincta;

2. cur modificationes illae extensum aliquod et divisibile semper exhibeant;

3. cur subiectum simplex in se percipiat extensionem et varias partes superiores et inferiores, internas et externas, ita ut modo in una modo in alia se affici sentiat (corpus proprium).

Arg. 2 *(ex absurditate scepticismi universalis — contra idealismum subiectivum omnem, etiam moderatiorem seu physiologicum).* Admisso idealismo destruitur aptitudo mentis ad verum cognoscendum (veritas primitiva tertia), ideoque omni certitudini necessarium fundamentum subtrahitur; *ergo* idealismus logice ducit ad scepticismum, et hinc ipse est absurdus.

Prob. antec. Facultas, quae constanter et naturaliter res aliter apprehendit et repraesentat atque in se sunt, non est facultas ad verum ordinata, sed ad minimum indifferens ad verum et falsum et hinc inepta ad veram certamque cognitionem. *Atqui* facultas nostra cognoscitiva constanter et naturaliter obiecta sensationum apprehendit et repraesentat ut res ab ipsa perceptione distinctas eique extrinsecas, cum tamen secundum doctrinam idealistarum id nullo modo sint. *Ergo* secundum istam doctrinam facultas nostra cognoscitiva non est apta ad veram certamque cognitionem.

Neque iuvat contra hoc argumentum recurrere ad pluritatem facultatum cognoscitivarum ad evadendum scepticismum univer-

salem; nam a) adversarii ii, qui negant corpus etiam proprium, non possunt admittere nisi unicam simplicem facultatem; b) etiam corpore proprio et pluralitate facultatum admissa nihilominus eo ipso, quod admittitur unam aliquam facultatem circa suum obiectum formale per se fallibilem esse, de omni certitudine desperandum est.

520. *Confirmatur 1° (ex testimonio conscientiae).* Conscientia teste repraesentationes illae non pendent a nobis, sed eas recipimus, et quidem independenter a statu nostro subiectivo: experimur eas saepe, quando nolumus, saepe non possumus habere, quando maxime volumus; id quod in supposito adversariorum nullo modo explicari potest, etenim: a) subiectum *simplex* ex se, si umquam, etiam semper aptum esset ad eas habendas ideoque totum deberet pendere a libera voluntate; b) si vero admiserint *subiecti compositionem* seu exsistentiam corporis, iam nullam rationem habebunt negandi alia corpora. Cogita et compara manum propriam et alienam visam, et eiusmodi plurima.

Confirmatur 2° (ex discrimine inter apparitiones primo habitas et revocatas). Si corporum apparitiones a sola mentis activitate producerentur, nullum sane discrimen esset inter apparitiones primo habitas et dein revocatas. *Atqui* multiplex est huiusmodi discrimen. Nimirum a) differunt valde intensitate impressionis et evidentia repraesentationis (v. g. visio solis inter diem et repraesentatio, qua noctu de eodem sole cogito vel eam phantasia repraesento); b) differunt ratione successionis et dependentiae (v. g. ad certam visionem Romae habendam requiritur maxima visionum series, non vero in reproductione); c) differunt variabilitate; revocata enim phantasmata possunt ad libitum immutari, in visione nihil potest mutari. *Ergo* corporum apparitiones non sola mentis activitate producuntur.

Confirmatur 3° (ex phaenomenorum pulchritudine etc.). Si animus haec omnia de suo producit, ipse solus tanti ordinis auctor est. Habet ergo in se mirabilem quandam vim tum inveniendi tum disponendi conceptus, quam perpetuo exercet. *Atqui* a) a nobis poni actionem ordinatricem, cum phaenomena ordinatissima contemplamur, quin hoc conscientia percipiat, inexplicabile est; b) si mens tam facile hanc vim inveniendi, ordinandi exercet nullo labore, immo inscia manens actionis suae, qui fit, ut cum vere vult hanc vim exercere, difficillime id praestet et saepissime sine successu? *Ergo* repraesentationes corporum non habent sui causam adaequatam in subiecto cogitante.

521. Pars II. Deus non est causa unica apparitionum corporum, ipsis non exsistentibus.

Argumentum *(ex repugnantia cum veritate et bonitate Dei).* Repugnat Deum, qui ipsa veritas et bonitas est, in errorem invincibilem ducere rationalem naturam, quae, ad veritatem facta, veritatis possessione maxime perficitur. *Atqui* si Deus nullis exsistentibus corporibus excitaret in nostris mentibus corporum repraesentationes, uti eae nunc nobis exhibentur, 1° induceret nos in errorem, 2° eumque invincibilem. *Ergo* idealismus obiectivus absurdus est.

Prob. min. per partes. 1. Deus nos induceret in *errorem;* nam

a) obgereret nobis perpetuo obiectum aliter atque est, itaque protraheret nos ad iudicandum vere ea esse, quae non sunt;

b) humanam naturam misere ludibrio haberet, quia ex istis apparitionibus inducimur ad iudicandum tales res esse acquirendas, fugiendas, timendas, custodiendas etc.

2. Hic *error foret invincibilis;* nam

a) tanta evidentia naturali impelluntur de facto homines ad iudicandum corpora exsistere, ut haec persuasio sit revera quaedam necessitas naturae, quam ne ad instans quidem deponere valemus;

b) cum sensationes istae sint adeo uniformes et constantes, non possumus suspicari eas ab agente libero, non a causis necessario agentibus immediate provenire; callidissime igitur auctor naturae artificium suum ad nos decipiendos occultasset;

c) ex conscientiae testimonio scimus nos habere organa quaedam corporea (sensoria), quae pro libitu saepe adhibemus vel non adhibemus. Unde concludimus haec organa nobis esse tributa, ut iis tamquam rerum externarum internuntiis utamur. Nisi igitur corpora exsistunt, totus hic organorum apparatus deceptioni magis occultandae solum inservit.

Notandum: Argumentum hoc etiam primam partem thesis confirmat (cf. *Frick,* Logica, ed. 4, n. 281—284).

522. ***Obi. 1.*** Idealismus subiectivus certo refutari nequit. *Prob.* Ut refutetur idealismus, ostendi debet animi vires non sufficere ad omnes sensationes producendas; *atqui* ad hanc insufficientiam demonstrandam omnes animi vires perfecte cognosci deberent (quod non obtinet); *ergo* idealismus subiectivus certo refutari nequit.

Resp. *Nego assert. Ad prob. Resp. 1. Nego mai.,* nam etiamsi vires animi sufficerent ad omnes actus cognoscitivos producendos, absurdus maneret idealismus acosmisticus ex absurditate scepticismi et ut pugnans cum *natura* cognitionis manifesta. - *Resp. 2. Transmissa*

maiore nego min.; sufficit enim, ut cognoscatur evidens contradictio inter subiectum simplex et ipsius modificationem (subiectivam et internam) extensam.

Ad resp. 1 nota: Natura alicuius rei cognosci potest et saepissime cognoscitur ex rei notis et proprietatibus manifestis, etiamsi nondum vel forte numquam cognoscatur illius rei causa efficiens (proxima) et modus, quo illa res oriatur. Ita etiam in cognitione sensitiva cuilibet homini sanae mentis immediate constat se videre obiecta externa, etiamsi de influxu physico obiecti in organum nihil adhuc sciat. Neque est de essentia cognitionis, ut actus cognoscitivus causaliter dependeat ab efficientia et determinatione per obiectum (secus Deus nihil extra se cognoscere posset), sed ad essentiam cognitionis verae per se requiritur et sufficit obiectum ut *terminus*, ad quem cognitio intendat, quem intentionaliter in se habeat. Nostra facultas cognoscitiva est revera ex se tabula rasa, et ad actum cognoscitivum producendum primo determinari debet per obiectum; sensus externus in statu sano et normali de facto numquam actu cognoscit nisi sub actuali influxu obiecti externi. Id autem non ipso sensu percipimus, sed ex multis observatis scientifice concludimus; quae cognitio neque postquam habetur, in modum cognoscendi immediatum influit, neque ad cavendos accidentales errores semper requiritur vel iuvat. Accidere potest et accidit, ut defectum organi, ex quo error oriatur, non ex dolore vel aliqua notitia de statu subiectivo detegamus, sed ex mera comparatione plurium sensationum externarum. Studium physiologiae utile et necessarium est ad plenam rerum et cognitionis notitiam; sed cavendum est, ne tunc unice attendatur ad genesim actus et oblivioni detur, quod immediate percipitur.

523. ***Obi. 2.*** Nemo dubitat, quin repraesentationes phantasiae obiectiva realitate careant; *atqui* phantasma tam clarum et vividum esse potest, ut videatur solo gradu distingui a sensatione externa: *ergo* forte etiam haec caret realitate obiectiva.

Resp. *Dist. mai.:* Nemo id dubitat, quia evidens est discrimen inter phantasma et sensationem externam, *conc. mai.;* non percepta tali evidenti differentia nemo dubitat, *nego mai. Contradist. min.:* Id accidit in statu vigili et normali, *nego min.;* in statu semivigiliae, nimiae excitationis nervorum accidere potest, ut quis dubitet, utrum videat an imaginetur, *conc. min., nego cons.*

Obi. 3. In hallucinatione (stricte dicta et perfecta) ex ratione interna subiecti ita excitatur sensorium externum, ut habeatur visio vel auditio rei externae, quae nullo modo adest; *atqui* talis hallucinatio videtur psychologice nullo modo differre a sensatione externa ordinaria; *ergo* forte in omni sensatione deest obiectum reale.

Resp. *Dist. mai.:* Ita normali modo excitatur sensorium vere sanum, *nego mai.;* ita excitari potest vel sensorium aegrotum vel forte ceteroquin sanum per influxum accidentalem abnormem, *trans. mai. Min. simpliciter negatur,* et *negatur cons.*

Ad rem nota: 1. Imprimis plerumque difficile omnino est certo cognoscere, an revera adsit stricte dicta hallucinatio, i. e. cum externa sensatione coniuncta, cum id dignoscendum sit potissimum ex testimonio eius, qui patitur hallucinationem; ille autem non est in statu plene normali. Maior pars hallucinationum invenitur in psychice aegrotis; in reliquis vix non semper adest saltem aliqua aegritudo sive organi externi sive in iis partibus sensorii interni, quae in activitate sensuum externorum concurrunt.

2. Si quis in reliquis sanae mentis et sani corporis vel propter affectionem aliquam in certo organo vel forte etiam ob influxum aliquem abnormem psychicum, qui in organum corporale redundet, hallucinationem patitur, eam tam facile ut talem cognoscit, ut ne ipse quidem propter talem errorem accidentalem de sensibus suis ut per se veracibus desperare tentetur. Quod exemplis multis ostenditur[1]. A normali externa sensatione imprimis eo differt hallucinatio, quod non includat perceptionem evidentem realitatis obiectivae.

3. Dici non potest hallucinationem psychologice non differre a sensatione normali externa. Similitudo adest, et magna ea quidem, nam in utroque casu sensorium ita excitatur, ut rei apparentia oriatur; sed manent differentiae eaeque ipsis sensibus perceptibiles. Ita ordinaria sensatio quoad initium, durationem et alias circumstantias sequitur influxum externum; non sic excitatio ab intra.

524. ***Obi. 4.*** Omnis actio producit suum obiectum; *atqui* cognitio est actio; *ergo* cognitio producit obiectum suum, et verus est idealismus subiectivus.

Resp. *Trans. mai. Dist. min.:* Cognitio in facto esse seu perfecta est *actio, nego min.,* nam est *actus;* cognitio in fieri seu ipsa productio *actus* cognoscitivi est *actio* et quidem immanens, *trans. min. Pariter dist. cons.:* Actio vitalis immanens, qua facultas cognoscitiva producit in se immanentem actum cognoscitivum, producit *suum,* i. e. *suae efficientiae* obiectum, i. e. internam intentionalem imaginem rei cognoscendae, *conc. cons.;* cognitio formaliter ut cognitio producit obiectum cognitum, *nego cons.* Cognoscere rem nullo modo est facere rem. In cognitione humana est tum passio, tum actio, tum actus; de qua re accuratius in psychologia.

Obi. 5. Deo non deest potentia, qua possit, corporibus etiam non exsistentibus, omnes in omnibus hominibus repraesentationes sensiles efficere; *ergo* non potest refutari idealismus obiectivus.

Resp. *Dist. antec.:* Non deest absoluta potentia, *trans. antec.;* non obest potentia ordinata, scil. cum veritate et sapientia, *nego antec. Pariter dist. cons.:* Non refutatur idealismus obiectivus ex defectu aliquo divinae potentiae, *trans. cons.;* non refutatur ex divina veracitate et sapientia, *nego cons.*

[1] Cf. *K. Jaspers* in Zeitschrift für die gesamte Neurologie und Psychiatrie. Referate und Ergebnisse IV (1912) 289 sq et praesertim p. 341.

Inst. Certe nihil obstat, ne Deus sapiens ob finem se dignum in aliquo homine excitet immediate aliquam sensationem obiecto non praesente; *atqui* talem finem se dignum forte Deus videt semper et pro omni homine; *ergo* non repugnat idealismus obiectivus.

Resp. *Dist. mai.:* Nihil quidem obstat, ne Deus sapiens et verax in re particulari ex fine se digno iisque in adiunctis, ut error vitari vel detegi possit, aliquam in organis humanis sensilem repraesentationem efficiat, *conc. mai.;* id facere potest ita, ut hominem in errorem ducat, *nego mai., nego min.* et *nego cons.* Nam qui fieri possit, ut Deus sapiens et verax eas omnes repraesentationes efficiat, quibus ad persuasionem de corporum extra nos exsistentia adducimur? Nam homo quilibet natura duce scit sibi sensationibus constantibus et uniformibus et cum ineluctabili necessitate coniunctis exhiberi corpora ut praesentia et re exsistentia ita, ut rationabiliter suspicari minime possit, has sensationes a Deo per miraculum excitari. Praeclare his verbis *Tertullianus* increpat academicos: „Quid, inquit, agis, Academia procacissima? Totum vitae statum evertis, omnem naturae ordinem turbas, ipsius Dei providentiam excaecas, qui cunctis operibus suis intellegendis, incolendis, dispensandis fruendisque fallaces et mendaces dominos praefecerit sensus. Annon istis universa condicio subministratur? Annon per istos secunda quoque mundi instructio accessit? tot artes, tot ingenia, tot studia, negotia, officia, commercia, remedia, consilia, solatia, victus, cultus, ornatusque omnia. Totum vitae saporem condierunt, dum per hos sensus solus omnium homo animal rationale dignoscitur intellegentiae capax, et ipsius Academiae.“ [1]

Nec vero audiendi, qui Deum putabunt errorem necessarium, constantem, invincibilem permittere posse in omnibus hominibus, cum eiusmodi errorem reapse permittat in amentibus. Nam aliud est, Deum in aliquo individuo *non impedire,* ne defectus accidat ex laesione organica: aliud, in omnibus hunc defectum *intendere* tamquam medium naturale ad assequendos fines in humano genere.

Neque timendum est, ne genius nescio quis malignus nobis continenter obiciat vana simulacra. Deus enim, cum sit naturae auctor, permittere non potuit, ut a quopiam tanto ludibrio habeamur, cum praesertim nulla res nobis in promptu sit, qua illusionem istam detegere vel vitare possimus.

525. ***Obi. 6.*** Inter sensationes et corpora nulla est relatio aut proportio; *ergo* ex sensationibus corpora cognosci non possunt.

Resp. *Dist. antec.:* Non est relatio sive proportio entitatis, *conc. antec.;* non est relatio causalitatis et repraesentationis, *nego antec.* Itaque revera inter sensationes et corpora est relatio dependentiae, non solum illius, quae est inter effectum et causam, sed etiam eius, quae est inter repraesentationem ut effectum formalem et rem repraesentatam ut causam (obiective) formalem.

[1] De anima c. 17 (*Migne* 2, 676).

Inst. Etiamsi essent corpora, ea tamen nullo modo repraesentationes vitales efficere possent. Nam inter causam et effectum debet esse proportio, quae nulla est inter actus vitales et corpora bruta.

Resp. Effectus sane causae totali proportionatus esse debet: at corpora sunt causa partialis tantum. Itaque adhibita distinctione *negamus* inter perceptiones sensiles et corpora nullam esse proportionem *repraesentationis*. Quodsi proportio *efficientiae* attendatur, *subdistinctione* opus est: non enim est proportio haec spectato toto cognitionis actu; est tamen proportio haec spectata illa modificatione organica sive immutatione naturali, qua organum ad eliciendum actum cognoscitivum disponitur et determinatur.

Obi. 7. Ut per sensus de rebus externis vere certi esse possimus, requiritur, ut antea naturam nostrorum sensuum cognitam habeamus, atque etiam normas, secundum quas in usu sensuum externorum agendum sit; *atqui* hanc cognitionem habere non possumus nisi sensibus externis adhibitis; *ergo* tota res in circulo vitioso vertitur.

Resp. Sicut ad manducandum et digerendum, quantum satis sit, non requiritur, ut antea naturam et aptitudinem dentium stomachive cognoscamus, ita ad sentiendum corpora, quantum satis sit, minime requiritur, ut antea naturam normasve sensationum cognitas habeamus. Sed ipso usu satis id cognoscimus, et hanc sane cognitionem post usum perficere possumus.

526. ***Obi. 8.*** Repraesentationes rerum omnino ab indole et natura sentientis pendent[1]. Quis enim dubitet rem eandem aliam apparere muscae, aliam pisci, aliam homini? Et ipsorum hominum iudicia de corporum qualitatibus omnino diversa sunt. *Ergo* nulla est vis obiectiva repraesentationum nostrarum sensilium.

Resp. Non est dubium, quin et complexus affectionum rerumve obiectivarum, quae ab ente sensitivo percipi possunt, atque etiam huius perceptionis rectitudo a dispositione organica sentientis pendeat. Sed haec dispositio, cum ad naturalem facultatis cognoscitivae aptitudinem pertineat, per se semper ea est, ut perceptio recta et rei externae consentanea efficiatur, etiamsi per accidens propter aliquem defectum, qui praeter intentionem naturae contingat, perceptio falsa effici possit (ut accidit in iis, qui daltonismo affecti sunt). Praeterea haec dispositio ex naturae ordine in aliis animantibus alia est; alius est enim araneae oculus, alius aquilae, alius hominis. Quae diversitas pro formali rectitudine et veritate perceptionis vim nullam habet, sed id tantum efficit,

---

[1] Dicit *Helmholtz:* „Eine Vorstellung verlangen, welche unverändert die Natur des Vorgestellten wiedergäbe, also im absoluten Sinne wahr wäre, würde heißen, eine Wirkung zu verlangen, welche vollkommen unabhängig wäre von der Natur desjenigen Objektes, auf welches eingewirkt wird; was ein handgreiflicher Widerspruch wäre“ (Handbuch der physiol. Optik[3] [1910] 3. Abschnitt, Einleitung p. 18).

ut non omnis visio vel auditio aequaliter ad eadem obiecta se extendat. A subiectivae dispositionis diversitate pendet quoque affectionum varietas, quae in parte appetitiva variorum animantium ex habitis sensationibus insunt. Non enim res tantum externae a sentiente sentiuntur, sed impressiones etiam organicae, quas res externae in sentiente efficiunt, concomitanter a sentiente sentiuntur.

Dices porro: Animalia tamen multa sentiunt ut fugienda, quae homo fortasse sentit ut appetenda.

Respondeo: Sit ita. At quid tibi haec res negotii facessit? Unaquaeque enim species animalium rebus, quibus forinsecus afficitur, ita afficitur, ut natura fert cum obiecti percepti tum subiecti percipientis. Et brutis sensus non sunt dati, ut inde hauriant intellegibilem veritatem, sed tantum propter vitae animalis necessitatem. Unde perceptio affectionum subiectivarum apud bruta primas partes tenet. Quae affectio pro diversitate naturae animalis diversa esse debet.

Inst. Uni etiam homini sapit, quod alteri displicet, et una eademque res alteri delicias, alteri nauseam creat. *Ergo* hominum iudicia de qualitatibus corporum omnino diversa sunt.

Resp. Imprimis distinguere oportet inter affectiones ex subiecto natas et in subiecto inhaerentes, et affectiones, quae natura duce rebus externis attribuuntur. Et hae affectiones, quae attribuuntur rebus, iterum duplices esse possunt: aut enim iudicamus eas *absolute* extra nos esse, aut eas in rebus ad nos relatis inesse ponimus. Perspicuum autem est affectiones subiectivas atque etiam eas obiectivas, quae relationem ad sentientem involvunt, a sentientis dispositione, inclinatione, consuetudine, praeiudiciis pendere posse. Nulla autem est inter hominum iudicia de rebus cognitis diversitas, ex qua veracitas vel vis cognitionis obiectiva attenuari possit.

Obi. 9. Ostendunt nostrae aetatis physiologi sensum pati ab irritante obiecto externo et excitari ad activitatem, qua efficiatur lux, color, sonus, magnitudo, alia, ita ut apparentiae sensibiles nihil aliud sint nisi effectus subiecti sentientis, vel si mavis irritationes mechanicae operatione sentientis transformatae in id, quod sentienti apparet. Quod si ita est, iam id quod sentienti apparet, vi omni obiectiva est destitutum, neque quidquam extra sentientem esse debet nisi ignotum quiddam, quod sit causa irritationis.

Resp. Ostendunt physiologi sensum pati ab irritante obiecto externo et excitari ad activitatem, qua cognoscens specie expressa rem externam cognoscat, non autem ad activitatem, qua producatur id quod a cognoscente primo et per se cognoscatur. Experientia enim teste universali is, qui adhibet oculos, aures, non solum ab aethere, aëre pulsatur ad has vel illas apparentias ex se proiciendas, sed quod princeps est et apertissimum, res obiectivas percipit. Quae res manifestissima explicationibus non torquenda vel obscuranda, sed per causas explananda est.

Inst. Ostendunt tamen physiologi ex subiecto trahi id, quo cognoscens ad cognoscendum sic vel aliter determinetur.

Resp. 1. Falsum est vim et veritatem obiectivam cognitionis inde pendere, quod formae determinantes cognoscentem ad res has vel illas cognoscendas ab ipsis his vel illis rebus in cognoscente effectae sint. Vera enim obiective esse potest cognitio, etiamsi formae sint innatae vel a cognoscente ipso productae. Ut cognitio sit obiective vera, requiritur et satis est, ut formae illae sint medium, quo is qui cognoscit, ad has vel illas res ut sunt in se ipsis, cognoscendas determinatus sit.

Resp. 2. Nulla ratione physiologi ostendunt formas illas subiecto cognoscenti innatas esse vel a solo subiecto effectas. Contra psychologi ex diligenti factorum observatione ostendunt formas illas produci in sentiente ab externis rebus sensibilibus. Qua in re est omnino inter nostrae et antiquae aetatis philosophos concordia.

527. ***Obi. 10.*** Sint igitur corpora. Sed id videtur certum esse nos ratiocinio vel saltem illatione aliqua cognoscere res externas. Nam cognitio sensitiva nihil est nisi actus mentis nostrae a re externa secundum partem aliquam productus; ergo manuducente nexu causali ad cognitionem rei externae pervenimus; quod aliter fieri non potest nisi per illationem vel ratiocinium.

Resp. Non est dubium, quin ratiocinium vel illatio adhiberi possit, quo nostra persuasio fiat, quae philosophum decet, reflexa et confirmata. Minime id tamen necesse est ad comparandam quamlibet de rerum existentia certitudinem. Illas enim res exsistere, immediatius multo cognoscimus quam nexum causalem, qui intercedit ut medium.

Inst. Ideo persuasum nobis esse potest revera exsistere corpora, quia vim obiectivam habet principium causalitatis. *Atqui* principium istud nihil aliud est nisi necessitas quaedam subiectiva, secundum quam agere debeamus.

Resp 1. *Dist. mai.:* Principium illud est causa persuasionis nostrae in ordine ontologico, *conc. mai.;* in ordine cognitionis, *nego mai.* Non enim principium istud cognoscendo adhibemus, ut cognoscamus res externas, sed has cognoscimus immediate.

Resp. 2. *Omissa mai. nego min.* Nam cogitantes illud principium, eius vim obiectivam et a mente non pendentem intuemur simul.

528. ***Obi. 11.*** Certitudo, quam de corporibus habere dicimur, aut in sensu est aut in intellectu. *Atqui* sensui, qui facultate iudicandi careat, nulla inesse potest certitudo, cum certitudo in solo iudicio reperiatur: intellectui autem, qui solum attingat universalia, nulla de corporibus certitudo esse potest, cum corpora omnia sint singularia.

Resp. Certitudo illa incohative et quasi ministerialiter est in sensu, qui sicut iudicare dicitur, ita etiam certus esse dici potest. Perfecte autem et principaliter est in intellectu, cuius cognitio ex se quidem intendit ad universalia, sed tamen nullatenus impeditur a cognoscendis

etiam singularibus. Et certitudo illa incohata et imperfecta, quae est in sensu, satis est, ut perceptio sensuum externorum dicatur esse motivum certitudinis.

Inst. Non est proprium sensus externi cognoscere veritatem, sed id intellectus est; perceptio igitur sensuum externorum nullo modo motivum certitudinis esse potest.

Resp. Veritas illa formalis, quae est adaequatio intellectus ad rem, sensu non cognoscitur; veritas autem ontologica, quae cum ente convertitur, sensu attingi potest. Sensus, cum facultate perfecte in actus suos redeundi careant, adaequationem cognitionis cum re cognita cognoscere non possunt; sed ad id requiritur activitas intellectus, quae perceptioni sensuum supervenit ad reflexionem illam instituendam: in quo negotio sensus non agunt principaliter, sed ministerialiter. Unde recte quis dixerit perceptionem sensuum esse motivum certitudinis ministerialiter tantum.

Obi. 12. Certitudo de exsistentia corporum in conscientia fundamenta habet; *atqui* iudicia conscientiae vera et certa esse nondum probatum est; *ergo* certitudo illa hoc loco satis formari non potest, nisi prius ostendatur conscientiae veracitas.

Resp. *Dist. mai.:* Certitudo illa fundamenta habet in conscientia reflexa vel in conscientiae iudiciis, *nego mai.;* in conscientia concomitante, *subdist.:* quatenus haec esset fons et motivum illius certitudinis vel referret aliquid, quod prius directe aspici deberet, *nego mai.:* quatenus ea est condicio, quae ipsa sua praesentia rem externam manifestat, *conc. mai.* Et *concessa min. nego cons.*

Inst. Id quod primum a nobis cognoscitur, primo loco crisi subici debet; *atqui* primo affectiones subiectivas cognoscimus: *ergo* de his prius disputandum est quam de obiectis sensuum externorum.

Resp. *Dist. mai.:* Id primo crisi subiciendum est, quod primum cognoscitur ut fons et motivum eorum quae sequuntur, *conc. mai.;* secus *nego mai.* Itaque in confessis est, id quod primo a puerulo cognoscatur, esse affectiones subiectivas, ut doloris, molestiae, incommodi, iucunditatis, voluptatis, quibus cognitis iste ad primos suos motus spontaneos cieri solet. In confessis quoque est, id quod primo a reflectente philosopho cognoscatur, esse illas affectiones subiectivas, quae actibus cognoscitivis constituuntur. Ita iam eleatici ex exsistentia reali loquelae et cogitationis propriae exsistentiam alicuius, quod revera *sit*, intulerunt. *Aristippus* Cyrenaeus in affectionibus subiectivis unicum veritatis criterium reposuit. Et multi contra academicos ex affectionibus subiectivis, quae omnino essent certae, profecti sunt. Quinimmo *Occam* omnium rerum, quae nobis certae essent, certissimam esse duxit conscientiam, qua nos vivere, nos cogitare cognosceremus. Quam sententiam posteriore tempore secutus *Cartesius* in hac propriae cogitationis, i. e. affectionum subiectivarum, certitudine exordia philosophandi posuit[1]. Et etiam *Hegel*, etiamsi conscientiam de

[1] Medit. II, ed. *Adam* et *Tannery* VII 23 sq.

actibus propriis non esse initium philosophandi docuerit, quod iam ad ipsam scientiam pertineat, eam tamen ut condicionem certam habet, quae scientiam antecedere debeat[1]. Si *Schleiermacher* consulas, tibi dicet in actibus nostris verum quoddam „esse" cognosci[2]. Consimiliter arbitratus est *Beneke* cognitis affectionibus subiectivis verum quoddam „esse" cognosci, quod a sua repraesentatione non pendeat[3], atque in hac fundamentali cognitione totum et integrum philosophiae systema reponit.

Nos autem cum vim et indolem, quae cognitioni affectionum subiectivarum inest, minime ignoremus, in enumerandis fontibus sive motivis certitudinis primo loco conscientiam *poni posse concedimus*. Praeferimus tamen, ut primo loco disputetur de sensibus externis. Nam sensatio externa est cognoscendi genus apertissimum, in quo igitur facillime naturam cognitionis diiudicare possumus; et in sensatione externa obiectum primum non cernitur in affectione subiectiva, sed in re externa. Deinde in sensu externo exordia disputationis ponentes, id iam efficimus, ut efficacius excludi possit error idealistarum, qui hodie modo apertus modo occultus longe lateque vagatur. Qui error nos in omnibus nostris cognitionibus cognoscere primo nos notrasque affectiones statuit, ex quibus cognitis ad exsistentiam rerum externarum concludamus. Atque ex his statutis idealismum totam suam vim et veritatem haurire dicunt (cf. n. 491).

529. **Thesis 11.** **Sensus si fuerint sani, recte dispositi, convenienter applicati, quoad perceptionem sensibilis proprii a falsitate sunt immunes; recensitas autem condiciones impletas esse certo constare potest.**

Ad stat. quaest. 1. Veracitatem et valorem obiectivum sensationis externae in genere supra, thesi 9[a] (n. 502 sq), defendimus: iam ad singula animum vertamus. Cum singuli sensus externi habeant obiectum sibi proprium, quod nullo alio sensu percipi possit, primo de veritate singularium iudiciorum quaerimus, quae mens fert alicui singulari perceptioni innixa, v. g. obiectum quod nunc video, est caeruleum, alterum flavum; quod sapio nunc, dulce est vel amarum. Non agitur in hac thesi de natura intrinseca harum qualitatum, sed de eo solum, utrum tuto et certo seu vere eas inter se distinguamus.

2. De numero sensuum externorum recepta est divisio in quinque sensus, scil. *visus*, cuius obiectum est color et lux; *au-*

[1] Phänomenologie des Geistes, Vorrede. Encyclop. § 413 sqq.

[2] „Im Selbstbewußtsein ist uns gegeben, daß wir beides sind, Denken und Gedachtes, und unser Leben haben im Zusammenstimmen beider" (Dial. § 101). „Nennen wir das Gedachte ein Sein, so sind wir ein Sein neben dem Denken" (ibid. § 106, nota p. 54).

[3] Neue Grundlegung zur Metaphysik (1822) 10.

ditus sonos, *olfactus* odores, *gustus* sapores refert; *tactus*, si strictissime sumitur, pro obiecto habet duritiem et resistentiam (cf. n. 503).

3. Facultas sensitiva non est simplex et spiritualis, sed organica; subest itaque alterationi internae, ex quo defectus oriri possunt, qui ipsam minus aptam reddant ad suum exercitium. Praeterea facultas ex se sola non est sufficiens ad actum cognoscitivum in se formandum, sed ab obiecto determinari debet per physicum aliquem influxum; cum autem actio in distans non fiat, aut ipsum obiectum debet organo per contactum immediatum coniungi (quod v. g. obtinet in gustu), vel obiectum exercere debet influxum mediatum per aliquod interiacens inter ipsum et organum. Ut igitur cognitio recte fiat, condiciones tum ex parte facultatis seu sensus, tum ex parte obiecti vel etiam ex parte medii impleri debent.

4. Tribus partibus thesim absolvemus: prima parte defendimus sensum quemlibet quoad suum obiectum formale per se verum et infallibilem esse; parte altera ostendemus, quaenam sint condiciones necessariae; tertia parte asserimus constare posse, condiciones necessarias esse impletas.

530. Pars I. Sensus externus quilibet per se non fallit quoad suum obiectum proprium et formale.

Arg. 1 *(ex nexu, qui est inter potentiam et eius effectum proprium).* Effectus proprius, ad quem aliqua potentia naturaliter ordinatur, infallibiliter obtinetur, si condiciones requisitae adsunt: *atqui* repraesentatio corporis quoad sensibile proprium est effectus proprius, ad quem quisque sensus naturaliter ordinatur; *ergo* repraesentatio quoad sensibile proprium infallibiliter per sensus obtinetur, si condiciones requisitae adsunt.

Ad mai. Certam aliquam potentiam habere idem est ac certum aliquid efficere posse; hinc omnibus ad agendum requisitis positis illud idem debet efficere posse.

Ad min. Ipsa sensatio est actus *naturalis*, quatenus, si sensus sive per liberam voluntatem sive per spontaneam attentionem ad certum aliquod obiectum applicantur, sensatio iam necessario fit secundum leges naturae, independenter a libera voluntate.

Arg. 2 *(ex sapientia et bonitate Dei, auctoris naturae).* Repugnat sapientiae et bonitati Dei, auctoris naturae, media nobis dedisse ad finem prorsus inepta; *atqui* si sensus circa sensibile proprium nos in errorem ducerent, Deus media nobis dedisset ad finem prorsus inepta; *ergo* sensus quoad proprium suum obiectum non sunt fallaces.

Prob. min. 1. Sensus a naturae auctore hominibus dati sunt, ut per ipsos cognoscant, quaecumque de corporibus scire ipsorum refert, id quod ex eo patet, quod non aliter notitiam corporum eorumque qualitatum acquirimus nisi per sensus. Si igitur sensus quoad obiecta sua propria fallerent, essent media ad fines suos prorsus inepta.

2. Homines nihil certius habent, quam quod sensibus suis attingunt, ut patet ex communi et perpetuo usu loquendi: validissima enim certitudinis argumenta, quae afferuntur, si de hac materia agitur, haec sunt: Ipse vidi, tetigi, audivi etc. Immo cum de rebus abstractis sermo est, firmitatem certitudinis significamus eo modo, quo certitudinem sensuum exprimimus; nimirum dicimus veritatem esse evidentem, palpabilem, intuitivam, sua luce fulgere etc. Tam communem et firmum errorem permittere Deus non potest.

531. Pars II. Requiruntur ad veram cognitionem sensibilis proprii condiciones:

I. *Ex parte sensus.* Omissa et ad psychologiam transmissa quaestione de sede propria sensationis, quam alii in ipso organo centrali (cerebro), alii in organo externo (v. g. oculo), alii in utroque coniunctim ponunt, certe ad sensationis actum requiritur organum externum per nervos cum cerebro coniunctum totumque ab anima vivificatum. Organum hoc totum est valde complicatum et artificiose constructum ad finem rectae repraesentationis sui obiecti. Defectus igitur quilibet organi etiam ipsius usum et exercitium facile vel ex toto vel ex parte impedire potest, ita ut aut cognitio nulla aut plus minusve vitiosa fiat. Condiciones ex parte sensorii reduci possunt ad organi sanitatem, rectam dispositionem, rectam applicationem seu usum.

1. *Sanitas* (integritas) sensu pleno adest, si organum perfecte a nativitate secundum naturae ordinem constructum et evolutum neque morbo quolibet affectum est. Defectus a nativitate vel ex morbo potest esse totalis, uti in plene caeco, surdo; aut partialis, uti v. g. in daltonismo.

2. *Apta dispositio.* Ad impressionem recipiendam organum debet esse, ut ita dicam, liberum; natura rem ita instituit, ut cessante influxu obiecti impressio recepta mox cedat, ita ut novae impressioni recipiendae statim aptum reddatur. Potest autem per accidens prior aliqua impressio vehementior vel diuturnior ita remanere, ut organum a clara nova perceptione impediatur. Ita oculus diutius in flavo colore defixus, ad alias res conversus eas caeruleo colore obductas videt; palatum acri sapore perfusum

alteri sapori gustando par non est; manus nimis frigidae palpandis rebus tenuibus ineptae sunt; etiam mera defatigatio claram perceptionem impedit.

3. *Recta applicatio et usus.* Organum debet ab extra excitari ad actum; requiritur autem etiam applicatio, quae tamen in plerisque sensibus spontanea activitate elicitur; attamen in sensibus, praesertim perfectioribus, requiritur aliqua attentio: sic v. g. oculus ea tantum clare percipit, in quae accuratius aspectus figitur.

Addi potest ad organi perfectionem debita *exercitatio.* Organum enim ut nimio exercitio defatigari et etiam permanenter debilitari potest, ita diligenti exercitio intra moderatos limites perficitur. Quod facile patet, si comparaveris oculum eius, qui assuetus est semper res solum maxime propinquas attendere, cum oculo eius, qui exercetur in rebus dissitis considerandis, et aliis innumeris.

II. *Ex parte obiecti.* Per se patet nullum sensum se extendere posse ultra ambitum sui obiecti formalis; potest sensus percipere directe et per se obiectum extensum sub qualitate sibi proportionata, v. g. coloris, soni, resistentiae. Sed etiam in hac qualitate et extensione percipienda sensus, utpote ab organo materiali intrinsecus dependens, limitatus est. Ita extensio potest esse minor vel maior, quam quae oculo nostro proportionatur; sed etiam lux, color, sonus potest esse aut intensior aut debilior, quam nostro organo respondet; breviter condiciones ex parte obiecti requisitae reduci possunt ad hoc, ut *obiectum sit proprium et proportionatum cuilibet sensui.*

III. *Ex parte coniunctionis necessariae* obiecti et sensus requiritur: aut 1° obiecti cum organo *contactus,* aut 2° *medium aptum,* per quod obiectum debito modo in organum agere valeat; ita ut certus color distans recte percipiatur, requiritur ut intersit diaphanum homogeneum.

Has condiciones necessarias esse, ex natura facultatis sensitivae per se patet.

532. Pars III. Constare potest condiciones requisitas adesse.

1. *Quoad condiciones ex parte subiecti.*

a) Sensus hominum generatim et ordinarie *ritio non laborare* sequitur illatione ex prima parte; defectus autem, qui sunt exceptiones, data occasione se manifestabunt comparatione facta cum iudiciis aliorum.

b) Sensus *non esse aegrotos* eo ipso constat, quod nulla adsit seu percipiatur molestia, dolor etc., et ex ipso claro et non impedito exercitio.

c) Quae *aptam dispositionem* accidentaliter tollunt, etiam facile attento animo patefiunt. Sic e. g. quando oculus colori vivido vel luci solis diu infixus ad colores recte percipiendos non iam est aptus, id deteget; moto enim oculo ad varia obiecta, opacum vel inusitatus color oculo moto etiam movetur, dum cetera obiecta quieta manent.

2. *Quoad condiciones ex parte obiecti.* Eo ipso, quod hae non sunt impletae, deerit ea perceptionis claritas, quae animum ad iudicandum trahit.

3. *Medium interveniens* inconsuetum seu abnormale tum immediata actione sua in varios sensus se manifestare potest, tum eo ipso, quod obiectum aliter atque ordinarie perceptum est repraesentat, mentem ad novam attentionem vocabit.

Condiciones igitur requisitas adesse cognosci potest, et quidem *sine circulo vitioso;* non enim est circulus, ex comparatione inter varios actus facultatis *per se* veracis diiudicare rectos et veros ab iis, qui *per accidens* falsi sunt.

533. ***Coroll.*** Ergo iudicia intellectus de sensibili proprio, quae immediate nituntur in sensatione sana et normali, vera et certa sunt; seu sensus externi pro nostro intellectu sunt fons verae certaeque cognitionis.

Scholion. Diximus de condicionibus constare *posse;* non autem asseruimus semper constare. Potest enim per accidens defectus aliquis, sive in organo sive in medio, esse, qui ita lateat, ut non facile se prodat; et consequenter potest accidere, ut aliquis per accidens erret et sat diu in errore haereat. Comparatione autem facta cum experientia, praesertim aliorum, defectus se prodere potest. Neque negamus hominem aliquem diu, immo per totam vitam suam defectu aliquo, v. g. daltonismo non nimis gravi, laborare posse, quin umquam de facto ad hunc suum defectum attentus fiat.

534. ***Obi. 1.*** Si sensus essent veraces in sensibili proprio referendo, omnes qui sanos habent sensus, de eodem obiecto idem sentirent; *atqui* etiam omnibus condicionibus impletis diversa sunt iudicia: quoad v. g. resistentiam alii res durior, alii mollior apparet, alii plus alii minus dulcis; *ergo* sensus non sunt veraces.

Resp. *Dist. mai.:* Si obiectum revera est prorsus idem, *conc. mai.;* si est solum inadaequate idem obiectum, *nego mai. Contradist. min.:* Diverse iudicant de ipso eodem obiecto formali, scil. de resistentia, dulcedine, *nego min.;* de gradu intensitatis eiusdem qualitatis, *subdist. min.:* et quidem quia cum perceptione sensus externi simul sensu interno aliquid subiectivi percipitur, scil. activitas propria resistendi, vel dispositio or-

gani est paulo diversa et proin perceptio ipsa (dulcedinis) intensior, *conc. min.;* sub prorsus iisdem condicionibus, *nego min.*

Obi. 2. Ut secundum thesim de veracitate sensuum certus sim, debeo scire condiciones esse impletas; *atqui* condiciones esse impletas nequit cognosci nisi iterum sensibus: *ergo* sine circulo vitioso non habetur haec certitudo, et hinc nulla est.

Resp. *Dist mai.:* Requiritur cognitio condicionum, ut sciam in concreto casu non per accidens falli sensus, *conc. mai.;* ut sciam, sensus non esse per se fallaces quoad sua obiecta, *nego mai. Dist. min.:* Condiciones esse impletas non potest cognosci nisi ipsis iterum sensibus externis, *nego min.;* non potest cognosci nisi attentione sensus interni et intellectus ad circumstantias sensationum externarum, *conc. min. Dist. cons.:* Si iisdem solis sensibus externis dignoscendum esset, *trans. cons.:* si dignoscitur sensus interni et intellectus attentione addita, *subdist. cons.:* Non est certitudo inhaesiva in sensibus externis sed in intellectu, *conc. cons.;* non haurit intellectus certitudinem de corporum qualitatibus sensibilibus ex sensibus, *nego cons.*

535. Thesis 12. Sensus sub debitis condicionibus etiam sensibile commune veraciter referunt.

Ad stat. quaest. 1. Sensibilia communia numerari solent quinque: magnitudo, numerus, figura, motus, quies; quae omnia ad quantitatem et extensionem reducuntur. Sunt per se sensibilia, tamen „non movent sensum *primo* et per se, sed ratione sensibilis qualitatis, ut superficies ratione coloris. Nec tamen sunt sensibilia per accidens, quia huiusmodi sensibilia [communia] aliquam diversitatem faciunt in immutatione sensus. Alio enim modo immutatur sensus a magna superficie et a parva“ [1].

Vocantur communia, quia non ad unicum sensum referuntur, ut sensibile proprium, sed a pluribus sensibus percipi possunt. Visus et tactus haec sensibilia omnia percipere valent; reliqui sensus magnitudinem et figuram per se non percipiunt; motus et numerus aliquo certe modo etiam auditu percipi possunt.

2. Condiciones requisitas ad sensibile proprium recte percipiendum etiam ad rectam cognitionem sensibilis communis requiri iam inde patet, quod sensibile commune non potest per se solum, sed simul cum sensibili aliquo proprio et in ipso cognosci. Ad certam cognitionem sensibilis communis praeterea requiritur, ut applicentur simul et attendantur omnes isti sensus, ad quos illud refertur. Potest tamen applicatio alterius sensus suppleri notitia prius iam acquisita.

[1] *S. Thom.*, S. th. 1, q. 78, a. 3 ad 2.

536. 3. De singulis sensibilibus communibus praesertim haec notanda.

a) *Magnitudinem* visu et tactu percipimus. Visui autem idem obiectum maius vel minus apparet pro diversa distantia ab oculo: ut tactu extensionem maiorem vel minorem discernamus, non sufficit quasi tactus in puncto, sed requiritur aut motus aliquis, v. g. digiti tangentis, aut contactus per sat determinatam superficiem, v. g. manus. Magnitudinem obiectorum propinquorum primo aestimamus potissimum per tactum et comparationem cum aliqua parte corporis proprii. Indigemus aliqua mensura; adhibetur ulna, pes, gressus, digitus, vel certum aliquod corpus tamquam mensura corpori mensurando applicatur.

Distantia ad magnitudinem reducitur, estque eodem modo mensuranda. Si aliunde ex experientia iam novimus rerum distantias, sensus internus et mens innixa impressioni sensus etiam unius multa sat accurate discernere discit.

b) *Numerus* hic intellegitur sensu latiore pro multitudine; incohativa cognitio numeri hauriri potest tum visu, tum tactu, tum auditu.

c) *Figura* rei planae sat facile per sensibile proprium visus cognosci potest; de figura autem trinae dimensionis ut doceamur, ad visum accedere debet motus oculorum vel totius corporis atque rei per omnes partes attrectatio.

d) De *motu* et *quiete* advertendum est nos solo tactu vel visu interveniente non motum absolutum percipere, sed relativum dumtaxat, i. e. mutationem successivam positionis inter varia obiecta vel inter solum sensum nostrum et obiectum. Ita ex solo visu non semper discernere valemus, utrum mutatio apparentis distantiae inter duo corpora proveniat a motu alterutrius an utriusque. Similiter „qui exsistit in navi, eius motum non videt, nisi distantiam videat vel approximationem ad corpus fixum. . . . Si tactus simul cum re moveatur, motum non percipit, veluti cum navi vehimur, quam licet tangamus, ipsum tamen motum vi praedicti tactus non sentimus.“ [1] Haec autem positionis mutatio eodem modo contingit, sive sensus movetur sive res externa. Quod cum ita sit, de motu rei non ex solo uno sensu iudicari potest, sed complexus quidam sensationum adhibendus est, quo nobis constet nos non moveri, i. e. saltem non mutare locum et distantiam nostram relate ad aliquod certum aliud corpus.

537. **Pars I.** Sub debitis condicionibus veraces sunt sensus etiam quoad sensibile commune.

[1] *Suarez*, De anima 3, 8, 8.

Argumentum *(ex naturali destinatione sensuum).* Effectus, ad quem potentia aliqua natura sua est ordinata, debitis condicionibus positis, necessario obtinetur; *atqui* perceptio vera sensibilium communium est effectus, ad quem respectivi sensus collective sumpti natura sua seu per se ordinantur: *ergo* debitis sub condicionibus vera perceptio necessario obtinetur.

Ad mai. Si potentia aliqua naturaliter ad effectum ordinatur et tamen debitis condicionibus positis eundum non attingeret, esset ex supposito potentia ad hunc effectum et simul non esset, utpote per se insufficiens.

Prob. min. Sensibile commune est sensuum, scil. visus et tactus, obiectum *per se,* quamvis non primo; nam

a) quantitas seu extensio in sensibili proprio essentialiter attingitur, quia sensibile proprium eatenus sensus afficere et determinare potest, quatenus est extensum;

b) figura, magnitudo etc. per se sensus nostros afficiunt et determinant, quamvis in sensibili proprio et eo mediante, quia ratione sui diverso modo immutant organa nostra; nam diversa extensio etiam diversam facit impressionem in organis, et quidem ratione suae diversitatis[1].

Pars II. Constare potest condiciones requisitas adesse.

De condicionibus, quae referuntur ad singulos sensus, satis dictum est thesi praecedenti; solum constare debet sufficientem plurium sensuum coniunctionem adhibitam esse; id autem in ordinariis sat facile constat ex ipsa congruentia testimonii utriusque sensus applicati. Error cavetur, modo ne plus asseratur iudicio, quam quod sensus coniunctim revera et positive referunt.

538. ***Obi. 1.*** Innumerabiles sunt errores circa figuram, magnitudinem, distantiam, motum. Ita luna nobis superficie plana videtur et multo minor quam est; turris quadrata e longinquo apparet rotunda: rota celerrime circa axem mota et sidera licet celerrime mota apparent quieta, et plurima alia; *ergo* sensibus non est fidendum quoad sensibile commune.

Resp. *Dist. antec.:* Et hi errores accidunt adhibito unico sensu, *trans. antec.;* adhibitis pluribus, *nego antec. Dist. cons.:* Sensu uno non acquiritur cognitio perfecta et certa de sensibili communi, *conc. cons.;* sensibus pluribus simul attentis, *nego cons.*

Obi. 2. Lignum, quod poris abundat, visui et tactui apparet ut continuo extensum; *ergo* etiam simul sumpti sensus non sunt certus fons quoad sensibile commune.

Resp. *Dist. antec.:* Videmus positive absolutum continuum, quod poris careat, adesse, *nego antec.:* apparet ita extensum, ut non interrumpatur

[1] *S. Thom.,* S. th. 1, q. 78, a. 3 ad 2.

vacuis, quae sint sensibus nostris perceptibilia, *conc. antec. Dist. cons.:* Non gignunt adaequatam obiecti cognitionem, *conc. cons.;* non gignunt veram cognitionem quoad ea quae manifestant, *nego cons.*

539. **Thesis 13. Non solum extensio (sensibile commune), sed etiam qualitates per se primo sensibiles (sensibilia propria) formaliter sunt in ipsis rebus.**

Ad stat. quaest. 1. Priore thesis parte asserimus sensuum veracitatem postulare, ut sensibile commune in rebus formaliter insit. Adversarii partis huius sunt praecipue kantiani[1]. Qui admittunt obversari nobis repraesentationes rerum, quae nobis appareant extensae, figuratae etc. Sed negant extensionem rebus propriam esse et autumant eam esse modum perceptionis nostrae subiectivum, qui ex nobis posita aliqua excitatione forinsecus adveniente exoriatur et rebus et ipsis etiam nostris organis subiective perceptis aspergatur, simili modo, sicut apud hominem perspicillo caeruleo utentem res omnes offunduntur colore caeruleo.

Argumenta, quae ad alteram thesis partem probandum afferemus, etiam hanc partem (a fortiori) demonstrant, quare eo brevius primam partem absolvere licet. De hac priore parte thesis cf. *Lehmen-Beck,* Kosmologie, ed. 3, p. 24 sq.

2. Neque in quaestione de obiectivo valore extensionis neque in altera parte, quae agit de valore obiectivo sensibilis proprii, agitur de intrinseca natura obiecti. Ita quaestio, sitne extensio nota substantialis corporum, an corpora formaliter constituantur extensa per aliquod accidens substantiae superadditum, porro quaestio, in quo sit essentia physica et metaphysica motus localis; per quid corpus constituatur ita figuratum; in quo physice consistat calor, lux, sonitus: omnes istae quaestiones pertinent ad physicam et philosophiam naturalem. In critica solum de eo quaerimus nunc, sintne ista sensibilia formaliter in obiecto ita, ut nobis in obiecto esse apparent.

540. 3. De *sensibili proprio* etiam excluso idealismo, qui eas qualitates subiecto unice ascribit, et mechanismo bruto, qui omnia

[1] „Nachdem man sich daran gewöhnt hatte, die Qualität der Sinnesempfindung als einen Zustand des Bewußtseins zu betrachten, dem zwar irgend eine objektive Eigenschaft der Dinge entsprechen möge, der aber in seiner eigentümlichen Beschaffenheit zunächst nur subjektiv bestimmt sei, lag es nahe, diese Auffassung auf die allgemeine Form zu übertragen, in der die Außenwelt uns erscheint. Nicht bloß der Idealismus Berkeleys der die Dinge völlig in den subjektiven Vorstellungen verschwinden läßt, sondern auch die realistische Weltansicht eines Leibniz ist daher überzeugt von der phänomenalen Natur des Raumes. Kant endlich hat diesen langsam in der neuen Philosophie gereiften Ansichten ihren schärfsten Ausdruck gegeben." *Wundt,* Logik I[3] 479.

per merum motum localem explicare vult, duplex distinguitur potissimum sententia: alii dicunt eas qualitates etiam independenter a nostra cognitione formaliter et actu rebus inesse; alii volunt sensibilia propria in rebus solum fundamentaliter seu causaliter, formaliter vero in sensu tantum haberi. Novam hanc theoriam vocant passim theoriam *efficientiae* (Wirkungstheorie), in oppositione ad theoriam *assimilationis* seu *conformationis* (Abbildungstheorie)[1].

Disputatio haec ad finem numquam perducetur eo modo, quo passim eam actam videris. Ex una parte nimis evidens est vera vel saltem solide fundata esse, quae plerumque ex physica afferuntur, neque opus est, ut pugnemus contra physicum, qui putaverit se ad omnia facta physica explicanda non indigere aliqua speciali nova et realiter distincta qualitate coloris, sonitus etc. Ex altera parte etiam negari nequit, non minore evidentia nobis colorem et sonitum ut aliquid a sensationis actu distinctum et obiectivum repraesentari quam ipsam extensionem. At cur utrumque inter se revera pugnare censeamus?

Distinguamus igitur accurate diversas quaestiones.

a) Alia est quaestio, utrum sensibile proprium, v. g. color, sit *realitas distincta*, quae vel per modum substantiae (ut prius de calore censuerunt) vel accidentis realiter distincti ipsi corporis substantiae eiusque internae dispositioni, motui etc. superaddatur, necne;

et alia omnino est quaestio, utrum color sit determinatio *obiecti* an *subiecti*.

Pleraque argumenta, quae ex physica afferri solent, ad summum ostendunt non esse necessariam vel non esse admittendam qualitatem realiter distinctam; nulla autem ratione solvunt et multa ne tangunt quidem alteram quaestionem.

b) Alia secundo est quaestio, quodnam sit *subiectum*, cui quodlibet sensibile *proxime* insit, utrum isti corpori, a quo provenire videtur (v. g. campanae quoad sonitum), an alicui intermedio (v. g. aëri quoad sonitum);

et alia omnino iterum est quaestio, utrum color, sonitus *formaliter* sint aliquid *obiectivi* extra sensum an *affectio subiectiva*.

Prior quaestio est physica et fortasse non unius solutionis pro omni casu; ceterum quod clangor a campana oriatur, sola auris non docet; hoc ex complexu observationum discimus (cf. n. 559). Sed revera omnis homo naturaliter percipit sonitum ut obiectivum et sensui externum[2].

[1] Cf. *Lehmen-Beck*, Kosmologie[3] 57.

[2] *Ostler* (Die Realität der Außenwelt, Paderborn 1912, p. v) recte monet accurate distingui debere has duas quaestiones, scil. 1° utrum colores adsint

c) Alia tertio est quaestio, utrum omnes vel aliquae ex istis sensibilibus sint qualitates corporum *quietae (status)* an *activae*; et alia iterum quaestio est, sitne color *obiectivus* an *subiectivus*. Si ad *priorem quaestionem* respondetur istas qualitates esse activas, quod secundum scientiam naturalem probabile est, recte dici potest: color (corporis) in actu primo remoto seu in potentia consistit in ea corporis natura et interna partium et virium dispositione, qua illud corpus aptum est, ut valeat sive aethera in undulationes certas movere sive radios talium undulationum ad ipsum missos ita sive absorbere sive reflectere sive transformare; color in actu primo proximo est ipsa haec causalitas in suo actu; tandem color in actu secundo perfecto est ipse influxus in oculum. Si tali modo admittitur color ut qualitas activa seu ut qualitas certae activitatis corporis in oculum, revera oculus non percipit mere aliquem effectum in ipso productum, sed directe suo modo percipit corpus, prout actu hic et nunc agit in oculum seu percipit qualitatem, quae actui alicui corporis convenit.

Ex eo quidem, quod hanc qualitatem actualem, v. g. *colorem*, non cognoscimus nisi visu et consequenter eam definire vel describere non possimus nisi per visum, nulla ratione sequitur eam qualitatem non esse formaliter extra visum; et multo minus *inde* sequitur qualitatem tunc solum actu et formaliter adesse, cum actu percipitur.

Attamen etiamsi quis ex rationibus quibuscumque sive scientiae naturalis sive philosophicis putaverit istas qualitates esse activas, et ita quidem, ut non habeant actum secundum perfectum, nisi quando actu influunt sensum, tamen inde quoad *alteram quaestionem* non sequitur qualitates istas esse formas *obiecti* (agentis) et non formas solius sensus; aliis verbis, non sequitur extra sensus istas qualitates esse solum fundamentaliter vel causaliter, numquam autem formaliter; id enim nulla ratione postulatur ex scientiis physicis.

541. 4. Non dicimus omnium quinque sensuum externorum obiecta eodem gradu se manifestare ut obiectiva et extrinseca. In

formaliter in ordine rerum obiectivo, et 2° utrum corpora semper eos in se habeant colores, sub quibus nobis apparent: ex eo quod alterum negandum sit, cum color possit apparere ut inhaerens alicui certo extenso, quod tamen forte solum tegit, nulla ratione sequitur colorem non esse formaliter extra nos. Sed etiam non sequitur, quod miro modo eodem loco inde sequi dicit *Ostler*, scil. nos non immediate videre res, sed oculi affectionem (Zustände in unserem Auge). Neque etiam ex eo, quod sensibile commune, v. g. quantitatem, non absolute per unum sensum cognoscamus, sed relative secundum diversam ab oculo distantiam, ullo modo sequitur nos immediate non videre extensionem ipsam realem, sed aliquam illius extensionis imaginem.

odore et maxime in gustu certe saltem aliqua subiectiva affectio simul percipitur; atque etiam in tactu simul cum corporis externi resistentia ipsius organi actio et alteratio sentiri potest. In visu autem et auditu normali nihil se repraesentat ut internum vel subiectivum. Sensus igitur partis secundae thesis est: quidquid et in quantum quid sensui externo immediate se manifestat ut a sensu distinctum et externum, etiam formaliter in ipsa re adest. Id postulat natura cognitionis [1].

5. Ne eiusdem rei demonstratio iterum postuletur, notandum est ex thesibus prioribus iam certo constare, enuntiationem sensuum externorum referri ad res extra sensum et subiectum existentes. Solum restat, ut hoc ad obiectum formale et proprium sensus externi recte applicetur, ad eas nimirum corporum notas, quibus se sensibus immediate manifestant, i. e. ad extensionem ad qualitates primo et per se sensibiles, in quibus solis etiam ipsa corporum extensio seu sensibile commune sensui innotescit.

542. Pars I. Extensio formaliter adest a parte rei.

Arg. 1 *(ex obiectiva realitate cognitionum nostrarum).* Id quod nobis naturali et invincibili necessitate ut rerum proprium repraesentamus, id quoque *est* rerum proprium. *Atqui* extensio, mobilitas localis, eaque omnia quae cum his coniuncta sunt, nobis ea qua diximus necessitate repraesentamus. *Ergo* hae affectiones rerum propriae sunt.

Ad mai. Ea est cognitionis nostrae natura, ut cognitione habita nos non tantum *concludamus* extra nos esse causam nescio quam efficientem, quae cum facultate cognoscente ad efficiendam repraesentationem concurrat, sed esse in rebus causam formalem sive id quod specie expressa obiective formaliter repraesentatur.

Ad min. Non minore evidentia res ex se extensas esse iudicamus, quam eas generatim esse. Si igitur usu sensuum adducimur, ut res

[1] *v. Kirchmann* (Kat. der Philos.[3] 103) dicit: Qualitates perceptas etiam „extra perceptionem exsistere nullam involvit repugnantiam, neque ideo negari licet. Omnino potest philosophia admittere omnes motus, quos asserit scientia naturalis, et tamen asserere etiam qualitates obiective exsistere; nam fieri potest, ut motus isti qualitates etiam extra perceptionem producant. Similiter *H. Schwarz,* Das Wahrnehmungsproblem 76. De hac parte thesis cf. *Lehmen-Beck,* Kosmologie[3] 55—92. *Ostler* dicit: „Die Partei der Anhänger der Immanenz des Wahrnehmungsinhaltes ist wohl im Übergewicht. Doch ist der Eindruck der Objektivität des Wahrnehmungsinhaltes ein zu gewaltiger, als daß nicht auch für diese immer wieder Stimmen sich erheben sollten" (Die Realität der Außenwelt 170). *De la Vaissière* statuit: „Qualitates sensibiles, quae apprehenduntur obiective exsistentes, exsistunt obiective extra mentem independenter ab homine cognoscente" (Cursus philos. natur. I, Paris. 1912, 81).

esse dicamus, etiam res in se extensas esse videmus. Et frustra eum quaeres hominem, qui, quamdiu naturam ducem sequatur, non persuasum habeat in rebus perceptis non tantum esse, quod in nobis imaginem extensionis geometricae excitet, sed etiam ipsam hanc extensionem formaliter acceptam.

Arg. 2 *(ex necessaria extensionis cum rebus obiective realibus coniunctione).* Ibi est extensio, ubi sunt res, quas extensione affectas esse percipimus: *atqui* eae res sunt extra nos; *ergo* etiam extensio est extra nos [1].

Confirmatur (ex fine sensuum). Quae sensibus apparent, ipsum esse rerum manifestum faciunt. Finis enim, propter quem homini sensus dati sunt, non solum is est, ut sensus res externas adesse prodant et affectionibus nescio quibus esse instructas (quatenus haec cognitio ad subiecti conservationem vitaeque varios usus necessaria videatur), sed etiam eum praeterea finem propositum habent, ut manifestent multa, quae in ipsis corporibus reperiuntur, ut inde phantasma ingerant, in quo intellectus rationes entis, causae, aliarum rationum metaphysicarum cognoscat.

543. Pars II. Etiam qualitates primo et per se sensibiles formaliter sunt in rebus.

Arg. 1 *(ex obiectiva realitate corporum ab adversariis admissa).* Admittunt adversarii exsistere extra nos substantias in se extensas sive corpora. *Atqui* eaedem rationes, quibus in hac sua persuasione nituntur, ostendunt quoque, res illis qualitatibus affectas esse.

Ad min. Quemadmodum oculi rem extensam et figuratam referunt, ita etiam rem coloratam esse ostendunt. Sunt ergo hae qualitates, quae obiective formaliter nostras repraesentationes quasi implent, affectiones ipsarum rerum obiectivarum; nec ullo modo dici potest eas, quas naturali necessitate homines omnes rebus attribuunt, per nativam affectionem actionemve aliquam subiectivam effectas esse.

Vel sic: Cum oculis videmus *folia viridia,* non per se percipimus sensu horum foliorum substantiam; substantia enim per se solo intellectu percipitur [2]; sed per se percipimus accidentia, quibus substantia quasi vestita apparet. Nec primo per se percipimus inter accidentia quantitatem, sed primo per se percipimus *viriditatem,* qua folium, quod est „quantum", eodem modo vestitum apparet, sicut folium vestitum est quantitate. Et natura duce substantiam folii iudicamus esse id, cui accidit esse quantum, et quantitatem folii iudicamus esse id, cui in

[1] Cf. *Ueberweg,* System der Logik § 44.

[2] Ita *S. Thom.,* S. th. 1, q. 78, a. 3. Et alio loco: „Sensus est apprehendere hoc coloratum, intellectus autem, ipsam naturam coloris" (De verit. q. 25, a. 1).

luce solari accidit esse viride. Si igitur viriditas est modus subiectivus sive affectio in subiecto producta, iam etiam visa corpora, quibus ipsis viriditatem accidere oculis videmus, sunt modi subiecti percipientis et affectiones in subiecto productae.

At, *inquies,* ex Aquinatis mente cum formae substantiales rerum non sint nobis per se notae, „oportet, quod manifestentur per aliqua accidentia, quae sunt signa illius formae" [1]. Sed signa non oportet inhaerere rebus significatis ut accidentia, sed satis est, ut sint certi quidam effectus in eo producti, cui res sunt significandae.

Respondeo non fuisse mentem Aquinatis, ut illo loco indicaret, quid de *inhaerentia* illorum signorum sentiret, sed ei satis fuisse dicere, qualitates esse signa formae substantialis. De cetero adhibens vocem „accidentia" satis indicavit suam sententiam, quam aliis locis clare manifestavit.

Occurrit *Cartesius:* Longe alio modo cognosco, quidnam sit in viso corpore magnitudo vel figura vel motus vel situs vel duratio vel numerus, quam quid in eodem corpore sit color vel odor vel sapor. „Quamvis enim videntes aliquod corpus, non magis certi simus illud exsistere, quatenus apparet figuratum, quam quatenus apparet coloratum: longe tamen evidentius agnoscimus, quid sit in eo esse figuratum, quam quid sit esse coloratum." [2] — Verum id sibi *responsum* referat: Non minore difficultate laborat conceptus extensionis geometricae quam conceptus qualitatum sensibilium [3]. Verum errant et vehementer errant ii, qui se hanc „obscuritatem", quae inest in explicanda qualitate sensibili vel extensione geometrica, depellere putant eo, quod colorem vel quantitatem esse affectiones ex subiecto cognoscente prosilientes dicunt. Nam translatis his affectionibus ex rerum externarum ordine ad ordinem cognitionis subiectivum, non modo nihil explicatur, sed res tota multo obscurior evadit [4]. Si enim universus

[1] In l. 2 anal. post. lect. 13.

[2] Princ. philos. 1, n. 69, ed. *Adam* et *Tannery* VIII 34.

[3] Nec inscite *Wundt:* „Auch ist nicht abzusehen, warum die sog. primären Qualitäten, Undurchdringlichkeit, Ausdehnung, Zahl und Bewegung, in höherem Grade die Bürgschaft objektiver Realität in sich tragen sollen als Farbe, Ton und Wärme, wenn nicht, wie es schon bei Descartes geschah, der mathematische Charakter der Vorstellungen als Maß ihrer objektiven Sicherheit betrachtet wird, wozu dann bei der Undurchdringlichkeit, dem vom Tastsinn wahrgenommenen Widerstand der Körper, noch augenscheinlich das Motiv hinzukommt, mit den allgemeinen Voraussetzungen der Physik im Einklang zu bleiben. Aber dieses Motiv an sich ist hier ebenso unzulänglich wie der Umstand, daß bei Ausdehnung, Zahl und Bewegung mehrere Sinne gleichzeitig die Vorstellungen vermitteln können" (Logik I[3] 381).

[4] „Indem die Physik es der Physiologie überläßt, die Sinnesqualität Blau zu erklären, diese aber, welche in den Bewegungen materieller Teile eben auch kein Mittel besitzt, das Blau hervorzuzaubern, es der Psychologie übergibt, bleibt es schließlich, wie in einem Vexierspiel, in der Psychologie sitzen" (*Dilthey,* Einleitung in die Geisteswissenschaften I 13). Cf. *Ostler,* Die Realität der Außenwelt 406, qui addit: „Die Psyche wird zur Ablagerungsstätte für

ordo obiectivus omni qualitate et quantitate exutus in obscurissimam regionem ignoti illius x transferatur, aenigma fit indissolubile, qui fieri possit, ut ex homine cognoscente atque adeo ex innumerabilibus individuis humanis et ipsis etiam animalibus eadem illa quantitas et qualitatum varietas in res exteriores diffundatur, qua omnes omnino res naturales mirabili harmonia et convenientia affectas esse reperimus.

Dices: Exsistit tamen argumentum, quo probatur quantitatis realitas, quod ad qualitates rerum adhiberi non potest. Insit in manibus baculum libram pondo; baculi iam fracti utraque manus teneat partem dimidiam separatam, quae igitur semilibram pondo erit; baculum igitur re extensum erat. Sed *tu id dicens* non satis attendere videris te iam probatum sumere id, de quo probando quaestio instituitur. Nam ipsa partium dualitas atque separatio formaliter accepta, si adversarios audis, eadem prorsus ratione ad subiectivum repraesentandi modum pertinet, sicut lux vel color ex vi subiectiva cognoscentis nata sunt.

544. **Arg. 2** *(ex testimonio sensuum).* Apud omnes homines sensus naturaliter has qualitates referunt non ut a se productas vel cognoscentem afficientes, sed ut extra exsistentes. Ita v. g. „sensatio primitiva coloris non est impressio subiectiva, quae postea ad extra proicitur, sed sensatio primitiva coloris exhibet quid extrinsecum. In hoc prorsus distinguitur a sensatione subiectiva, v. g. doloris in qua exhibetur aliquid me afficiens. De hoc facto consentiunt recentiores psychologi experimentales“ [1]. At sensus, etiamsi nonnumquam propter defectum aliquem errare *per accidens* possint, *per se* tamen semper a falsitate immunes sunt. Id quod ex nexu, qui est inter potentiam quamlibet et eius effectum proprium, luculenter apparet.

Si enim ponere velimus, vel unam facultatem cognoscitivam ex natura sua ad id aptam esse, ut nobis sub specie obiectivae realitatis aliquid repraesentet, quod tamen obiective reale non est, iam de veracitate omnium facultatum actum est. Unde videmus dubitationem de obiectiva realitate qualitatum sensibilium cum in philosophia graeca tum in philosophia moderna viam parasse acosmismo idealistico et scepticismo. Atque in hac re, de qua dicimus, iterum elucet, quam considerate illud a Stagirita dictum sit, parvam a veritate aberrationem fieri errantibus, si longe progrediantur, decies millies maiorem [2].

545. **Arg. 3** *(ex natura cognitionis).* Cognitio omnis est *assimilatio* facultatis cognoscitivae ad rem cognitam, seu est inten-

ungelöste Probleme und zum Hexenkessel, aus dessen bunt gemischten Ingredienzien die Welt der Farben zauberhaft emporsteigt.“

[1] *De la Vaissière,* Cursus philos. natur. I 80.

[2] De caelo 1, 5 (271 b 8).

tionalis expressio alicuius formae ipsius obiecti[1]; *atqui* sensus externus assimilatur immediate et per se primo solis qualitatibus (colori etc.), quantitati autem eatenus tantum, quatenus ipsa subest et determinatur istis qualitatibus; *ergo* color et reliquae qualitates primo et per se sensibiles sunt formae obiecti ipsius externi, seu formaliter insunt in ipsis rebus.

Prob. mai. Ea est natura cognitionis, ut extra cognoscentem esse debeat non solum causa nescio quae *efficiens*, quae cum facultate cognoscitiva ad efficiendas species sive repraesentationes concurrat, sed etiam causa *formalis* sive id quod specie expressa repraesentatur. Nisi igitur cognitionem, quae re est, abdicare atque eicere et etiam ad mentis libidinem confingere velimus, confitendum nobis est non ita facultatem cognoscitivam insitam nobis esse, ut ad praesentiam et sub influxu alicuius obiecti ignoti aliquam repraesentationem intervenientibus elementis subiectivis nobis confinganus, sed ut res nobis manifestentur, ut ipsae *sunt*. Nulla igitur esse potest cognitionis veritas sine cognitionis ad rem cognitam conformitate. Quo autem modo fieri possit, ut „iudicium sensus sit de re, secundum quod est“[2], si cognitio nostra solam causam efficientem, non vero formalem extra se positam habeat?[3]

Qui contra conceptum cognitionis ut imaginis pugnant, passim insistunt in dissimilitudine, quae evidenter sit inter rem, ut in se est, et eius repraesentationem. Ita v. g. aliquis auctor modernus dicit secundum theoriam assimilationis speculum optime cognoscere[4]. Sed primo notioni imaginis non obstat dissimilitudo negativa, i. e. non requiritur, ut imago sit adaequata expressio totius esse rei secundum omnes suas notas, sed sufficit, ut in iis quae exprimit, conformis sit rei repraesentatae (obiectum materiale et formale distingui debet). Imago in carta picta vera est imago, licet non repraesentet rem secundum omnes partes et dimensiones suas.

---

[1] „Est quaedam assimilatio per informationem, quae requiritur ad cognitionem, sicut visus assimilatur colori, cuius specie informatur pupilla“ (*S. Thom.* 1, dist. 34, q. 3, a. 1 ad 4). „Unsere Empfindung ist ein abbildendes Teilnehmen an einem Tatbestande, den die Bewegung der Massenteilchen nicht ausmacht, sondern nur vorbereitet“ (*O. Willmann*, Geschichte des Idealismus III 137).

[2] *S. Thom.*, De verit. q. 1, a. 9.

[3] Recte hac in re *E. Dühring* (Wirklichkeitsphilosophie 276 sq) censet nihil obstare, quominus perceptioni qualitatum sensibilium aliquid obiectivum praeter undulationes respondeat. Dicit: „Die Vorgänge in der äußeren Natur und in den Wahrnehmungsorganen müssen in jeder Beziehung etwas Gleichartiges an sich haben, wenn nicht der Begriff des Erkennens und Wissens zum lächerlichsten Widersinn werden soll. Dieses Gleichartige kann aber nicht in bloßer Zahl oder Qualität bestehen, sondern muß sich auf alle eigentlichen Beschaffenheiten beziehen.“

[4] *H. Rickert*, Kulturwissenschaft und Naturwissenschaft (1910) 29.

Secundo nimis absona est comparatio cum speculo. Omnis cognitio est assimilatio; sed propositio affirmativa universalis non convertitur simpliciter, et ideo non omnis assimilatio, etiamsi ut assimilatio sit perfectissima, est cognitio: et revera *nemo, excepto materialista,* censet cognitionis notionem exhauriri notione imaginis seu assimilationis. Omnes natura duce sciunt, quid sit cognoscere. Cognoscere non est *esse;* seu cognitio non est materialis seu *entitativa* rei reproductio, sed intentionalis; *esse* (v. g. rotundus esse) non possum nisi id, cuius forma mihi entitative et realiter insit (rotunditas); *cognoscere* autem aliquid (v. g. rotundum) possum, etiam si ipse nulla ratione rotundus *sim* in entitate mea. Ut autem rotundum vere cognoscam, intentionaliter debeo exprimere rotundum. Cognitio ut sit cognitio, debet id exprimere, quod cognoscitur, seu debet obiecto similis esse, non entitative sed repraesentative. Cognitio debet esse imago formalis quidem, sed non *entitativa.*

Qui ergo sublatae „assimilationi" substituunt „efficientiam", tollunt cognitionem vere et proprie dictam (cf. Coroll. 1, n. 557). Theoriam efficientiae optime refutatam vide *Lehmen-Beck,* Kosmologie, ed. 3, p. 60 sq.

Itaque dicere oportet „omnem cognitionem fieri secundum similitudinem cogniti in cognoscente" [1]; sive idem aliis verbis dicere velis, repraesentationem a cognoscente effectam esse id, quo cognoscatur res, „ut est"; eapropter id in rebus formaliter inesse, quod ad ipsas res pertinere cognoscamus. Et scite a *Suaresio* dictum est „veritatem cognitionis includere talem repraesentationem cognitionis, quae habeat coniunctam concomitantiam obiecti ita se habentis, sicut per cognitionem repraesentatur. . . . Ad veritatem nec sola repraesentatio sufficit, si obiectum non ita se habeat, sicut repraesentatur, neque concomitantia obiecti potest sufficere ad demonstrationem veritatis, nisi praesupposita praedicta repraesentatione, vel potius includendo illam: quia veritas non est sola illa denominatio extrinseca, sed includit intrinsecam habitudinem actus terminatam ad obiectum taliter se habens." [2]

546. *Prob. min.* In omni cognitione facultas assimilatur iis, quae specie expressa exhibentur seu suo obiecto formali. Obiectum formale cognitionis est ea ratio seu nota obiecti, secundum quam obiectum materiale proxime attingitur. Hoc autem obiectum formale pro visu est *color formalis.* Extensio quidem etiam videtur, sed non potest videri nisi ut formaliter colorata. „Visus habet similitudinem visibilis." [3]

[1] *S. Thom.,* S. c. gent. 2, 77; 4, 11; S. th. 1, q. 17, a. 3.
[2] Disput. metaph. disp. 8, sect. 2, n. 12.
[3] *S. Thom.,* S. th. 1, q. 16, a. 2.

Color autem, quem dicunt fundamentalem, ab oculo nullo modo videri potest. Nam „color fundamentalis corporum (ponderabilium) nihil aliud est nisi *energia*, quam corporum *moleculae* exercent vi status vibratorii, quaeque propagatur ad organum visus per undulationes transversales materiae imponderabilis seu ‚aetheris'" [1]. Istam vero energiam nullus oculus umquam vidit.

Neque color formalis ullo modo comparari potest cum *verbo mentis* vel imagine *(idolo)* phantasiae, ita ut habeat rationem *medii, in quo* cognoscatur color fundamentalis. In verbo enim mentis nequit cognosci, nisi quod in ipso vere exprimitur. Color autem formalis nihil energiae seu motus cuiuslibet ostendit.

Ergo certum est obiectum formale[2] visus esse solum colorem formalem et extensionem ut formaliter coloratam.

Ad cons. Ergo aut neganda est sensui omnis cognitio *immediata*, et cum sensus concludere nequeat, etiam omnis omnino cognitio rei externae, aut concedendum est colorem esse formaliter in ipsa re externa.

547. *Confirmatur 1°* (ex paritate sensibilium propriorum cum obiectiva ratione entis). Si quis dubitat, utrum color ut qualitas obiective formaliter perceptus habeat vim realiter obiectivam, an ex oculis undulatione aetheris excitatis resultet, is dubitare quoque debet, utrum ratio entis per conceptum entis obiective formaliter exhibita habeat vim realiter obiectivam, an tota ab intellectu pendeat tamquam modus, sub quo intellectus agat. Sicut enim ratio entis menti obicitur ut aliquid ab intellectu independens, quod ordinem ad exsistentiam habet non cogitatam sed realem, ita similiter color experientia teste subiecto non exhibetur ut modus a subiecto effectus, sed ut aliquid, quod est extra subiectum percipiens[3].

[1] *H. Gründer* S. J., De qualitatibus sensibilibus et in specie de coloribus et sonis, Friburgi 1911, n. 16. Clare in isto opusculo theoriam, quam vocat neo-scholasticam, exponit et moderate defendit qualitates fundamentaliter tantum in rebus inesse.

[2] Terminologia, qua color fundamentalis appellatur obiectum formale visus, quia sit „id quod movet facultatem sensitivam ad agendum et ratione cuius cetera in corpore cognoscuntur" (*Gründer* l. c. n. 126), revera id vocat *obiectum* formale, quod est mera aliqua *causa* partialis et *nullo modo* obiectum cognitionis.

[3] Docet *S. Thomas* obiectum incomplexum in apprehensione intellectuali ideo semper esse obiective reale, quia „quod quid est" sit primum obiectum intellectus; „unde sicut visus numquam decipitur in primo obiecto [i. e. in sensibilibus per se primo, ut in *albo*], ita neque intellectus in cognoscendo ‚quod quid est'" (In l. 3 de anima lect. 11, fin.). Aliis verbis: „Proprium obiectum intellectus est *quod quid est*. Unde circa hoc non decipitur intellectus nisi per accidens ..., sicut et sensus, qui est propriorum, est semper verus" (S. c. gent. 1, 58; cf. 3, 108). Et alio loco: „Intellectus habet verum iudicium de proprio obiecto, in quod naturaliter tendit, quod est quidditas rei, sicut et visus de colore" (1 dist. 19, q. 5, a. 1 ad 7).

Confirmatur 2° (ex fallaciis sensuum). Saepissime falluntur homines per accidens eo, quod *totum* id, quod repraesentationibus nostris obiective formaliter exhibetur, rebus attribuunt ut proprietates permanentes, putantque res eo modo esse calidas, frigidas, dulces, amaras, quo non sunt, cum tamen in his perceptionibus insit elementum subiectivum sive relativum, quod subtrahendum sit, cum res ipsae dicuntur calidae, dulces. At hic error non tam saepe tamque facile accideret, nisi sensus nostri a natura *primo* ad id destinati essent, ut nuntient nobis, quae rebus externis ipsis *propria* sunt.

548. ***Obi. 1.*** Per disciplinas physicas constat, a) differentias omnes *qualitativas* ad solas quantitativas, quae reperiantur in aetheris vel aëris vel alius rei motibus minutissimis, omnino revocari ita, ut extra subiectum sentiens praeter motus locales reperiatur nihil. b) Physiologi diversis plane irritationibus in uno eodemque sensu easdem plane repraesentationes produci dicunt et iisdem plane irritationibus in diversis organis diversas plane repraesentationes[1]. Ita pressione mechanica, electricitate in oculo repraesentationes lucidae producuntur, et una eademque electricitas in oculo luciditatem, in lingua acrem saporem, in auditu obscurum sonitum, in tactu producit titillationem. Quae res energiis subiectivis ascribitur, quas alii specificas et innatas esse putant, alii usu et consuetudine acquisitas[2]. Sed manifestum est inter eas res, quae in repraesentationibus nostris nobis formaliter obiective exhibentur, et illius generis motus locales sive mechanicos nullam esse conformitatem.

Resp. *Ad a).* Per disciplinas physicas nihil aliud constat, nisi in rebus naturalibus esse cohaerentiam certam inter differentias qualitativas et quantitativas: nullo modo tolli potest differentia inter quantitatem et qualitatem, et nulla ratione omnia per solum motum explicantur. — *Ad b)* In ipsa etiam dispositione, quae in organo cognitionem antecedere debet, ostendunt physiologi irritationi mechanicae magnas partes tribuendas esse. Quae dispositiones, si sint secundum ordinem a natura intentum, excitant organa ad eam activitatem, qua interveniente cognoscantur

[1] Ita inter alios *Joh. Müller,* Physiologie I[4] 667; II 249; *Max Jacobi,* Natur- und Geistesleben 1—34; *H. Helmholtz,* Handbuch der physiologischen Optik, 3. Abschnitt. Quorum omnium loco audiamus *O. Liebmann* dicentem breviter: „Von der physikalischen Akustik, Optik und Wärmenlehre werden die für das Gehör, den Gesichts- und den Tastsinn *qualitativen* Unterschiede der Tonhöhe, Klangfarbe, Harmonie und Melodie, Helligkeit und Farbenskala, sowie der Temperatur, auf die quantitativen Unterschiede einer geschwinden und langsamen Schwingung der Luft- und Ätheratome, überhaupt auf Bewegungen des leitenden Mediums reduziert. Der qualitative Inhalt unserer Empfindungen hat keine Ähnlichkeit mit jenen Bewegungen, ist ihnen völlig disparat" (Analysis der Wirklichkeit, Straßburg 1876, 40).

[2] Qui energias *innatas* defendunt, principiis kantianis magis inhaerent et *nativistae* vocantur. Qui *acquisitas* esse volunt, ad materialistas accedunt, qui omnia evolutione fortuito casu directa orta esse volunt horrentque, quidquid „specificum" vocatur; atque hi empiristae vel *genetistae* nominati sunt.

ipsae res, ut *sunt*. Quodsi fiant excitationes mechanicae ratione anomala, etiam quae sequetur organorum activitas erit anomala atque fortassis adducens in „errorem per accidens".

549. ***Obi. 2.*** Illa sunt formaliter subiectiva, quae solum in subiecto sentiente esse et cogitari possunt: *atqui* dulcedo, sapor, calor certe non possunt concipi nisi ut affectiones alicuius sentientis; *ergo* sensibilia propria non videntur formaliter sed tantum causaliter esse in rebus.

Resp. Nemo umquam *sensum* dulcedinis, saporis, caloris saccharo, rosae, igni attribuit magis, quam dolorem in baculo ponit vel nauseam in pharmaco[1]. Si vero intellegatur causa excitans in nobis eam sensationem, ea est formaliter obiectiva. Sed quid, si intellegatur id, quod formaliter sensus percipit, sive modus, sub quo corpus percipitur *(ut intelligi debet et omnes intellegunt)*? Distinguendum est inter modum se tenentem ex parte subiecti (ut est *ingrata affectio* in oculo aegro videntе lucem, vel *dolor* in digito puncto acu, vel *pressio* manus tangentis lapidem) et modum se tenentem ex parte rerum externarum (ut est *lux* mundi visibilis, vel *acumen* acus, vel *durities* lapidis). Et modus quidem semper formaliter ibi est, ubi esse percipitur; unde modus subiectivus est formaliter in sensu, modus autem obiectivus est formaliter a parte rerum externarum. Neque hac de re inscite *Thomas Reid:* „Rudis ait: ignis est calidus, nix frigida, saccharum dulce; id nostri testantur sensus, et infitiari absurdum est. Philosophus dicit: calor, frigus, dulcedo non sunt nisi sensationes in nobis, eas in igne, in nive, in saccharo inesse statuere absurdum est. Contradictio magis mihi esse videtur apparens quam realis; progignit illam abusus vocabuli ex parte philosophorum, et confusio idearum ex parte vulgi. Cum philosophus dicit nihil esse caloris in igne, quid intellegit? Ignem sensatione caloris destitui: Nae is vera loquitur, seque si explicat, vulgus non dissentiet. Verum hic homo perperam rem profert; reapse enim in igne inest qualitas, quae calor nominatur; atque tum philosophi tum vulgus multo saepius qualitatem quam sensationem nomine illo significant." [2]

550. ***Obi. 3.*** Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur. Ex quo fit, ut etiam impressiones venientes ab obiectis recipiantur in co-

[1] *Fournier,* Instit. philos., Paris 1884, 127. Cf. *Arist.,* De anima 3, 2 (426 a 8). In quem locum *Aquinas:* „Actus sonativi vel soni est sonatio, auditivi autem actus est auditio. Dupliciter enim dicitur auditus et sonus, scilicet secundum actum et secundum potentiam. Et quod de auditu et sono dictum est, eadem ratione se habet in aliis sensibus et sensibilibus. Sicut enim actio et passio est in patiente et non in agente ut in subiecto, sed solum ut in ‚principio a quo', ita tam actus sensibilis quam actus sensitivi est in sensitivo ut in subiecto. Sed in quibusdam sensibilibus et sensitivis nominatus est uterque actus et sensibilis, ut *sonatio,* et sensitivi, ut *auditio.* In quibusdam autem unum tantum nominatum est, scilicet actus sensitivi. *Visio* enim dicitur actus visus, sed actus coloris non est nominatus . . ." (In l. 3 de anima lect. 2).

[2] Essay on the power of human mind 2, 17, 5.

gnoscente ad modum cognoscentis; ad quem modum subiectivum spectat extensio, luciditas, color. *Ergo* recte dicitur sensibilia formaliter spectata esse subiectiva.

Resp. In specie impressa distinguere oportet modum entitativum et modum obiectivum. Ad priorem quod attinet, recipitur species in cognoscente ad modum cognoscentis; ad alterum autem quod attinet, species modum retinet rei externae, ad quam fideliter repraesentandam ex natura sua destinata est.

Inst. Id quod sensatione obiective formaliter exhibetur, est effectus productus a causis duabus, a subiecto sentiente et ab obiecto externo; *ergo* exprimit naturam cum obiecti tum subiecti.

Resp. Ut ostendatur realitas obiectiva eius, quod in sensatione formaliter obiective exhibetur, non licet argumentari ex consideratione causarum efficientium, sed ex natura cognitionis. Causas efficientes si quis recogitare velit, reperiet sensationem subiecto debere, ut sit subiective hic actus et non alius; obiecto autem, ut sit obiective hic actus et non alius, i. e. ut sit actus repraesentans hanc et talem rem et non aliam.

Obi. 4. Plurimi sunt eventus, ex quibus clarissime apparet nos percipientes extensionem percipere aliquid, quod nosmet ipsi organis nostris effecerimus. Ita in somniis intuemur dimensiones a nobis effectas; ita oculis per vitra stereoscopica perspicientibus dimensio tertia expresse et dilucide nobis exhibetur, quae tamen a nobis effecta est; ita perspicienti uno oculo per duo foramina satis finitima una res bis adesse videtur (quod „experimentum *Scheineri*“ vocant); ita qui utraque manu duos magnetes inter se repellentes tenet in tenebris positus, si soli tactui credere velit, se unam rem tangibilem elasticam manibus tenere arbitrabitur; sescenta alia. Quibus ex omnibus recte concludi videtur, etiam in eventibus ordinariis vitae cotidianae res a nobis ipsis effectas esse id, quod sensibus nostris ut res obiecta obversatur.

Resp. Conceduntur facta, et *neg. cons.* Nam exempla allata solum comprobant, quae thesi priori de condicionibus requisitis ad perfectam cognitionem sensibilis communis dicta sunt; nihil autem continent contra extensionis obiectivum valorem. Idem valet de plerisque, quae afferri solent fallaciis sensuum geometricis.

551. ***Obi. 5.*** Repraesentationes qualitatum sensibilium sunt repraesentationes modorum, secundum quos res externae nos afficiunt. Si quis enim e fenestra in hortum prospiciens, sensationem suam recte interpretari velit, is non dicet: Video colorem viridem extra me exsistentem, sed dicet: Viridi modo afficior, modo inquam, qui post certum pulsum mechanicum ex meo capite oritur mihique immanenter inhaeret, sicut dolor dentium. *Ergo* saltem qualitates corporum sensibiles extra sentientem non reperiuntur[1].

[1] Ita *Kant, Helmholtz.*

Resp. Haec kantianorum opinatio aperte falsa est; nam nemo videns rem viridem, se viridi modo affici dicet. De cetero non negamus qualitates illas referri ad sensus nostros. Sicut enim sensus nostri referuntur ad res, quibus percipiendis coaptati sunt, ita res illae referuntur ad sensus nostros, ut ab his percipiantur, *ut sunt*. Neque negamus huic rerum perceptioni admisceri quoque affectionum subiectivarum perceptionem; id quod saepius iam indicavimus.

Obi. 6. Per experientiam constat nos non percipere affectiones corporum, sed differentias tantum, quae sunt inter duas irritationes sensuum.

Resp. Simul cum affectionibus corporum etiam percipimus differentias, quae sunt aut inter multarum rerum affectiones, aut inter affectiones rerum externarum et affectiones corporis proprii. Atque illud etiam certum est, propter has differentias organa nostra percelli posse ipsorum affectionibus corporum multo vividius. Namque ut est apud veteres: Contraria iuxta se posita magis elucescunt.

552. ***Obi. 7.*** Et ipsi aristotelici claris verbis docere videntur, sensibilia propria ante sensationem non esse sensibilia actu, sed potentia tantum. Repetit enim *S. Thomas* id, quod dixerat *Aristoteles:* „Quod sensibile in actu est sensus in actu, et intellegibile in actu est intellectus in actu.“ [1] „Quia ex utroque fit unum sicut ex actu et potentia.“ [2]

Resp. Sensibile spectari potest duplici ratione: aut in ordine ad actum sensationis, aut in ordine ad id quod sentitur. Si ad actum sensationis refertur, ante ipsam sensationem recte dicitur esse in potentia, sicut etiam intellegibile ante ipsam intellectionem dicitur esse in potentia. Si autem id spectetur, quod sentitur, iam etiam sensibile ante ipsam sensationem est sensibile actu, sicut etiam intellegibile ante intellectionem est intellegibile actu. Nec umquam ab ullo philosophe scholae peripateticae est dubitatum, quin color, sonus et quae in hoc genere sunt reliqua, actu ante sint sensibilia, quam actu sentiantur a sentiente [3]. Et ex contextu semper patet, quid peripatetici significare voluerint, cum sensibile ante sensationem esse sensibile in potentia tantum dicant. Ita: „Non recte“, inquit *Aristoteles* (quem accurate hac in re secutus est *S. Thomas*), „priores naturae scrutatores hac de re locuti sunt, qui quidem sine visu neque album neque nigrum esse dicebant“; et concludit „remanere sensibile in potentia“, i. e. etsi actu

[1] S. th. 1, q. 14, a. 2. Cf. *Arist.*, De anima 2, 5 (417 a 12).

[2] *S. Thom.*, S. th. 1, q. 55, a. 1 ad 2: cf. 1, q. 12, a. 2; in l. 2 de anima lect. 14.

[3] „Omne sensibile dupliciter est in actu. Uno modo, quando actu sentitur .... alio modo, secundum quod habet propriam speciem, per quam sentiri potest, prout est in obiecto; et sic alia sensibilia fiunt in actu, prout sunt in corporibus sensibilibus, sicut color, prout est in corpore colorato, odor et sapor, prout sunt in corpore odorifero et saporoso ...; ex percussione corporis sonantis fit sonus in actu.“ *S. Thom.* in l. 2 de anima lect. 16; cf. in l. 3 lect. 2.

nullo oculo videtur, manet tamen in potentia, ut actu ab oculo videri possit [1]. Ante autem visionem actualem actu album esse debet [2]. Et quomodo sensus in sensatione obiecto percepto conformari posset, nisi ab hoc obiecto formam sensationis reciperet? Accedit, quod constans est et perpetua apud *Aristotelem* omnesque peripateticos doctrina, sensum eodem modo referri ad sensibilia propria, quo refertur intellegentia ad rerum quidditates [3]. Et nisi Aristoteles arbitratus esset corpus album iam ante actualem sensationem esse actu album, nulla ipsi fuisset ratio, cur sese *Protogarae* et scholae megaricae opposuisset. Hos absurditatis accusat Stagirita, quod doceant ea, ex quibus sequatur neque frigidum, neque calidum, neque dulce, neque omnino ullum esse sensibile, quando nemo actu sentiat; quo posito accidere istis opinionem Protagorae [4].

Nota. Si quis tamen ex rationibus scientificis putaverit, saltem aliquas qualitates non esse quietas sed activas, seu qualificationes alicuius *activitatis* corporum, is verba Aristotelis allata ita conciliare poterit, ut dicat dulce etc. non adesse in actu secundo *perfecto,* nisi quando actu sensum afficit (cf. n. 540 c). In hac sententia qualitas manet et est 1° qualitas formalis *obiectiva,* non tantum effectus in sensu productus, eamque cognoscendo cognosco qualitatem *rei;* 2° cum tamen sit qualitas corporis ut activi seu agentis in certum sensum, ita connotat relationem ad istum sensum.

553. ***Obi. S.*** Tantum abest, ut ex rationibus criteriologicis quidquam afferri possit, ut demonstretur qualitates primo sensibiles formaliter adesse extra actum sensationis, ut ipsa criteriologica consideratio rationem primariam suppeditet asserendi, eas fundamentaliter tantum seu causaliter in rebus inesse. Ita quoad sensum clar. *H. Gründer* [5]:

---

[1] De anima 3, 2. Cf. *S. Thom.* in h. l.

[2] Cf. *S. Thom.* 3 dist. 14, a. 1, q. 2, sol. 2.

[3] Videsis ea quae post de intellegentia dicturi sumus.

[4] Met. 9, 3 (1047 a 3). In quem locum *Aquinas:* „. . . sequeretur, quod opinio Protagorae esset vera, quae dicebat omnes proprietates et naturas rerum consistere solum in sentiri et opinari" (In l. 9 met. lect. 3).

[5] De qualitatibus sensibilibus et in specie de coloribus et sonis p. VII. Et postea: „Fateor equidem, si verum esset, quod P. Haan S. J. defendit, scil. quod doctrina colorum formalium a parte rei ‚cum iis quae physici et physiologi docent, componi posse videtur et *ad naturam nostrae cognitionis recte explicandam est magis congrua*' (Phil. nat.[3] p. 52) — si hoc, inquam, verum esset, certo certius me non multum moverent difficultates circa ortum et interitum, intentionem et remissionem qualitatum in ipsis corporibus. *Sint haec omnia mysteria!* Plura et maiora sunt mysteria in cosmologia et in ceteris partibus philosophiae et in qualibet scientia. . . . Id quod me movet ad negandam formalem exsistentiam qualitatum sensibilium a parte rei, est *difficultas criteriologica,* quae mihi videtur plane *insuperabilis,* quod scil. admissa assimilatione non raro *contradictoria simul vera essent de obiecto sensuum*" (l. c. n. 154).

Prob. Accidit, ut prorsus idem obiectum a sensibus sanis et recte dispositis unius sic, aliter a sensibus alterius hominis percipiatur; *atqui* hoc in sententia admittente qualitates formaliter obiectivas involveret, ut „*contradictoria simul vera essent* de obiecto eodem“ [1], quod absurdum est; *ergo* nequit admitti qualitates formaliter adesse a parte rei.

Resp. 1. *Retorqueo argumentum.* Si suppositum verum esset, in sententia, quae dicit qualitates causaliter adesse, sequeretur causam omnino et adaequate eandem posse simul oppositos vel diversos effectus producere; *ergo* eadem manet contradictio, quam obicis.

Resp. 2, directe: *Nego assert. Ad prob. nego mai.* Nulla ratione et nullo exemplo ostendi potest, sensus sanos et recte applicatos obiectum adaequate idem diverso modo percipere. Quaecumque enim tandem admittenda erit theoria physica de natura coloris, soni, id certum est has qualitates non esse simplices, sed habere multiplicem compositionem easque in rerum natura ex multis causis variari et modificari. Praeterea organum debet physico influxu determinari. Obiectum igitur proximum alicuius singularis et concretae visionis non coincidit cum tota realitate obiectiva seu cum omni colore, qui forte adsit, sed restringitur ad eam partem, quae revera actu per radios oculum determinat. Duo igitur actus visionis possunt differre circa idem obiectum materiale, non vero circa obiectum formale adaequate idem. Cognitio est imperfecta, non vero falsa. Res magis patebit considerando, quae in specie obiciuntur.

554. ***Inst. 1,*** *de sono:* „Si veritas cognitionis sensitivae requirit, ut sonus exsistat a parte rei eo modo, quo percipitur, eadem veritas requirit, ut sonus exsistat a parte rei *ea intensitate, ea altitudine, eo clangore,* quibus a sensu auditus percipitur. *Atqui* hoc videtur plane impossibile“ [2]: nam „*intensitas* soni decrescit cum quadrato distantiae ab audiente“ [3], „*altitudo* cuiuslibet soni percepti mutatur celeri appropinquatione“ [4], *clangor* saepe componitur et „*nullum corpus in individuo* vel assignari potest, quod habeat sonum *huius* clangoris, qui percipitur“ [5]. *Ergo* nequit sine contradictione admitti sonum a parte rei adesse eo modo, quo percipitur.

Resp. *Dist. mai.:* Sonus debet *alicubi* revera a parte rei adesse *ea intensitate, ea altitudine, eo clangore,* quibus a sensu auditus percipitur, *conc. mai.;* sonus debet in toto ambitu suae realis exsistentiae ubique esse eiusdem intensitatis etc., *nego mai. Contradist. min.:* Plane impossibile est sonum revera alicubi obiective adesse, uti percipitur (quod ad veritatem auditus sufficit), *nego min.;* impossibile est sonum in tota sua extensione et via eandem retinere intensitatem, et ideo impossibile est unico actu *exhaurire* totum sonum, *conc. min.*

555. Ad singula in *minore* enumerata respondetur:

1. *Intensitatem* soni percepti cum distantia decrescere, etiam admissa exsistentia soni formalis a parte rei per se patet ex modo, quo ad au-

[1] L. c. n. 86. [2] Ibid. n. 57. [3] Ibid. n. 59.
[4] Ibid. n. 64. [5] Cf. ibid. n. 69.

ditum determinamur. Ceterum si inde aliquid contra sonum formalem a parte rei sequeretur, eodem modo neganda esset extensio formalis. Etenim extensio, v. g. longitudo, in rerum natura exsistit in concreto et omnino determinata; sed extensio, v. g. longitudo, apparens decrescit cum distantia ab oculo.

2. Quod *altitudo* soni mutatur celeri appropinquatione, etiam admisso sono formali a parte rei explicatur. Ipse actus successive compositus est, sicut sonus, quare accedens vel recedens aliter necessario ab eodem sono afficitur sensus, neque manet obiectum prorsus et adaequate idem.

3. Quid inde, si aliquando mixtio talis sonorum simultanee ad aurem pervenerit, ut non iam certum aliquem clangorem specialem prius notum discernere valeam?

In obiectionibus his desideratur attentio ad verum obiectum formale proprium et proximum sensationis; quod etiam valebit de sequenti instante.

556. ***Inst. 2.*** Argumenta, quibus ostendere conantur realistae sonos formaliter adesse, „si quid probant, etiam plus postulant, scil. ut sonus formalis sit *in ipso corpore vibrante.* Nam eadem ‚evidentia' . . . iudicant homines sonum formalem esse qualitatem ipsius corporis vibrantis"... „Homines enim communiter iudicant: tintinnabulum est sonans." [1] *Ergo* manet tota difficultas, v. g. quod sonus tintinnabuli, qui necessario unam haberet determinatam *intensitatem,* diverso modo a plus minusve distante cognosceretur.

Resp. 1. *Nego assert. et rationem additam,* scil. eandem esse evidentiam, immo eandem esse cognitionem. Sonum provenire ex *tintinnabulo* non est obiectum solius auditus, sed sensationis complexae (cf. thesim seq.). Possum audire sonum omnino clarum et determinatum, ita ut ex auditu solo nullo modo cognoscam, unde (ex quo corpore) sonus veniat. Tintinnabulum sonare recte iudicant homines, sed ita iudicant multiplici variorum sensuum experientiae innixi. Similiter accidere potest, quod videam colores in pariete, ita ut solo uno actu visus non valeam discernere, sintne isti colores ipsius parietis, an solum v. g. per fenestram coloratam transeunter illuc proiecti.

Resp. 2. Etiamsi admittas in ipso corpore vibrante sonum formalem adesse, nulla oritur difficultas, modo ne oblivioni detur in gradu intensitatis diiudicando mentem ad distantiam attendere debere, neque obiectum formale proximum auditus esse mensurationem gradus intensitatis absolutae et distantis. Disputationem de *calore obiectivo* qualitatis haec non promovent.

557. ***Inst. 3,*** *quoad colores* (ex interferentia). „*Colores interferentiae* (v. g. in bullulis saponis) explicari non posse videntur nisi in hypothesi, quod exsistunt a parte rei fundamentaliter tantum, formaliter autem

[1] *Gründer* l. c. n. 58, 2.

in ipso actu visionis.... *Atqui* hypothesis de natura colorum interferentiae iure extenditur ad omnes corporum colores." [1] *Ergo* fundamentaliter tantum adesse videntur.

„*Prob. mai.* Certe repugnat, quod corpus aliquod habeat qualitates reales absolutas oppositas simul sub eodem respectu" [2]; *atqui* „*diversi* homines *simul* inspicientes v. g. bullulam saponis eandem omnino partem bullulae vident unus rubram, alius viridem, alius violaceam, pro diversitate scil. anguli inspectionis"; *ergo* [3].

Resp. *Nego mai., trans. min., nego cons.*

Ad prob. mai. Conc. mai., nego min., nam non vident simpliciter eandem partem, vel eam saltem non totaliter uterque videt: secus enim haberent *eundem colorem fundamentalem*, quo diverso modo afficerentur; quod aeque repugnat. — Vult *Gründer* rem solvere ita: „Color fundamentalis vere et realiter est diversus pro diversitate directionis, qua undulationes propagantur ad oculos intuentium. Pro uno inspiciente per interferentiam tolluntur radii huius longitudinis, pro alio radii diversae longitudinis." [4] Secundum ea quae idem auctor antea n. 17 explicavit, hoc dicit idem ac si diceret. Ad unum oculum solum radii coloris, v. g. viridis, ita perveniunt, ut visionem gignere valeant, ad alium solum radii alii. Qua ratione igitur sustinere potest, utrumque simpliciter eandem partem bullulae videre? Adsunt omnes radii, sed pro diversitate anguli non omnes utrumque oculum ad visum determinant, i. e. tum color quem videt unus, tum quem videt alter, adest, neuter tamen utrumque videt; in quo sane etiam colore formali a parte rei exsistente nulla est difficultas.

558. ***Inst. 4,*** quoad colores ex *mixtura pigmentorum*. „Aliud omnino est: miscere *radios lucis* caeruleos et flavos; et plane aliud: miscere pigmenta caerulea et flava. Per mixtionem dictam radiorum lucis resultat lumen *album;* per mixtionem dictam pigmentorum resultat color *viridis*." [5] „Pigmenta caerulea, teste experientia, absorbent omnes radios lucis praeter caeruleos, violaceos et virides: pigmenta flava . . . absorbent omnes radios praeter rubros, flavos et virides. Hinc per mixturam particularum flavarum et caerulearum omnes radii absorbentur praeter *virides,* qui reflectuntur et perceptionem coloris determinant." [6] Nova qualitas, scil. forma coloris viridis, non videtur oriri, nam particulae non „subierunt mutationem sive chimicam sive physicam praeterquam ‚positionis', et in specie singulae retinent colorem, quem habuerunt", ut microscopium ostendit [7].

Resp. Bene, non oriatur novi quid, retineant colorem suum, certe radii coloris viridis in hac mixtione non producuntur, sed iam aderant et ipsi soli manent expediti ad determinandum oculum, et mirum non est nos nunc solo oculo non videre nisi colorem viridem; et sic conceditur libenter, nos non omnem colorem videre qui adest, sed nullo modo probatur nos aliquem colorem videre, qui non formaliter adsit.

[1] *Gründer* l. c. n. 87. [2] Ibid. n. 88. [3] Ibid. [4] Ibid.
[5] Ibid. n. 96, 3. [6] Ibid. n. 98. [7] Ibid. n. 97.

Similiter pro rei diversitate mutatis mutandis ad alia quae obiciuntur responderi debet; aut agitur de statu anormali, aut verum manet omnia explicari *posse* etiam admissa qualitate formaliter obiectiva; et reiecta qualitate formaliter obiectiva difficultas *nulla* solvitur, sed transfertur tantum in subiectum; et simul nova oritur difficultas, scil. recte explicandi naturam cognitionis.

559. ***Obi. 9.*** Nigrum psychologice est color eiusdem rationis sicuti reliqui colores; *atqui* colori nigro secundum physicam nihil prorsus in rerum natura respondet, cui oculus assimiletur; *ergo* theoria assimilationis falsa est.

Resp. *Retorqueo argumentum.* Si oculus secundum obiectionem ex se solo potest nigrum colorem producere, qui eodem sensu psychologico sit color sicuti reliqui colores, etiam theoria efficientiae falsa est, et incidimus in idealismum. Neque iuvat hac in re effugium, in aliis coloribus perceptis probari influxum causalem, in nigro excludi. Hoc enim positive falsum est. Si enim *nullus* prorsus influxus ab extrinseco adest, non videmus nigrum, sed *nihil* videmus, non videmus. Quare rectius dicitur nigrum absolutum non esse colorem, neque philosophice (psychologice) neque physice neque physiologice [1].

Obi. 10. Etiam *albo* nihil respondet in rebus, cui oculus assimiletur; in rerum natura nulli sunt radii „albi"; sed visio albi unice oritur eo, quod radii diversorum colorum certo modo in influxu suo in oculum concurrant. *Ergo* neque album admittit theoriam assimilationis.

Resp., *iterum retorquendo argumentum.* Secundum adversarios ipsos album et reliqui colores eodem modo *desunt* extra nos, i. e. non admittunt ullum colorem *formalem* a parte rei et independenter a sensu. Si verum est non esse *radios* simplices, quorum influxus in oculum excitet visionem albi, probatum est *album* non esse proprium ab aliis distinctum colorem simplicem, sed esse colorum aliquot complexum. Quaestio autem, utrum sive album sive quilibet color secundum rationem suam formalem sit determinatio qualitativa ipsius rei an solum effectus in subiecto, ita non solvitur in alterutram partem, sed ne tangitur quidem. In utraque enim sententia verum est simplices radios respondere coloribus diversis aliis, certos complexus albo. Quaestio ex physica simpliciter solvi nequit, sed ex natura cognitionis solvenda est. — Plura de his vide *Lehmen-Beck,* Kosmologie, ed. 3, p. 64 65.

560. ***Coroll. 1.*** Ergo per sensus externos directe et sine ulla conclusione cognoscimus obiecta eorumque extensionem et qualitates. Atque recte omnino dicit *Lehmen* [2] *cognitionem causalem,* quam aliqui statuerunt, ut non admissis qualitatibus obiectivis

[1] „Schwarz ist ein dunkles Grau. Absolutes Schwarz ist Bewußtlosigkeit." *G. v. Bunge,* Lehrbuch der Physiol. des Menschen II (1905) 128.

[2] Kosmologie [3] 76.

realibus nihilominus idealismum vel subiectivismum vitarent, non esse vero sensu cognitionem, sed *nomen* tantum cognitionis retinere. Ad omnem cognitionem requiritur *obiectum*. Secundum theoriam cognitionis *causalis* obiectum visus statuitur repraesentatio subiectiva coloris, ut refertur (ut relata) ad suam causam extrinsecam. Ut hoc obtingat, requiritur necessario, ut sensus cognoscat utrumque, scil. suam subiectivam repraesentationem et eius causam. Sed *neutrum obtinet*. In cognitione enim directa non videmus quidquam, quod ulla ratione se manifestet ut affectio subiectiva, sed videmus immediate colores ut obiectivum quid extra oculum [1].

Causam autem quam statuunt, scil. activitatem corporum per motus aetheris, evidenter oculus *nulla ratione* percipit. Sensus nostros indigere *physico influxu* ab extrinseco non videmus, sed aliunde per conclusionem multiplicem discimus. Igitur cognitio *causalis* sensitiva *factis* immediate evidentibus nulla ex parte satisfacit.

Sed etiam ulterius neganda est *possibilitas* intrinseca cognitionis *causalis* sensitivae. *Cognitio causalis* secundum terminorum sensum receptum involvit *conclusionem* seu cognitionem relationis inter causam et effectum; cognitio autem talis non est operatio sensus sed intellectus.

561. ***Coroll. 2.*** Ergo in cognitione sensus externi species expressa seu imago vitalis in organo expressa non est *medium, quod* prius cognitum ducat in cognitionem obiecti, sed est *medium, quo* directe cognoscitur obiectum externum; neque recte dicitur esse *medium in quo*, nam ad medium in quo certe requiritur, ut ipsum illud, quod sit medium in quo, cognoscatur; sensus autem externus non percipit suum actum. „Species, quae est in visu, non est id, quod videtur, sed quo visus videt; quod autem videtur, est color, qui est in corpore.“ [2] „Oculus non cognoscit lapidem secundum esse, quod habet in oculo; sed per speciem lapidis, quam habet in se, cognoscit lapidem secundum esse, quod habet extra oculum.“ [3] Differentia non est neglegenda inter sensum externum, sensum internum et intellectum. Sensus externus

[1] „Wir schauen ihn [den Inhalt der Gesichtsempfindung] nicht zuerst in uns an und verschaffen ihm dann einen Platz in der Außenwelt, sondern wir schauen ihn *sogleich* mit aller Ruhe und Passivität als draußen befindlich an.“ *Stumpf* apud *Schwarz*, Das Wahrnehmungsproblem 348. Similiter *Riehl* ibid.

[2] *S. Thom.* in l. 3 de anal. lect. 9; cf. De spirit. creat. q. un., a. 9 ad 6: De verit. q. 10, a. 8 ad 2.

[3] *S. Thom.*, S. th. 1, q. 14, a. 6 ad 1.

ut talis non cognoscit suum actum, sed solum obiectum externum actu praesens; phantasia potest repraesentare etiam obiectum absens, et ideo fertur in imaginem in se productam ut obiectum suum. „Visio corporalis terminatur ad ipsum corpus, imaginaria vero ad imaginem corporis sicut ad obiectum.“ [1] Sensu interno percipimus actum sensus externi in concreto, et ita potest dici actum sensus externi pro sensu interno (et similiter pro intellectu) habere aliquo vero sensu rationem medii, in quo cognoscat obiectum externum. Sed etiam in directa cognitione intellectus „lapis non *est* in anima, sed species lapidis, et tamen lapis est id quod intellegitur, *non autem* species lapidis nisi per reflexionem intellectus supra se ipsum; alioquin scientiae non essent de rebus, sed de speciebus intellegibilibus“ [2]. *Directe* igitur in cognitione omni tum sensitiva tum intellectiva *id quod* cognoscitur, est ipsum obiectum, et actus seu species est *id quo* cognoscitur obiectum. Ut *species* possit esse aliquo modo etiam *medium in quo,* requiritur ut etiam ipsa species cognoscatur. Hoc autem non obtinet in sensu externo, sed in intellectu, scil. „quia intellectus supra se ipsum reflectitur, secundum eandem reflexionem intellegit et suum intellegere et speciem qua intellegit. Et sic species intellecta *secundario est id quod* intellegitur, sed id quod intellegitur, primo est res, cuius species intellegibilis est similitudo“ [3].

562. ***Coroll. 3.*** Ergo etiam ea sententia non sufficit, quam nuper statuit *H. Ostler* in suo opere de realitate mundi externi. Eam realitatem serio quidem defendit contra omnem idealismum; bene dicit eos impossibile quid et contradictorium tentare, qui ex una parte omnes cognitionis formas ut mere subiectivas et omne perceptionis obiectum ut immanens statuant, et tamen ex altera parte de obiecto transcendente inquirere et ad illud pervenire tentent [4]. Etiam bene urget non esse differentiam in hac quaestione inter sensibile commune (extensionem) et sensibilia propria; nam immediate extensionem non percipimus nisi eam, quae in aliquo sensibili proprio et cum ipso coniuncta apparet [5]. — Ex his omnibus concludit obiectum visionis esse sensu stricto reale et obiectivum quid ab ipso actu distinctum. Sed nihilominus nunc non concedit nos posse immediate mundum realem externum cognoscere, sed dicit eum realem externum mundum esse transcendentem omnino, i. e. non tantum trans-

[1] *S. Thom.,* De verit. q. 10, a. 8 ad 2.
[2] *S. Thom.,* S. th. 1, q. 76, a. 2 ad 4.
[3] Ibid. q. 86, a. 2.
[4] Die Realität der Außenwelt 61 83.
[5] Ibid. 125 126.

subiectivum, sed etiam *transobiectivum;* nam putat subiectum et obiectum perceptionis debere sibi invicem esse praesentia[1].

Ad salvandam obiecti visi realitatem docet obiectum directum visus esse ipsam imaginem retinae; ex hoc obiecto proximo nos deinde conclusionibus ad cognitionem mundi externi pervenire posse. Quae doctrina admitti non potest; nam:

1. Missis explicationibus, quibus auctor solvere conatur difficultatem oriundam ex differentia magnitudinis apparentis et realis imaginis retinae, certum est nullum oculum directe videre suae retinae imaginem.

2. Ratio ob quam auctor ad hanc theoriam confugit, non convincit; nam neque requiritur neque per se quidquam iuvat contactus agentis et obiecti. Requiritur et sufficit, ut adsit vera facultas cognoscitiva et intentionalis expressio obiecti. Cum nostri sensus non habeant cognitiones innatas, sed ab obiectis ad cognitionem determinari debeant, certe requiritur influxus aliquis physicus obiecti in organum; sed ad hoc non requiritur contactus immediatus; certe non maior propinquiorque obiecti praesentia requiritur ad actum cognitionis quam ad productionem imaginis ipsius materialis in retina. Cognitio qua talis cum non sit actio transiens, etiam referri potest ad obiectum loco et tempore distans.

563. Thesis 14. **Etiam iudicia complexa experientiae immediatae sunt per se vera, et sub debitis condicionibus veram homini praebent certitudinem quoad ea, ad quae attente advertit[2].**

Ad stat. quaest. 1. Ex thesibus demonstratis constat nos ope sensuum externorum vere et certe cognoscere qualitates corporum. Singulari autem alicuius unius sensus externi actu valde limitatum obiectum cognoscitur. Quo enim perfectior est aliqua cognitio, eo plura uno actu exprimit; ita Deus unico actu simplicissimo quidquid est et cognosci potest, perfectissime complectitur et comprehendit. Infimum gradum cognitionis constituunt sensus externi; unusquisque enim sensus ad suum obiectum specificum restringitur: oculus non audit, auris non videt; tactus percipit resistentiam, sed requirit corporis resistentis contactum; gustus solum saporem corporis organo coniuncti, olfactus et auditus odores et sonos corporum plus minusve propinquorum tantum attingunt; oculo videtur quidem etiam lux stellarum valde magnae distantiae, sed solum videmus, quae ante nos sunt. Etiam intra ambitum sui obiecti formalis sensus externi restringuntur

[1] L. c. 283. [2] Cf. de hac thesi *R. Jeannière,* Criteriologia 423 sq.

ad ea, quae hic et nunc actu in organum agunt. Ita unico simplici tactu praeter obiecti resistentiam solum percipio localem obiecti relationem ad eam corporis proprii partem, in qua tactus fit, nondum autem corporis externi figuram et magnitudinem. Oculo videmus colorem seu coloratum extensum (proxime binae dimensionis), possum item statim percipere, in qua relativa directione ad oculum nostrum obiectum sit; sed unico actu solius visus de distantia reali et magnitudine et figura secundum tres dimensiones determinata nondum possumus plene iudicare.

564. 2. Imperfectio ista limitationis magna ex parte et vere uberrimo modo suppletur, idque tripliciter obtinetur: a) eo quod singulorum sensuum organa, quamvis per actualem et physicam determinationem, qua ad cognoscendum indigent, a *simultanea* perceptione obiectorum multum impediantur, citissime iterum, obiecto remoto, ad novam impressionem novumque actum disponantur (vegetatione); b) quod sensus diversi se invicem non impediant, vix umquam unus tantum sensus agit, sed fere constanter plures simul sensus vel a diversis vel ab eodem obiecto externo afficiuntur; c) quod omnes sensus externi vitaliter coniuncti sunt cum sensu communi interno et cum ipso intellectu, ita ut synthesi reali qualitatum in corporibus externis exsistenti respondeat magna ex parte etiam synthesis cognitionis ex actibus simultaneis sensuum.

3. Hac ratione fit, ut facili negotio quoad obiecta praesertim propinqua et accuratae observationi et attentioni pervia conexionem qualitatum in eodem obiecto exsistentem cognoscamus. Id revera ad finem cognitionis experimentalis requiritur. Finis enim sensuum non potest esse is tantum, ut singulorum sensuum obiecta propria et formalia, v. g. colores, sonos, percipiamus et in hac quasi musici alicuius concentus et panoramatis perceptione gaudeamus, sed ut ipsas res cognoscamus tum ad usum practicum vitae nostrae corporeae, tum potissimum ad vitam intellectualem; qua ex his rebus sensibilibus mundi ordinem et ex opere artificem mundi et nostrum auctorem et creatorem omnipotentem, sapientem, benevolum Deum cognoscere et amare discamus.

565. 4. Multa quidem de corporum qualitatibus internis ex *illationibus* et *conclusionibus* inferri possunt et debent; sed nisi etiam saltem aliquae obiectivae qualitatum in eodem subiecto conexiones seu reales syntheses *immediate* nobis innotescerent, non posset fieri initium ratiocinii. Neque apparet ulla necessitas ratiocinii ad tales syntheses obvias percipiendas. Ita infans cum cane ludens sine negotio colores, qui in canis figura, capite, pedibus, cauda

mota coniuncti apparent simulque moventur, sonitum latrantis cum motibus oris: brevi, totum canem in quantum per diversa sua sensibilia propria se ut unum aliquod manifestat, sine negotio ratiocinii ut unum complexum apprehendit; vel si inspicit coloratum in manu concava, non indiget conclusionibus, ut idem pomum et rotundum et album sentiat.

5. Sensus igitur thesis est hic: Non solum de singulorum sensuum obiectis seorsim consideratis per experientiam iudicare possumus, sed ex ipsa observatione simultanea (vel successive coniuncta) cognoscimus statim syntheses reales. Non dicimus hoc semper et quoad omnia quae simul percipiuntur fieri posse: neque negamus nos in mundo externo cognoscendo ex aliunde iam prius notis et per ratiocinia saepe iuvari debere vel saltem de facto ad citius iudicandum iuvari. Ita qui pugnam inter David et Goliath aspexerunt, sat multos conceptus (hominis, vitae, pugnae, lapidis etc.) iam habuerunt, sed totum illud factum ut erat sensibile sensibus didicerunt, i. e. non solum colores, figuras, verborum sonitus, sed etiam res et actiones his qualitatibus determinatas easque, uti ita dicam, coniungentes.

566. Veritas thesis nititur in duplici momento, scil. in veracitate singulorum sensuum quoad sua obiecta propria et in ea sensuum coniunctione, quae ad obiecta recte et facile cognoscenda ab auctore naturae apte instituta est. Coniunctio ista ex parte subiecti est in ea facultate, quae generatim nominatur sensus communis, i. e. sensus internus, in quantum versatur circa obiecta sensibus externis praesentia, et cuius munus principale est varias sensationes externas (vel praesentes vel etiam memoria reproductas), quae eidem obiecto externo conveniunt, colligere, unire et huic uni obiecto tribuere. Talis facultas etiam in brutis saltem perfectioribus observatur.

Potest igitur thesis etiam sic exprimi, ut dicatur *experientiam externam* etiam in iis iudiciis, quae immediate sensui communi innituntur, esse per se veracem seu iudicia synthetica immediata per se vera esse (coniunctio enim per sensum communem prorsus diversa est a coniunctione ea, quam phantasia efficere valet).

567. Arg. 1 *(ex nexu, qui est inter potentiam et eius effectum).* Effectus proprius, ad quem aliqua potentia naturaliter ordinatur, debitis condicionibus positis necessario obtinetur; *atqui* perceptio rerum obiectivarum secundum complexum suarum notarum sensibilium est effectus, ad quem potentiae cognoscitivae organis nostris insitae et per sensum communem unitae ex natura ordi-

nantur; *ergo* positis debitis condicionibus haec perceptio necessario et infallibiliter obtinetur.

Ad min. Cognitio nostra sensitiva id experientia teste proprium habet, ut ex sensibilibus propriis omnibus simul perceptis varii complexus ut uniti et ab aliis complexibus diversi statim appareant, et ita cognoscantur res certae et determinatae, ut *homines individui, equi, canes, arbores, sidera,* eaque omnia et a percipiente atque etiam inter se separata, diversa, opposita.

Arg. 2 *(ex exsistentia certitudinis).* Quicumque vel aliquam veram a nobis acquiri posse certitudinem admittit, is quoque admittere debet id revera *esse,* quod actu cognoscitivo ut ens naturaliter et obiective effertur; *atqui* sensationibus coniunctis cum sensu communi complexus notarum in uno ente exsistentium facillime saepe naturaliter effertur; *ergo* qui certitudinem admittit, is quoque admittere debet extra nos et a nobis diversas esse res illas ita determinatas.

Ad min. Nemo sanae mentis umquam dubitavit, quin sensus suos adhibens directe videat homines, arbores, lapides, audiat sermones loquentium, sonos canentium, tangat mensam, pavimentum, idque sine ullo explicito ratiocinio, sed perceptione directa. Huc accedit, ut haud raro sensu bene et facile discernamus v. g. colores cum certa re conexos a coloribus mere per accidens in re proiectis etc.

Arg. 3 *(ex constantia legum naturalium).* Eae ipsae sensationes, quae exsistentiam huius mundi corporei nobis aperiunt, ostendunt nobis multas esse in hoc mundo rationes constantes et uniformes, secundum quas causae naturales ad certum quendam effectum producendum dirigantur vel non dirigantur; quas leges constantes leges naturae vocant. Quodsi ratio post inventam Dei exsistentiam videt, Deum posse per exceptionem in re particulari his naturae legibus derogare, eadem ratio eadem cum certitudine videt, id non fieri posse ad nos decipiendum et sine ratione, quae Deo sit digna. Positis autem his legibus illaesis, etiam respectu uniuscuiusque corporis per certum notarum sensibilium complexum determinati certus esse possum, praesto esse condiciones omnes, quibus error per accidens excluditur. *Ergo* per se recte percipimus syntheses sensibiles.

Confirmatur (ex consideratione telcologica naturae). Natura per processus omnes a se constitutos cum physicos tum physiologicos id intendit, ut nobis manifestet res externas determinatas, *ut sunt.* Iam vero sensus nostri post usum legitimum invincibilem persuasionem gignunt, non solum exsistere generatim res extra nos, sed etiam has res ita determinatas

et inter se diversas esse atque esse has vel illas. Porro sensus dati sunt nobis qua animalibus ad protectionem utilitatemque vitae organicae; sed nobis qua hominibus dati sunt, ut inserviant vitae intellectivae ad contemplandas res, ut sunt a Deo effectae. „Cum sensus ad duo nobis deserviant, scilicet ad cognitionem rerum et ad utilitatem vitae, diliguntur a nobis propter se ipsos, in quantum cognoscitivi sunt, et etiam propter quod utilitatem ad vitam conferunt. Et hoc patet ex hoc, quod ille sensus maxime ab omnibus diligitur, qui magis cognoscitivus est, qui est visus, quem diligimus non solum ad agendum aliquid, sed etiam, si nihil agere deberemus." [1] Ita homo *stellas* contemplatur non ad eas concupiscendum, sed ad gaudendum. Unde proprium est sensuum, ut non solum illam dispositionem convenientem ingratamve nobis fideliter referant, quam res efficiant in nobis, sed etiam ipsam dispositionem, quam in rebus effecit auctor naturae.

568. ***Coroll. 1.*** Ergo sensibus (accedente iudicio intellectuali) cognoscimus extra nos esse *substantias* [2] easque *multas,* quae tum a nobis tum inter se diversae sunt.

Nam cognoscimus entia inter se ita independentia, ut non possint ab intellectu haberi ut merae aliorum determinationes; percipimus talia phaenomenorum complexa, ex quibus tamquam ex principiis activitates egrediuntur; quae igitur in se subsistunt. Cognoscimus quoque activitates illas ita inter se segregatas esse et oppositas, ut ab uno agente sive ab una substantia procedere non possint; illae igitur substantiae vere multae sunt. — Quae multitudo clarissime patet quoad illos quos extra nos percipimus *homines.* Namque intervenientibus sensibus alios hominum id totis viribus sibi exoptare videmus, quod alii summopere fugiunt; alios id affirmare cognoscimus, quod alii negant; alios moralitatem sectari virtutesque exercere, dum alii voluptatibus indulgent perpetrantque crimina; alios felices se sentire, dum alii calamitatibus excruciantur. Quae omnia in agente uno sive in substantia una inesse non possunt. Innumerabilia sunt, quae dici possunt in hanc sententiam. Sed vix necesse est. Nihil enim est, de quo minus dubitari possit, quam subiectum omnium contentionum inter se oppositarum, rixarum, litium, omnium scelerum, calamitatum omnium, quae in hominibus contingere videmus, hoc inquam subiectum esse non posse unam substantiam, cui omnes homines ut „apparentiae" vel „activitates" vel „modi" vel „accidentia" inhaerent. — Alterum multitudinis substantiarum argumentum ex iis trahi potest, quae sensibus observamus in *animalibus.* Videmus enim plurima, quae eveniunt propter multiplicem cognitionem et multiplicem illam propriarum affectionum cognitionem, quam conscientiam im-

[1] *S. Thom.* in l. 1 met. lect. 1.

[2] Errat igitur *Wundt* dicens: „Keine Spekulation in der Welt vermag den Beweis zu führen, daß schon in den Dingen der Erfahrung der absolute Substanzbegriff der Philosophie steckt" (Logik I³ 451): nam id quod iste conceptus dicit, revera in rebus esse cognoscimus.

perfectam vocare licet. — Tertium petitur ex consideratione *organismorum;* quos testantur sensus esse substantias multas eo, quod unusquisque habet ortum proprium, evolutionem propriam, proprium interitum. — Quartum denique argumentum suppeditatur consideratione *omnis molis corporeae,* in qua apparet activitas diffusa et divisibilis atque etiam separata et multiplex, quae igitur substantiae sunt multae vel actu vel potentia.

Et haec quidem substantiarum multitudo natura duce cum illa certitudine cognoscitur, quam *naturalem* vocant, quae tamen facili negotio a reflectente intellectu ad certitudinem *philosophicam* evehi potest.

569. ***Coroll. 2.*** Ergo eadem certitudine, qua post sensationes habitas iudicamus exsistere res extra nos, iudicamus quoque, *nos variis sensibus instructos esse.*

Nam per experientiam illam sive conscientiam primam, quae omnes nostras cognitiones concomitatur, nos diversas perceptiones sensiles habere manifestum est nobis; manifestum est quoque, nos eas in diversis corporis partibus habere, et ita quidem, ut eaedem itidem partes eaeque solae iisdem perceptionibus obtinendis inserviant. Quas quidem partes „organa" dicimus.

Coroll. 3. Neque certa illa persuasio, quam habemus de exsistentia rerum externarum, in solam propensionem caecam sive *instinctum* vel *fidem* resolvi potest.

In quo errore haeserunt *Thomas Reid* et quae hunc secuta est schola scotica [1]. Erravit quoque *Frid. Henr. Jacobi,* qui censuit exsistentiam corporum teneri fide, quae nullo modo ad ullam cognitionem proprie dictam reduci posset. Quorum sententia ideo est reicienda, quia illud non potest ad instinctum vel fidem referri, quod clare et distincte percipitur. Et quilibet sanae mentis homo propter propriam experientiam persuasum habet, se admittere corpora non ex impulsu instinctivo vel ex actu fidei, sed ideo, quia ea immediate sensibus percipit.

570. ***Coroll. 4.*** Ergo commodissime ab aristotelicis facta est distinctio inter sensibile *per se* et sensibile *per accidens.* Etenim sensus naturam vel essentiam vel intimam constitutionem corporum non percipit neque qualitates ab illis abstractas, sed ipsam rem sibi praesentem cognoscit, quae est corpus aliquod sub forma

[1] Ex multis, qui in hanc sententiam concesserunt, audiatur *Gratry:* „La perception, comme le démontre Royer-Collard après les Écossais, et comme on l'admet aujourd'hui, implique un acte de foi naturel, supérieur à tout raisonnement, et qu'aucun raisonnement ne peut ni ne doit vouloir remplacer, sous peine de détruire la raison. Cet acte de foi affirme l'être" (Logique II 196).

concreta, i. e. hoc coloratum, durum, extensum. Itaque etiam ipsam substantiam corporum, etsi non in se, tamen ut qualitatibus extensionique substantem et concretam sensus percipiunt.

„Albedo immutat sensum non separata, sed in subiecto; ideo subiectum per accidens *sentitur*, ex vi tamen sustentationis, quam praestat albedini, adeo ut non albedo praecise, sed album videri proprie dicatur." [1] Sola accidentia diiudicantur sensibus, substantia autem est proprium obiectum intellectus [2]. Et id ipsum de *ratione essendi* putandum est. „Quamvis ‚esse' sit in rebus sensibilibus, tamen rationem essendi vel intentionem entis sensus non apprehendit, sicut nec aliquam formam substantialem nisi per accidens, sed tantum accidentia sensibilia." [3]

Cur autem illa dicantur sentiri per accidens, id explicavit post Aristotelem *Aquinas* hoc modo: „Sciendum est, inquit, quod ad hoc, quod aliquid sit sensibile per accidens, primo requiritur, quod accidat ei, quod per se est sensibile, sicuti accidit *albo* esse hominem, et accidit ei esse dulce. Secundo requiritur, quod sit apprehensum a sentiente; si enim accideret sensibili, quod lateret sentientem, non diceretur per accidens sentiri. Oportet igitur, quod per se cognoscatur ab aliqua alia potentia cognoscitiva sentientis. Et hoc quidem vel est alius sensus vel est intellectus. . . . Dico autem, quod est alius sensus, sicut si dicamus, quod *dulce est visibile per accidens*, in quantum dulce accidit albo, quod apprehenditur visu; et ipsum dulce per se cognoscitur ab alio sensu, scilicet a gustu. Sed ut proprie loquamur, hoc non est universaliter sensibile per accidens, sed per accidens visibile, sensibile autem per se. Quod ergo sensu proprio non cognoscitur, si sit aliquid universale, apprehenditur intellectu. Non tamen omne, quod intellectu apprehendi potest in re sensibili, potest dici sensibile per accidens, sed statim, quod ad occursum rei sensatae apprehenditur intellectu. Sicut statim, cum video aliquem loquentem vel movere se ipsum, apprehendo per intellectum vitam eius; unde possum dicere, quod video eum vivere." [4]

571. ***Coroll. 5.*** Neque minus ad rem accommodate facta est a peripateticis distinctio inter sensibilia *per se primo*, quae sunt sensibilia propria, et sensibilia *per se secundo*, quae sunt sensibilia communia. Namque id, „quod sentitur, vel sentitur propria vi, quia videlicet habet ex se virtutem ad immutandam potentiam, et hoc est sensibile proprium; vel sentitur, quia immutat modi-

[1] *Suarez*, De anima 3, 8, 2.

[2] Cf. *S. Thom.*, S. th. 3, q. 75, a. 5 ad 2.

[3] *S. Thom.* 1 dist. 19, q. 5, a. 1 ad 6.

[4] *S. Thom.* in l. 2 de anima lect. 13. Errant igitur qui dicunt nos sensu percipere tantum phaenomena („objektive Erscheinungen außer uns"), ex quibus ad „res" concludamus per ratiocinia. In quo errore est *Eng. Laur. Fischer*, Grundfragen der Erkenntnistheorie, Mainz 1887, 442.

ficando aliud, et hoc est sensibile commune“ [1]. Et in sensibile proprium sensus fertur directe, in sensibile commune ex consequenti.

„Sensibilia propria primo et per se immutant sensum, cum sint qualitates alterantes. Sensibilia vero communia omnia reducuntur ad quantitatem. . . . Quantitas autem est proximum subiectum qualitatis alterativae, ut superficies est subiectum coloris. . . . Nec tamen sunt sensibilia per accidens, quia huiusmodi sensibilia aliquam diversitatem faciunt in immutatione sensus.“ [2] „Quamvis autem sensibilia communia et sensibilia propria sint per se sensibilia, tamen propria sensibilia sunt *proprie* per se sensibilia, quia substantia uniuscuiusque sensus et eius definitio est in hoc, quod est aptum natum pati a tali sensibili.“ [3]

572. ***Scholion 1.*** Doctrina est apud aristotelicos, „errorem per accidens“ contingere facilius multo in sensibilibus per accidens quam in sensibilibus per se, et iterum saepius in sensibilibus communibus quam in sensibilibus propriis [4]. Et recte id quidem; nam nulla virtus cognoscitiva circa proprium obiectum decipitur.

Est autem id, quod est sensibile per se primo, magis proprium obiectum sensuum quam sensibile per se secundo: in illud enim sensus fertur proxime, in hoc vero ex consequenti. Et illud quod est sensibile per se, multo magis proprium obiectum sensuum est quam sensibile per accidens. Unde „visus non decipitur in iudicio colorum; sed dum homo per visum iudicat de *sapore* vel de specie rei, in hoc deceptio accidit“ [5].

Scholion 2. Numquam sensus rem, quae non sit *singularis,* cognoscere potest. „Non enim obiectum per se sensus est substantia et ‚quod quid est', sed aliqua sensibilis qualitas, puta calidum, album ... Huiusmodi autem qualitates afficiunt singulares quasdam substantias in determinato loco et tempore exsistentes. Unde necesse est, quod hoc, quod sentitur, sit hoc aliquid, scilicet singularis substantia, et sit alicubi et nunc, i. e. in determinato tempore et loco.“ [6]

At, *inquies,* obiectum formale visus est universe color. Verum *observes* posse quidem intellectum assignare facultati sensitivae obiectum universale, sub quo ea complura cognoscere possit; ipsam tamen facultatem ad actum suum traductam non percipere nisi singularia. Uni-

[1] *Suarez,* De anima 3, 8, 9.
[2] *S. Thom.,* S. th. 1, q. 78, a. 3; cf. in l. 2 de anima lect. 13.
[3] *S. Thom.* in l. 2 de anima lect. 13, initio.
[4] Ita sententiam Aristotelis (*negantis* accidere errorem in sensibili proprio) interpretatur *Suarez,* De anima 3, 10, 4.
[5] *S. Thom.,* S. c. gent. 3, 108, 3.
[6] *S. Thom.* in l. 1 anal. post. lect. 42.

versalia autem ipse sensus non cognoscit nisi per accidens, „in quantum cognoscit singularia, de quibus universalia praedicantur. Cognoscit enim hominem, in quantum cognoscit Socratem, qui est homo“ [1].

573. ***Scholion 3.*** Etiam *negationes* a sensu percipi possunt, ut eae in concreto sunt.

Nam sensu percipere possumus, aliquid ab aliquo auferri; et comparationem instituentes inter praesentem perceptionem et priorem, nunc aliquid abesse percipimus, quod prius adfuerit; possumus quoque in phantasia vel memoria imaginem communem retinere et cum hac obiectum particulare praesens comparare; et possumus etiam sensu interno cognoscere, sensus externos, quamvis attenti sint, has vel illas res non percipere.

Scholion 4. Ex iis, ad quae percipienda facultas sensitiva in homine extenditur, apparet, *propter quem finem* sensus homini dati sint. Vehementer errant, qui *Cartesium* secuti censent finem immediatum, propter quem homini sensus tributi sint, hunc unicum esse, ut illi manifestent corporum praesentiam eorumque proprietates sive vires, quatenus ad hominis conservationem vitaeque usus eas nosse conveniat. Nam „sensus sunt dati homini non solum ad vitae necessaria procuranda sicut aliis animalibus, sed etiam ad cognoscendum“: quibus praebeatur homini in hoc mundo aspectabili ratio „entis“ sub specie sensibili, qua ex percepta sensibili realitate per cognitionem intellectualem ascendat ad percipiendam realitatem supersensibilem sive metaphysicam. Quam ob rem praeclare ab *Aquinate* constitutum legimus: „Cognitio sensitiva ordinatur ad *duo:* uno enim modo tam in hominibus quam in aliis animalibus ordinatur ad corporis sustentationem, quia per huiusmodi cognitionem homines et alia animalia vitant nociva et conquirunt ea, quae sunt necessaria ad corporis sustentationem; alio modo specialiter in homine ordinatur ad cognitionem intellectivam, vel speculativam vel practicam.“ [2]

[1] *S. Thom.* in l. 5 met. lect. 13, Ostendit quomodo. Et alio loco: „Singulare sentitur proprie et per se; sed sensus est quodammodo et ipsius universalis. Cognoscit enim Calliam non solum, in quantum est Callias, sed etiam, in quantum est hic homo, et similiter Socratem, in quantum est hic homo. Et inde est, quod tali acceptione sensu praeexsistente anima intellectiva potest considerare hominem in utroque. Si autem ita esset, quod sensus solum apprehenderet id, quod est particularitatis, et nullo modo cum hoc apprehenderet universale in particulari, non esset possibile, quod ex apprehensione sensus causaretur in nobis cognitio universalis“ (In l. 2 anal. post. lect. 20, Manifestat quod).

[2] *S. Thom.*, S. th. 2, 2, q. 167, a. 2. Alio loco: „Cum cetera animalia non delectentur in sensibilibus nisi per ordinem ad cibos et venerea, solus

SECTIO II.

De conscientia sive de perceptione rerum subiectivarum (experientia interna).

574. Notiones praeviae. Sensus internus. Sensus internus a sensu externo primario distinguitur ex *obiecto*. Praeter res externas enim sentiuntur etiam modificationes internae, uti sunt fames, sitis, aegritudo, voluptas, dolor. Praeterea sentiuntur etiam ipsi actus sensationis externae. Cum enim sensus nostros ad res externas percipiendas adhibemus, non solum videmur nobis percipere res, quae a nobis diversae sint, sed etiam concomitanter ipsos nostros sentiendi actus, quatenus hi modo sensibili accidunt. Quam cognitionem psychologi sensui interno sive communi ascribunt, cui sensus externi sive proprii tamquam instrumenta subserviant.

Hac de re dicens *S. Augustinus:* „Arbitror, inquit, etiam illud esse manifestum, sensum illum interiorem non ea tantum sentire, quae acceperit a quinque sensibus corporis, sed etiam ipsos ab eo sentiri. Non enim aliter bestia moveret se, vel appetendo aliquid vel fugiendo, nisi se sentire sentiret, non ad sciendum, nam hoc rationis est; sed tantum ad movendum, quod non utique aliquo illorum quinque sentit. Quod si adhuc obscurum est, elucescet, si animadvertas, quod exempli gratia sat est in uno aliquo sensu, velut in visu. Namque aperire oculum vel movere aspiciendo ad id, quod videre appetit, nullo modo posset, nisi oculo clauso vel non ita moto se id non videre sentiret. Si autem sentit se non videre, dum non videt, necesse est etiam sentiat se videre, dum videt; quia cum eo appetitu non movet oculum videns, quo movet non videns, indicat se utrumque sentire.“ [1]

575. Conscientiae divisio. Facultas, qua multa eorum interne percipimus, quae in nobis fiunt vel sunt, generatim *conscientia* a scriptoribus nostrae aetatis vocari solet. Quae duplex distinguitur: imperfecta et perfecta.

Conscientia *imperfecta* in percipiendis affectionibus propriis sive factis internis versatur. Et factorum internorum duplex ordo distingui potest: prior *sensitivus,* qui obicitur et sensui et intellectui: et alter *intellectivus,* qui soli intellectui obicitur. Haec „conscientia“ etiam in parte sensitiva

homo delectatur in ipsa pulchritudine sensibilium secundum se ipsam. Et ideo quia sensus proprie vigent in facie . . ., homo habet faciem erectam, ut per sensus et praecipue per visum, qui est subtilior et plures differentias rerum ostendit, libere possit ex omni parte sensibilia cognoscere et caelestia et terrena, ut ex omnibus intellegibilem colligat veritatem“ (S. th. 1, q. 91, a. 3 ad 3).

[1] De lib. arb. 2, 4.

reperitur; et imperfecta vocatur, quia in ea subiectum „redire quidem incipit ad essentiam suam, quia non solum cognoscit sensibile, sed etiam cognoscit se sentire; non tamen completur eius reditio, quia sensus non cognoscit essentiam suam“ [1].

Conscientia *perfecta* in sola parte intellectiva inest (i. e. a solo intellectu, et non a sensu elicitur), et perceptis affectionibus propriis penetrat ad *substantiam* usque propriam, quam ex affectionibus illis evolvit quasi explicatque et ab affectionibus, quarum subiectum est, mente separat. „Substantiae intellectuales redeunt ad essentiam suam reditione completa: in hoc enim, quod cognoscunt aliquid extra se positum, quodammodo extra se procedunt; secundum vero quod cognoscunt se cognoscere, iam ad se redire incipiunt, quia actus cognitionis est medius inter cognoscentem et cognitum. Sed reditus iste completur, secundum quod cognoscunt essentias proprias; unde dicitur, quod omnis sciens essentiam suam est rediens ad essentiam suam reditione completa.“ [2]

Distinguunt quoque conscientiam *sensitivam* et *intellectivam*.

Quarum prior affectiones sensibiles renuntiat; altera non solum circa affectiones sensibiles, sed etiam circa actiones intellectus et voluntatis, immo circa ipsam cognoscentis substantiam versatur. Prior ultra affectiones non penetrat, et substantiam propriam non sentit nisi per accidens, quatenus, ut diximus, huic dolenti vel videnti accidit esse substantiam. Conscientia intellectiva et imperfecta esse potest et perfecta. Est *imperfecta*, si in affectionibus percipiendis haeret; est *perfecta*, si ad percipiendam propriam subiecti substantiam progreditur abstractam quasi ab ipsius affectionibus.

576. Praeterea etiam conscientiam reflexam distinguunt, quae est conscientia simpliciter, et conscientiam concomitantem (apperceptionem). *Concomitans* sive prima ea est, qua subiectum, cum rem sibi obiectam percipit, secundario sive concomitanter et in actu exercito percipit experiturque perceptionem suam et se ipsum, neque tamen ad has res subiectivas directe advertit animum. *Reflexa* ea est, qua subiectum per animi advertentiam ad operationes suas ad se ipsum redit et reflectitur [3].

[1] *S. Thom.*, De verit. q. 1, a. 9.

[2] *S. Thom.* ibid. Diligenter animadvertendum est nos per conscientiam perfectam non immediate intueri substantiam nostram in se ipsa, sed tantum in nostris actionibus: „In hoc aliquis percipit se animam habere et vivere et esse, quod percipit se sentire et intellegere et alia huiusmodi vitae opera exercere“ (De verit. q. 10, a. 8).

[3] Observandum est hanc locutionem, qua quis ad affectiones proprias et se ipsum reflecti vel redire dicitur, esse locutionem metaphoricam. Non enim in cognoscendo est motus, „unde nec proprie loquendo, ibi est recessus aut reditus. Sed pro tanto dicitur esse processus vel motus, in quantum ex uno cognoscibili pervenitur ad aliud; et in nobis fit per quendam discursum, secundum quem est exitus et reditus in animam nostram, dum cognoscit se

Conscientiam concomitantem sive primam[1] multi ambigue vocant *sensum intimum*. Qui sensum intimum, si spectetur ut facultas, eam dispositionem dicunt esse subiecti cognoscentis, qua proprias modificationes ut suas experiri possit; si spectetur ut actus, esse ipsam experientiam, quam subiectum habeat suae modificationis, vel esse perceptibilem actus praesentiam subiecto eundem eliciente. Hunc ergo „sensum" non solum in ordine sensitivo, sed etiam in ordine rationali locum habere docent. Nos quidem, rem si spectes, hanc doctrinam veram et rectam esse arbitramur; sed neglecta voce „sensus intimi" propter ambiguitatem, nomine „conscientiae concomitantis" contenti sumus.

Et illa quam concomitantem dicimus conscientia duplici ratione spectari potest: primo, ut est certitudinis omnis condicio praerequisita, in quam iam incidimus, cum de veracitate sensuum externorum ageretur; secundo, ut est illius certitudinis, quae circa res subiecto internas versatur, fons et motivum; et hac ratione hoc loco a nobis est attendenda.

Conscientia igitur concomitans, si ut *actus* spectetur, definitur multarum rerum subiectivarum a subiecto ipso habita in obliquo perceptio, omissa tamen omni speciali ad has res subiectivas advertentia. Si consideratur ut *facultas*, est nativa quaedam animi insita opportunitas, qua fit, ut pro naturae commoditate animus multa ex iis, quae in ipso fiunt, sibi intime praesentia habeat et experiatur ut sua.

577. ***Scholion 1.*** Eius generis conscientiam concomitantem in omni ente cognoscitivo revera reperiri, recogitanti cuique satis liquet. Ex natura enim sua omnis perfecta cognitio non solum obiectum, sed etiam subiectum, *cui* obiectum praesens sistitur, necessario respicit. Praeterea nisi haec cognitio experimentalis factorum internorum supponatur, iam nulla cognitio ulterior de his factis exsistere potest. Ut enim homo super facta interna sese reflectat et de iis iudicet, non satis est, ut ea in cognoscente secundum entitatem suam praesentia sint; sed

ipsam. Primo enim actus ab ipsa exiens terminatur ad obiectum, et deinde reflectitur super actum, et deinde super potentiam et essentiam, secundum quod actus cognoscuntur ex obiectis et potentiae per actus". Ita *S. Thom.*, De verit. q. 2, a. 2 ad 2. Et alio loco: „Cuiuslibet potentiae animae virtus est determinata ad obiectum suum; unde et eius actio primo et principaliter in obiectum tendit. In ea vero, *quibus* in obiectum tendit, non potest tendere nisi per quandam reditionem, sicut videmus, quod visus primo dirigitur in colorem; sed in actum visionis suae non dirigitur nisi per quandam reditionem, dum videndo colorem videt se videre" (De verit. q. 10, a. 9).

[1] Nonnulli eam „directam" vocant; sed haec vox ambigua est; nam et „indirectae" opponitur et. uti hic. „reflexae"; quam ob rem hac voce potius abstinebimus.

necesse est, ut subiectum prius ea in actu exercito experimentaliter cognoverit, quam iis determinari possit, ut ad ea etiam cum advertentia revertatur.

Et hanc conscientiam concomitantem non solum ad actus sensationis et intellectionis, sed etiam ad actus appetitus sensitivi et rationalis referri in manifestis est. Saepe enim accidit, ut homo ex cognitis his actibus excitetur ad activitatem ulteriorem, neque tamen advertentiam suam ad illos actus reflexerit.

Itaque conscientia concomitans est elementum essentiale cuiuslibet ordinis cognoscitivi. Et sicut de essentia cognitionis est, ut, cum a facultate elicitur, rem manifestet cognoscenti, ita de eius essentia est, ut etiam ipsa sese secundario et in obliquo manifestet cognoscenti: in qua manifestatione experimentali conscientia illa continetur. Unde consequens est, ut conscientia illa, si spectetur ut facultas, non sit facultas ab aliis distincta, sed sit omnium facultatum ordinis cognoscitivi proprietas essentialis.

Scholion 2. Differentia inter conscientiam reflexam et concomitantem continetur his rebus: 1. Conscientia concomitans est primitiva quaedam subiecti cognoscentis dispositio, qua fit, ut actus omnes partis sensitivae et intellectivae ipsi experimentaliter praesentes sint. Conscientia reflexa addit specialem advertentiam, ad hos actus advertendo animum. Et haec conscientia reflexa duplex est, ut diximus. Si sistit in affectionibus, est *imperfecta* et etiam in parte sensitiva reperitur: si pergat ad percipiendam substantiam in se ipsa, *perfecta* est et in sola parte intellectiva reperitur. 2. Conscientia concomitans, cum omne exercitium facultatum cognoscitivarum comitetur, semper et continenter adest, quamdiu homo actu cognoscit. Conscientia autem reflexa animae essentialis non est nec semper adest. — 3. Conscientia concomitans est fons, ex quo animus interna facta cognoscit. Conscientia autem reflexa est vera et propria illorum factorum cognitio. — 4. Conscientia concomitans est condicio, sine qua nulla certitudo umquam haberi potest. Certitudo enim exigit, ut mens cognoscat se percipere motiva veritatis, id quod per conscientiam illam concomitantem et experimentalem efficitur. Sed conscientia reflexa, etiamsi in cognitionibus obscurioribus aliquis eius actus ad certitudinem plenam requiri possit, tamen per se ad certitudinem non requiritur. — 5. Conscientia concomitans non est conscientia sensu proprio, qua significatur facultatis alicuius in suos actus et se ipsam reditio. Haec vox si ita intellegitur, soli conscientiae reflexae competit.

578. **Obiectum conscientiae** quo ambitu contineatur, ex supra dictis manifestum est. Numquam renuntiat conscientia, quae sint affectionum essentia, neque omnem discriminis rationem, sed refert tantum, affectiones illas actu exsistere ut *facta interna*. Verum haec facta non in se ipsis et ut a subiecto abstracta percipiuntur, sed ut concreta in subiecto exsistentia referuntur. Itaque cum affectionibus refertur simul subiectum affectum.

Et affectiones illae referuntur, quatenus insunt in nobis actu et in praesenti ut determinationes perceptibiles. Hinc per conscientiam actus visionis, imaginationis, appetitionis distinguere possumus; distinguimus, utrum hominem videamus an lapidem an fornacem; utrum actus liber sit an necessarius; sescenta similia.

Conscientia probe distinguenda est a *cognitione in genere.* Sub influxu philosophiae idealisticae, quae omnem cognitionem confundit cum conscientia, iam fit, ut saepe etiam qui errore idealistico nullo modo infecti sunt, tamen linguae corruptelam suam faciant. Ita v. g. minus accurate dicitur: Mihi conscius sum Caium heri a Tito interfectum esse; id scire possum, sed sensu stricto et proprie non sum conscius facti externi. Conscius sum me id scire, sed non directe ipsius facti externi.

Porro bene notetur differentia inter conscientiam hoc loco tractatam (Bewußtsein) et conscientiam *moralem (Gewissen).* Iudicia enim conscientiae moralis de liceitate, de bonitate, brevi de moralitate alicuius actionis suum fontem habent aut in ideis (tertio fonte veritatis logicae) aut in auctoritate. Conscientia tamen moralis, quatenus consideratur solum ut *testis internus,* e. g. de assensu admisso vel non admisso, utique coincidit cum conscientia, de qua hoc loco egimus (adiuncta ipsi memoria).

Conscientia ad omnem certitudinem subiectivam requiritur, seu omnis certitudo subiectiva in conscientia aliquod fundamentum habet. Ratio est, quia certitudo subiectiva non habetur, nisi intellectus conscius sibi sit se percipere motiva; percipere vero motiva est factum internum, quod sola conscientia innotescere potest. Hinc si de veritate conscientiae quoad facta interna dubitare liceret, nulla iam posset haberi certitudo. Dicitur „aliquod fundamentum omnis certitudinis subiectivae", i. e. qua principium manifestativum; manifestat enim factum perceptionis. At conscientia non est fons, ex quo omnes cognitiones hauriamus, nec motivum obiectivum omnis certitudinis. Rationem fontis et motivi solum habet pro cognitione factorum subiectivorum seu internorum.

579. **Thesis 15.** **Quicumque vel aliquam certitudinem proprie dictam esse admittit, is quoque admittere debet, iudicia immediata conscientiae per se errori obnoxia esse non posse.**

Ad stat. quaest. 1. Conscientiae veracitas demonstrationem absolutam non admittit neque eius est indigens.

Nam hanc veracitatem demonstrare idem est atque demonstrare, conscientiam concomitantem revera esse fontem et motivum

certitudinis. At hoc a) demonstrari non potest; nam demonstranti ante omnem demonstrationem praemissae ut a se perceptae certae esse debent. Neque b) demonstrationis indiget; nam qui de conscientiae veracitate se dubitare affirmat, se dubitantem concipit, et affirmando id quod concepit, veracitatem conscientiae agnoscit; ipsa ergo dubitatione veracitas conscientiae affirmatur.

At vero post reiectum scepticismum iam iis, qui certitudinem esse admittunt, ea vere demonstrari potest.

2. Non agimus in thesi de conscientia sensitiva vel sensu interno, nisi quatenus etiam sensus naturam iudicii imitatur et ita aliquo modo falsitatis errorisve particeps esse potest. Sed potissimum agimus de conscientia intellectuali. Neque solum agimus de conscientia prima vel concomitante (n. 576); sed in thesi sermo est de conscientia intellectuali *reflexa*, cum imperfecta, quae in affectionibus haeret, tum perfecta, quae ad percipiendum ipsum „ego" progreditur. — Sicut cognitio omnis, ita etiam haec conscientia intellectualis reflexa duplex esse potest: *apprehensiva*, quae in apprehensa affectione vel apprehenso subiecto haeret, ut cum quis se cogitantem vel suum proprium „ego" percipit; et *iudicativa*, quae solutis separatisque partibus rei apprehensae rationem praedicati et subiecti tribuit, ut cum quis dicit: *ego sum cogitans*.

3. Iudicia, quae intellectus profert, cum conscientiae concomitantis apprehendit, aut immediata sunt aut mediata. *Immediata* sunt, cum affirmant id quod subiectum in se experitur; *mediata* sunt, cum affirmant id quod ex priore iudicio ratiocinando deduci potest.

Thesis sola iudicia *immediata* spectat, quae igitur versantur circa facta, i. e. ea quae subiectum in se experitur, e. g. *dolere, dubitare, affirmare*, non autem circa singulorum factorum naturam intimam et causam. Et haec facta *interna* esse debent et *praesentia*, i. e. actu in subiecto inesse. Neque omnia facta eius generis immediatis conscientiae iudiciis attingi posse dicimus; sed id tantum statuere volumus, in iis dispositionibus, quae referantur, haec iudicia numquam per se errori obnoxia esse.

580. **Arg. 1** *(ex refutato scepticismo).* Si quis esse certitudinem admittit, is saltem admittere debet se ipsum vivere, id quod ipsi per conscientiam innotescit. At qui id admittit, etiam conscientiam per se ab errore immunem esse admittere debet. Qui ergo certitudinem admittit, etiam veritatem conscientiae, quam in thesi indicavimus, admittere debet.

Ad mai. Hanc rem *S. Augustinus* contra academicos sive scepticos praeclare proposuit: „Intima scientia est, inquit, qua nos vivere scimus, ubi ne illud quidem academicus dicere potest: fortasse dormis et nescis et in somnis vides; visa quippe somniantium simillima esse visis vigilantium, quis ignorat? Sed qui certus est de vitae suae scientia, non in ea dicit: scio me vigilare, sed: scio me vivere. Sive ergo dormiat sive vigilet, vivit. Nec in ea scientia per omnia falli potest, quia et dormire et in somnis videre viventis est. Nec illud potest academicus adversus istam scientiam dicere: furis fortassis et nescis; quia sanorum visis simillima sunt etiam visa furentium. Sed qui furit, vivit; nec contra academicos dicit: scio me non furere, sed: scio me vivere. Numquam ergo falli nec mentiri potest, qui se vivere dixerit scire.“ [1]

Arg. 2 *(contra adversarios).* Illud per se errori obnoxium non est, cuius veritas negari vel in dubium vocari non potest, quin eo ipso affirmetur; *atqui* id de conscientiae veritate dicendum est; *ergo* conscientia per se errori obnoxia non est.

Prob. min. Qui negat vel in dubium vocat conscientiae veritatem, dicit: Nego vel dubito me cogitare, percipere quidpiam, me exsistere. Sed qui id dicet, eo ipso affirmabit se cogitare, percipere aliquid atque exsistere. Neque in his rebus ulla est, quod *S. Augustinus* monet, „academicorum formido dicentium: Quid, si falleris? Si enim fallor, sum. Nam qui non est, utique nec falli potest, ac per hoc sum, si fallor. . . . Quia igitur essem, qui fallerer, etiamsi fallerer, procul dubio in eo, quod novi me esse, non fallor“ [2].

Arg. 3 *(ex natura conscientiae ut facultatis cognoscitivae).* Facultas omnis cognoscitiva in cognoscendo suo obiecto per se ad assequendam veritatem apta et hinc per se ab errore immunis est; *atqui* habemus facultatem cognoscitivam destinatam ad id, ut nobis ex affectionibus nostris propriis multae patefiant, quam conscientiam vocamus; *ergo* conscientia per se ab errore immunis est.

Arg. 4 *(ex natura conscientiae ut perceptionis).* Conscientia actualis est affectionum perceptio, quae actualiter et perceptibiliter in subiecto insunt. *Atqui* ad percipiendum tum exsistentia eius requiritur qui percipit tum eius, quod percipitur.

581. ***Obi. 1.*** Sunt qui putent se essse doctos, sapientes, cum sint rudes et stulti. *Ergo* conscientia fallit.

---

[1] De Trinit. 15, 12, 21; cf. etiam De vera religione 39, 73; Contra academ. 3, 26; Soliloquia 2, 1; De Trinit. 10, 10, 14. Et *Cartesius* huius veritatis evidentia ductus, in ea fundamenta omnis philosophiae posuit.

[2] De civit. Dei 11, 26.

Resp. Obiectio extra statum quaestionis vagatur, cum ea conscientiae obiecta non sint.

Obi. 2. Plurimi in corpore fiunt motus; et tamen conscientia nobis sanis quietem absolutam testari solet.

Resp. Plurima sunt facta interna, quae a conscientia nullo modo referuntur. Itaque conscientia de multis motibus tacet; sed qui tacet motum, non ideo affirmat quietem positivam. Si quis silentium conscientiae in testimonium trahere velit, is conscientiam testari absentiam istorum motuum dicere debebit, qui perceptibiles sint, itaque testari quietem respectivam vel negativam, quae revera est. Sed si accurate rem concipiamus, conscientia per se refert facta, quae sunt, non eorum absentiam.

Obi. 3. Speciatim amentibus et somniantibus conscientia manifestat plurima, quae falsa sunt.

Resp. Testimonium conscientiae sensitivae supponit, in natura omnia esse ad recte renuntiandum apte disposita. Quoniam autem in his dispositionibus a natura intentis et ex ordine effectis sive propter morbum sive propter eventum extraordinarium defectus accidere potest, fieri etiam potest, ut homo intervenientibus his dispositionibus turbatis a conscientia sua ad iudicium falsum adducatur; qui error est per accidens.

Obi. 4. Saepe accidit, ut homines de affectionibus mentis internis dubitent, nescientes, utrum dormiant an vigilent, an de delicto commisso vere doleant, an malis tentationibus assensum praestent.

Resp. Fieri quidem potest, ut homines post certum et clarum testimonium conscientiae dubitent de natura affectionis habitae, vel de denominatione illi tribuenda, vel etiam de praeterita eius exsistentia. Nullo autem modo fieri potest, ut rationabiliter dubitent de exsistentia praesenti affectionis, quam adesse conscientia certo testatur.

Obi. 5. Accidit saepe, ut cui crus vel bracchium amputatum est, is in crure vel bracchio dolorem persentiat. *Ergo* sensus internus decipitur cum quoad subiectum, quod sentit, tum quoad rem, quae sentitur.

Resp. In homine sano crus vel bracchium habet quidem vim sentiendi, sed acceptam a sensu communi huicque subordinatam cum dependentia. Sentientis subiecti pars principalis semper est cerebrum, quod mutilis illis non deest [1]. Ad rem autem, quae sentitur, quod spectat, revera in localizatione affectionis error subrepit; at is error per accidens est et ex statu hominis extraordinario post assuetudinem ante habitam satis explicatur. Homini illi certa quaedam affectio systematis nervei iudicium dolorem localizans excitat, quod sub ordinaria et naturali

[1] „Ubicumque sunt diversae potentiae ordinatae, inferior potentia comparatur ad superiorem per modum instrumenti, eo quod superior movet inferiorem. Actio autem attribuitur principali agenti per instrumentum, sicut dicimus, quod artifex secat per serram. Et per hunc modum ... sensus communis sentit per visum et per auditum et per alios sensus proprios, qui sunt diversae partes potentiales animae.“ *S. Thom.* in l. de sensu et sensato lect. 19, Hic ostendit.

condicionum circumstantia verum et rectum esset, quod nunc falsum est per accidens, propter eventum extraordinarium. Atque hic error eo facilius accidere potest, quia doloris sensus confusus est, ita ut locus, in quo residet, vel certi eius limites determinari vix possint; id quod multo facilius in membris detruncatis accidet, in quorum extremitate cutis, nervi, ossa ad condicionem violentam distorta sunt. Ad indefinitam doloris sensationem, quam nervi in laeso membro experiuntur, accedit praeterea phantasia, quae ex consuetudine imaginem membri integri illi associat.

Obi. 6. Ut certo cognoscamus nos huius vel alterius affectionis conscientiam habere, per secundum conscientiae actum super primum reflectere debemus, et pro hoc actu secundo indigemus tertii, pro tertio quarti, atque ita deinceps.

Resp. Conscientia directa ad efficiendam veram certitudinem satis est. Quodsi quis hanc certitudinem perficere velit, unum conscientiae reflexae actum adiciat, et satis est.

582. ***Coroll. 1.*** Ergo falsa est distinctio inter affectiones nostras psychicas, ut accipiuntur secundum apparentiam, et ut sunt in se ipsis[1]. Nam id ipsum, quod apparet in affectionibus apparentibus, sunt affectiones, ut *sunt* in se ipsis.

Coroll. 2. Vehementer ergo errant, qui censent „ego“ nihil esse nisi certam et constantem affectionum coniunctionem[2].

Et falsa etiam est distinctio, quam adhibent idealistae ex schola kantiana inter „ego phaenomenale“ et „ego noumenicum“[3].

Nam affectiones illae non apparent ut a substantia abstractae, sed ut sunt ipsius „ego“ affectiones. Unde in affectionibus apparet ipsum „ego“, quod est affectionibns affectum, affectiones efficiens, affectiones in se suscipiens tamquam unum quid.

Et per conscientiam quidem percipimus in nobis 1° unum quid, ita ut partes singulae, quas in nobis deprehendimus, non sint multarum rerum quaedam coacervatio, sed revera entia partialia unius rei; 2° unum

---

[1] Qui ita distinguunt, notantur ab *Ueberweg:* „Von dem Schmerz, von der Ton- und Farbenempfindung etc. als psychischer Erscheinung unterscheidet der psychologische Transzendentalist (nicht nur das Wesen und die Substanz der Seele und die inneren Bedingungen der einzelnen psychischen Vorgänge, auch nicht bloß die veranlassende äußere Affektion, sondern auch) ein *Ansich* eben desjenigen einzelnen Zustandes in mir, der mir als Schmerz, Farbenempfindung etc. erscheint“ (System der Logik § 40).

[2] Bene hac de re *Jeannière,* Criteriologia 361 sq.

[3] Cf. *Kant,* Kritik der reinen Vernunft, ed. *Acad. Berol.* III 268: Von den Paralogismen der reinen Vernunft (ubi dicit de paralogismis substantialitatis, simplicitatis, personalitatis: identitatem conscientiae meae esse quidem condicionem formalem activitatis meae continuae; minime tamen inde identitatem numericam mei subiecti cognosci posse).

quid, ita ut affectiones omnes, quas in nobis percipimus, insint ut accidentia uni substantiae; 3° unum quid, ita ut id quod in conscientia perfecta perceptum est, idem plane sit atque percipiens.

Coroll. 3. Ergo non per ratiocinium cognoscitur *substantia* propria, sed ea primo et immediate et perspicue innotescit in activitate qualibet. Unde nemo dicere potest: *cogito,* quin simul dicat: *sum,* et se „esse" ponat iam. Et petitionem principii committit, qui per veram argumentationem cum *Cartesio* dicere velit: *Cogito, ergo sum* (cf. n. 472 479).

Coroll. 4. Immediate constat homini ex conscientia etiam exsistentia propria ut substantiae corporeae extensae[1].

SECTIO III.

De phantasia et memoria.

583. I. **Phantasia.** Vix umquam ab ullo philosopho serio est dubitatum, quin in negotio cognitionis humanae magnae partes *phantasiae* attribuendae sint.

Apud aristotelicos phantasia est facultas organica sive sensitiva praebens intellectui imagines, ex quibus in abstrahendo ad conceptus universales ascendat, et qua iuvante conceptus rebus singularibus applicentur[2].

In schola kantiana phantasiam arbitrantur esse facultatem, quae simul sit sensitiva utpote fingens passas imagines, et etiam spiritualis utpote in producendis imaginibus praedita „libertate"; hanc a sensualitate materiam ad fingendas repraesentationes („Anschauungen") accipere, et efficere secundum categorias mentis quam vocant „synthesim transscendentalem", qua intellectualia cum obiectis aspectabilibus conectantur.

Maiores etiam partes phantasiae defert *Fichte,* qui eam omnium facultatum humanarum laudat principem, perfectissimam, nobilissimam; a phantasia fieri synthesim inter activitatem subiectivam ipsius „ego" et illos vanos limites, quae ut non-ego appareant.

Schelling a phantasia exspectat intimam omnium rerum cognitionem.

Et sicut illi, ita sescenti alii phantasiam dicunt esse vim plasticam humani ingenii, qua ea producantur, quae cognoscere nobis videamur.

Quodsi relictis opinationibus falsis experientiam propriam consulere velimus, inveniemus nos saepe sensu quodam interno formare nobis per repraesentationem idola quaedam sensibilia vel

[1] Cf. *Frick,* Logica[4] 274; *Jeannière* l. c.

[2] „Phantasmata se habent ad intellectum nostrum sicut sensibilia ad sensum, ut *colores,* qui sunt extra animam, ad visum." *S. Thom.,* De verit. q. 2, a. 6.

rerum, quas ante sensibus nostris perceperimus, vel etiam aliarum, quas ex habitis ante sensationibus fingere possimus. Et facultas, quae has imagines efficit et rebus etiam absentibus conservat, phantasia vel imaginatio vocatur. Atque huius facultatis operatio naturali quadam necessitate omnes nostros actus cognoscitivos comitatur.

„Hoc quilibet in se ipso experiri potest, quod, quando aliquis conatur aliquid intellegere, format sibi aliqua phantasmata per modum exemplorum, in quibus quasi inspiciat, quod intellegere studet. Et inde est etiam, quod, quando aliquem volumus facere aliquid intellegere, proponimus ei exempla, ex quibus sibi phantasmata formare possit ad intellegendum." [1] Phantasia intellectui obiectum sive materiam proponit, ad cuius praesentiam ab hoc formatur species intellegibilis quidditatis, quae ab intellectu divino illi rei impressa est, quam phantasma repraesentat. Praeterea eo quod phantasia sese intellectui humano comitem praebet, efficitur, ut mens perceptiones determinatas et claras habere et in his cum aliqua firmitate remanere possit. Deinde utilitas phantasiae eo etiam cernitur, quod intellectui illas notiones praebet, per quarum remotionem ad perceptionem rerum maxime simplicium et spiritualium pervenire possit. Praebet denique phantasia intellectui similitudines et analogias et symbola et eius generis alia, quae ex ordine sensibili tracta, intellectum in percipiendis rebus spiritualibus mirum in modum iuvant.

584. Et res manifesta est imaginationem, cum ex se imagines a se fictas ad ordinem realem ut realiter exsistentes non referat, neque ex se falli posse. Qui autem naturam et volubilitatem huius facultatis nonnihil consideraverit, is facile intelleget eam in praebendis errandi occasionibus non esse difficilem.

Ex natura enim sua haec facultas a praesentia obiecti non pendet nec obiectum suum ad ordinem realem referre debet. Et nos tamen ex omnium aliarum facultatum usu quodammodo assueti sumus, ut id putemus esse reale, quod nobis repraesentemus. Quam facile igitur fieri potest, ut imaginatio sensationibus afficiatur vividius, et anima, fictis imaginibus occupata tota, omittat discernere inter species phantasticas et species a rebus haustas. Qua de re *S. Augustinus* ait: „Quae [phantasmata] memoriae mandare, ut accepta sunt, vel partiri, vel multiplicare, vel contrahere, vel distendere, vel ordinare, vel perturbare, vel quolibet modo figurare cogitando facillimum est; sed cum verum quaeritur, cavere et vitare difficile." [2] Hinc prudenti consideratione et diligenti reflexione opus est, ne impetu imaginationis seducti vel abrepti, exsistere dicamus, quae non exsistunt vel exsistere solum videntur; ne certa praedicemus vel universalia, quae probabilia sunt et interdum tantum

[1] *S. Thom.*, S. th. 1, q. 84, a. 7. [2] De vera relig. c. 10.

inveniuntur; ne negemus, quae phantasia attingi non possunt. Et haec de imaginatione.

585. II. **Memoria.** Memoria est facultas, qua anima praeteritas suas affectiones et cogitationes retinet easque ut olim a se habitas recognoscit.

Memoria *sensitiva* in formandis idolis versatur, quae sensationes subiectivas antea habitas earumque obiecta olim cognita repraesentant. Memoria *intellectiva* in speciebus intellegibilibus versatur. Ut phantasiam omnes actus nostros intellectivos comitari, adiuvare vel etiam impedire diximus, ita etiam memoria sensitiva intellectivam tamquam comes ab ipsa natura destinata usque prosequitur. Vix opus est, ut moneatur memoriam et ut potentiam, et ut actum, et ut habitum spectari posse.

Iam vero cum in inductionibus vel deductionibus efficiendis vix non semper memoria utamur[1], paucis hoc loco de eius certitudine videndum est.

586. **Thesis 16. Memoria per se rectam rationem numquam in errorem positivum adducit.**

Ad stat. quaest. 1. Memoria intellegitur praecipue intellectiva; quam diximus esse vim reproducendi conceptus olim habitos eosque recognoscendi.

Reproductio fit adminiculante associatione idearum sive conceptuum. Et recognitio est cognitio intellectus reflexa, ideas illas iam semel a se cognitas esse. Simul enim cum idea rei reproducitur etiam idea actus prioris conscientiae, quae cum illa coniuncta erat.

2. Satis est et requiritur aliqua rei in thesi propositae explicatio, quae quia certitudinem parit, vere scientifica est.

Sicut generatim rectitudo rationis, ita speciatim haec veracitas memoriae in dubio posita per demonstrationem probari non potest. Nemo enim ullam demonstrationem proponere potest, quin nitatur in memoriae certitudine.

3. Negamus memoriam per se sive natura sua in errorem ducere. Potest tamen memoria esse erroris occasio, cum intellectus propter illius imperfectionem in iudicium temerarium labitur, quod post falsum esse deprehenditur.

[1] Etiam in prudentia, quae est homini ad vivendum necessaria, memoria magnas partes habet. „Prudentia est circa contingentia operabilia . . .; in his autem non potest homo dirigi per ea, quae sunt simpliciter et ex necessitate vera, sed ex his, quae ut in pluribus accidunt. . . . Quid autem in pluribus sit verum, oportet per experimentum considerare. . . . Experimentum autem est ex pluribus memoriis. . . . Sicut prudentia . . ., ita etiam . . . memoria non solum a natura perficitur, sed etiam habet plurimum artis et industriae.“ *S. Thom.*, S. th. 2, 2, q. 49, a. 1 in corp. et ad 2.

4. Recta ratio in errorem non adducitur, quia prudenti consideratione bene distinguit, quid referatur a memoria, quid addatur fortasse a phantasia, et quia non solum ad obiectum attendit, quod memoria exhibetur, sed etiam ad modum, quo obiectum repraesentatur. Fieri enim potest, ut memoria facti alicuius quasi partes recte exhibeat, de quarum tamen coniunctione et ordine nihil testatur. Qua in re cavendum est, ne id quod memoria non refertur, cum ea re confundatur, quae refertur.

5. His dictis apertum est, cur memoria dicatur numquam adducere in errorem, qui sit positivus.

Conceditur ergo fieri posse, ut memoria adducat in errorem negativum, qui est error improprie dictus; et negativus vocari potest, quia mens humana in multis rebus prona est ad negandum, quae ignorat vel obscurius cognoscit. Et per experientiam constat memoriam multis rebus debilitari posse et in multis deficere ita, ut decurrente longiore tempore de multis rebus non testetur nisi obscure, confuse, dubie, de aliis omnino sileat, et ne excitata quidem clare recordari possit.

587. **Arg. 1** *(ex natura memoriae).* Actus memoriae constituitur et reproductione cognitionis olim habitae et eiusdem recognitione; *atqui* neque in illa reproductione neque in hac recognitione falsitas inesse potest; *ergo* memoria per se numquam rectam rationem inducit in errorem proprie dictum. — *Prob. min.* Ibi tantum falsitas locum habere potest, ubi per iudicium aliquid affirmatur vel negatur. Atqui neque in reproductione neque in recognitione memoriae per se est iudicium. Reproductione intellectus format conceptum obiecti olim cogniti. Recognitio illa, quae est memoriae, per se apprehensiva dumtaxat est, non vero iudicativa. Recognitione intellectus videt cognitionem esse olim habitam.

Arg. 2 *(ex natura memoriae ut facultatis cognoscitivae).* Nisi quis in scepticismum ruere velit, admittere debet omnes facultates cognoscitivas a natura hominibus datas per se ab errore immunes esse. *Atqui* memoria est inter facultates cognoscitivas hominibus a natura datas.

Arg. 3 *(ex memoriae ad vitam humanam necessitate).* Natura per se non deficit in necessariis. Sed ad vitae nostrae condicionem omnino est necessarium, ut habeamus memoriam, eamque per se non fallacem.

Sine memoriae certo testimonio neque vita privata neque socialis esse potest. Quam enim vitae curam, quod scientiae studium, quam artium culturam, quod humanum commercium ille habere potest, quem deficit certa cognitionum praeteritarum recognitio? Memoria virtus est,

qua animus retractat praeterita, ut ex iis metiatur futura. A *Tullio* memoria appellatur thesaurus omnium rerum [1].

Arg. 4 *(ex experientia).* Per experientiam constat nos non errare per memoriam nisi per accidens.

Cognoscere enim solemus locum nostrum natalem, domum, nomen, parentes, officia, sescenta alia; recordamur res heri visas, auditas, vim verborum, neque hodie aliud, aliud cras eadem voce significamus. Quodsi error irrepserit, memoria ipsa illius nos admonet. „Quid", inquit *S. Augustinus,* „cum ipsa memoria perdidit aliquid, sicut fit, cum obliviscimur et quaerimus, ut recordemur? Ubi tandem quaerimus, nisi in ipsa memoria? Et ibi, si aliud pro alio forte offeratur, respuimus, donec illud occurrat; et cum occurrerit, dicimus: hoc est; quod non diceremus, nisi meminissemus." [2]

588. **Notanda ad solvendas difficultates.** 1. Non raro memoriam fallere dicunt. At non fallit, quia vel semel affectionem numquam habitam ut habitam recognoscit, sed solum, quia vis reproducendi aliquid deficere solet. Ex quo fit, ut de aliquibus rebus omnino sileat memoria, alia referat ex parte tantum, nonnullis condicionibus obliteratis, alia denique revocet obscure vel confuse tantum. Qui defectus omnes negativi sunt, propter quos memoriam infidelem vocare liceat, nulla tamen ratione mendacem. Accedit, ut hos defectus is, qui aliquam attentionem animi adhibere velit, facile advertat. Itaque fallacem dices memoriam, quatenus deficit in reproducendo, non autem, quatenus in reproducendo falsa proponat.

2. Intima memoriae cum phantasia conexio efficit, ut magna in recordandis rebus attentione opus sit; nam phantasia potest suggerere imagines valde similes iis, quae de facto adfuerunt, et sic occasionem erroris dare.

3. Ut memoria nobis nunc det certitudinem, requiritur et satis est, ut vestigium quoddam cognitionum praeteritarum in nobis retentum esse ponamus, ex quo cognitiones illae resuscitari quasi et nunc ut prius a nobis habitae recognosci possint. His enim positis affectiones illae praesentes sistuntur, quantum ad cognitionem memorativam satis est.

589. ***Coroll. 1.*** Ergo errant omnes illi, qui censent nos cognoscere quidem cognitionem praesentem, non vero praeteritam ut praeteritam; hanc teneri solo instinctu, vel ut alii volunt, sola fide caeca. Nam actus memoriae est actus cognitionis proprie dictae.

Coroll. 2. Ergo error omnis, quem memoriae ascribunt, non ex memoria nascitur, sed ex imprudentia quadam iudicii.

[1] Or. 1, 5.
[2] Confess. 10, 19.

Coroll. 3. Ergo certitudo, quam ex memoria haurimus, non mediata est, sive quae demonstratione acquirenda sit, sed *immediata* vel *experimentalis*. Nam ubi primum adest recordatio clara, adest quoque perceptio immediata ipsius affectionis ut olim habitae et obiecti ut olim cogniti. Et per memoriam tam clare percipio me heri fuisse et nudius tertius, quam me hodie esse cognosco. Nec ulla ratione demonstratio proprie dicta ad probandam memoriae veracitatem adhiberi potest.

At, *inquies*, praeclaram a cartesianis et aliis demonstrationem in probanda memoriae veracitate adhibitam videmus, cuius haec sunt momenta praecipua: Cogito, ergo sum. At cum non semper fuerim, non sum a me ipso, sed a Deo, qui est ens a se, ergo realissimum et infinite perfectum atque ita etiam absolute verax; sed Deus verax permittere non potest, ut omnis homo in errore versetur invincibili, constanti, universali. *Atqui* si memoria fallax esset, error ille foret invincibilis, constans, universalis. *Ergo* memoria est verax.

Resp. Relinquatur isti argumentationi vis aliqua secundaria et relativa, qua fit, ut tamquam confirmatio adhiberi possit contra adversarios, quibus Dei essentia et exsistentia est cognita. At vim absolutam nullo modo habet. Nam in tanta rationum serie veracitas memoriae, quae probanda suscipitur, iam formaliter sumi debet. Ecquis omisso memoriae testimonio scit se, alios homines, quinimmo universum genus humanum ubique et semper memoriae inhaesisse propensione invincibili? Quodsi in probanda memoriae veracitate neque debet neque potest adhiberi demonstratio ulla, recte a nobis memoriae cognitio ad perceptionem experimentalem reducta est.

590. ***Coroll. 4.*** Recte haec documenta de usu memoriae a logicis constituta sunt: 1. Numquam quidpiam negandum est eo, quod de illo memoria tacet, nisi forte praesto sint motiva illud negandi, vel memoria positive suggerat aliquid, quod illud excludit. 2. Cum reproductio obscura vel dubia recognitio est, suspendendus assensus et res aliunde indaganda, velut ratiocinando vel alios interrogando. 3. Attendendum, ut a memoriae relationibus discernamus supplementa illa, quae paulatim iis, ut solet, inseruimus, ubi reproductio deficiebat, vel per imaginationem vel per divinationem. 4. Attendendum, ne cum condicionibus facto, quod memoria refert, associatis confundamus condiciones, quae associatae sunt memoriae facti alias habitae, ex eo quod in iis versaremur, cum facti memoria instaurata fuit. 5. Haec omnia comprehendi possunt hoc uno praecepto: Numquam memoria erit tibi erroris occasio, si affirmaveris id ipsum et solum, quod memoria recognoscit, eoque modo, quo recognoscit.

CAPUT II.

De medio seu fonte cognitionis secundo, i. e. de intellegentia et ratione; seu de ideis, ut medium seu fontem cognitionis tum immediatae tum mediatae constituunt.

591. *Praenotanda.* Experientia ordine et necessitate, non tamen dignitate et amplitudine primus est fons cognitionis nostrae. Est fons primus ordine, quia ab experientia incipit cognitio; necessitate, quia ad cognoscendas res exsistentes requiritur. Ad ambitum vero cognitionum nobis possibilem et necessarium nullatenus sufficit experientia: ipsa enim immediate facta tantum particularia cognoscimus, quatenus ea per se cognitionem nostram determinant. Fontem vero scientiae proprie dictae, quae est de universalibus vel de rebus singularibus, prout subsunt rationibus et legibus universalibus, constituunt *ideae* obiective spectatae. In obiectis enim sensibus oblatis intellectus non solum apprehendit notas sensibiles, sed in illis rationem entis considerat et ad veritates supra sensum positas progreditur. Simplici apprehensione (n. 71 sq) mens in se exprimit intentionalem rei similitudinem secundum aliquam vel aliquas notas in re perceptas; actus ipse mentis vocatur conceptus subiectivus; conceptus obiectivus (idea obiective spectata) nihil aliud est quam ideae comprehensio seu collectio illarum rei notarum, quas conceptus exprimit.

Cum sermo est de ideis ut fontibus cognitionis, non agitur de idea subiectiva, in quantum est ens seu actus mentis, ipsa enim ut talis non est medium quod, sed medium quo cognitionis, sed de conceptu obiectivo seu de re ut in mente obiective expressa. Ideae autem obiectivae prout mentis reflexioni ontologicae, analysi, comparationi subsunt, verum fontem *(medium quod)* novarum cognitionum, eumque uberrimum nobisque maxime necessarium constituunt.

Ad hoc autem, ut ideae constituant verum fontem novae certaeque cognitionis, requiritur ut 1° ideae sint vere repraesentationes rerum realium, et de hac condicione sectione prima agemus; 2° ut idearum identitas vel diversitas ex ipsarum analysi et comparatione certo constare possit, idque fit aut per iudicia analytica immediata aut ope ratiociniorum; de qua re altera sectione agendum erit.

SECTIO I.

De obiectivo valore idearum.

ARTICULUS I.

De obiectivo valore idearum in genere seu de absurditate idealismi transcendentalis.

592. **Thesis 17.** **Valor obiectivus idearum directe demonstrari non potest, neque talis demonstrationis indiget; iis tamen, qui vel aliquam certitudinem proprie dictam admittunt, (indirecte) demonstrari potest.**

Ad stat. quaest. 1. Cum de re quapiam, sive ea ens physicum est, sive metaphysicum, sive ens rationis, iudicium ferimus, ea est mentis nostrae sententia, nos ad sic vel aliter de re iudicandum non solum ex necessitate, quae *subiectiva* sit et ex *mente nostra* oriatur, esse adductos et quasi coactos; sed existimamus quoque, nos illam ipsam rem ut independentem a nostro cogitationis genere apprehendere et cognoscere, eamque obiective in se ita esse, sicut eam cognitam habeamus; et necessitatem illam, qua ad sic vel alia ratione de re cogitandum cogamur, primario inde oriri, quod res secundum se ita sit et aliter esse non possit.

Existimamus igitur, ideis nostris ordinem quendam ontologicum exhiberi, cui intellectus noster in intellegendo subiectus sit, quemque fideliter et veraciter suis ideis exprimat. Quodsi in cogitando „legibus" certis et absolute immutabilibus nos constringi experimur, quas *leges cogitandi* nominamus, tamen natura duce et invincibili persuasione has leges cogitandi potius esse *leges essendi* arbitramur. Inter quas leges praecipua illa est, quam principium contradictionis nuncupant. Atque has leges non ad solum ordinem exsistendi coartamus, sed ad totum essendi ambitum etiam rerum possibilium extendimus. Quaecumque enim res est et quacumque necessitate aut contingentia exsistit vel est, nos necessitate illa adducimur, ut negemus fieri posse, ut simul sit et non sit.

2. Qui adversantur idealistae, cum nos nihil aliud cognoscere putent nisi solas nostras ideas subiectivas, quae sint typi in intellectu exsistentes, quos intellectus in formandis suis conceptionibus adhibeat, iam etiam negant ideis nostris eam vim inesse, ut ordinem a nostra cognitione independentem sive ontologicum exprimant. Vel saltem hanc rem in dubium vocant et ignorare se omnino dicunt, utrum ideis nostris ordo realis et ontologicus repraesentetur necne.

593. 3. Contra hos defendimus, ideis ipsis construi pontem seu transitum a subiecto cognoscente ad ordinem ontologicum.

Attamen a) non dicimus omni ideae nostrae mentis necessario respondere aliquod obiectum in ordine physico seu *exsistentiae.*

b) Neque asserimus mentem in ideis, sive per ratiocinium deducendis sive ad ordinem obiectivum per iudicium referendis, numquam per accidens errare posse. Hinc si quis falso ratiocinio sibi finxisset creaturam infinitam ut possibilem, vel iudicio sibi formasset ideam hominis, qui iam mortuus est, ut adhuc viventis, per se patet has ideas obiectivo suo valore destitui. Quapropter quaestio, num certus aliquis conceptus sit obiective realis (sive physice sive saltem metaphysice), non pertinet ad statum quaestionis.

c) Neque asserimus omnes conceptus nostros repraesentare aliquid, quod tum quoad *id quod* tum quoad *modum quo* a mente repraesentatur, in ordine ontologico sit vel esse possit. Cognoscimus enim etiam negationes, privationes, relationes logicas, intentiones secundas, brevi entia rationis, quae non possunt exsistere nisi obiective in intellectu.

Asserimus igitur et defendimus eam esse nostri intellectus naturam et habitudinem ad obiectivum rerum ordinem, ut, quod cognoscamus esse vel non esse, habere vel non habere talem realitatem, etiam revera a parte rei ita sit vel non sit, nisi intellectus per accidens erret. Aliis verbis, asserimus ideas per se et ex natura sua repraesentare res secundum obiectivas earum rationes et inter se relationes. Sicuti igitur sensationes non sunt merae affectiones subiectivae facultatis sensitivae, sed repraesentativae **rerum** sensibilium, ita ideae non sunt mere subiectivae affectiones mentis, sed repraesentativae **rerum** intellegibilium.

4. Etsi hac thesi ideas nostras vim obiectivam habere ostendimus, minime tamen de ipsa conceptarum rerum natura agimus; sed agitur de ideis nostris spectatis secundum id quod repraesentant, sive de natura nostri intellectus ad obiecta sua relati.

Itaque non quaeritur, cuius ordinis vel naturae sit hic vel ille conceptus obiectivus, velut cum dico: *substantia, spatium, foramen.* Sed ea est quaestionis nostrae vis, ut videamus, sitne ea natura intellectus noster, ut, quod esse vel non esse, habere hanc vel aliam realitatem, esse ens rationis vel reale cognoscamus, revera etiam in ordine ontologico sit vel non sit, habeat hanc vel aliam realitatem, sit ens rationis vel ens reale, nisi forte intellectus erret per accidens. Quod si ita esse firmaverimus, iam ipsis nostris ideis transitum ex cogitandi ordine ad essendi ordinem esse factum ostensum erit. Nec ultra „pons" quaerendus erit, quo ex finibus subiecti cogitantis ad res ontologicas transcendamus.

5. Tertia pars thesis momentum habet contra eos, qui admittunt quidem veram certitudinem, negant autem realitatem or-

dinis metaphysici; in quo genere plurimi sunt positivistae sive empiristae, praecipue *E. Littré, H. Taine*[1].

594. Pars I. Vis obiectiva idearum directe demonstrari non potest.

Argumentum *(ex aptitudine intellectus ad veritatem obiectivam assequendam).* Demonstrari non potest intellectum nostrum ad veritatem assequendam aptum esse (n. 471 sq); *atqui* intellectum nostrum veritati assequendae parem esse, idem plane est atque ideas nostras habere vim obiectivam; *ergo* neque obiectiva idearum realitas demonstrari potest.

Prob. min. Is tantum veritatem assequi dicitur, qui ideas acquirit rerum realitati ab illius intellectu independenti conformes. Sed haec conformitas id ipsum dicit atque idearum vis obiectiva.

Id ipsum *confirmatur* (ex defectu termini medii). Quidquid loco medii ad hanc veritatem demonstrandam adhibetur, non esse idea non potest. *Atqui* nulla idea adhiberi potest; aut enim supponitur eam vi obiectiva praeditam esse, aut non supponitur: si supponitur, petitio principii committitur; si non supponitur, tota demonstratio vi obiectiva caret, et hinc vana est. *Ergo* vis obiectiva idearum demonstrari non potest.

595. Pars II. Vis obiectiva idearum nullius directae demonstrationis indiget.

Arg. 1 ex aptitudine intellectus ad veritatem obiectivam assequendam simili modo peti potest, atque in parte priore est tractum.

Arg. 2 *(ex natura cognitionis cuiuslibet).* Illa veritas a demonstratione non pendet, quae ipsa negatione vel dubitatione affirmatur. Atqui eius generis est veritas, qua ideis vis obiectiva addicitur. Qui enim idearum naturam hanc esse negat, ut sint repraesentationes obiectorum ab ipso actu non pendentium, ipse affirmat hanc ideam reflexam, quam de priore idea ut vana forma subiectiva habet, suo obiecto reali conformem esse. Qui autem dubitat, is saltem ponit, ideis „ideae", „obiecti", „subiecti dubitantis" respondere reale obiectum; quod nisi ponit, nihil retinet, de quo dubitet.

Confirmatur (ex notione entis). Illa obiecta, quae menti ideis offeruntur, offeruntur ut entia, quae, etsi quoad actualem repraesentationem a mente cogitante pendent, tamen quoad internam vim et veritatem virtutem omnem mentis transcendunt. Ideae igitur entis respondet obiectiva realitas. Ex idea autem entis formantur prima principia; ex

[1] Cf. *Brin,* De intellectualismo I, Paris. 1875, 113 sqq.

primis principiis, accedente experientia, idearum, quae deinde sive acquiruntur sive efformantur, obiectiva realitas immediate consequitur.

596. Pars III. Demonstrari potest iis, qui aliquam certitudinem veram admittunt.

Arg. 1 *(ex certitudine admissa ut medio demonstrationis termino).* Cognitio, quae praebet certitudinem, habet obiectivam vim et realem; *atqui* ideae praebent certitudinem; habent *ergo* vim obiectivam et realem.

Haec propositio *minor* cum per se constet, hac consideratione confirmari potest: Qui dubitare vult, an ideae praebeant certitudinem, is quoque dubitare debet de primis principiis, quae, utpote analytica, ex quarundam idearum consideratione nascuntur. Et dubitare etiam debet de factis internis, quippe quae repraesentationibus intellectui reflectenti exhibeantur; quae ideis quoad vim et naturam saltem aequiparandae sunt. Et abstinere praeterea debet ab omni iudicandi genere, cum omni iudicio affirmetur subiectum ita se habere, ut idea praedicati exprimatur. Qui autem de principiis primis et factis internis dubitat atque abstinet ab omni iudicio, is nullam certitudinem admittere potest. Qui ergo vel aliquam certitudinem admittit, is quoque ideis praeberi certitudinem admittere debet.

Arg. 2 *(ex absurdis consequentiis).* Si ideae nostrae vim obiectivam non haberent, omnis necessitas in iudiciis esset prorsus irrationalis et caeca; et aeque necessitari possem, ut dicerem *bis bina esse quinque,* vel *circulum esse quadratum,* atque nunc necessitor, ut dicam *bis bina esse quattuor,* vel *circulum rotundum esse. Atqui* huiusmodi consequentias nemo admittit, qui vel aliquam esse certitudinem arbitratur.

597. ***Obi. 1.*** Ut de valore obiectivo idearum aliquid statuatur, prius natura idearum accurate cognosci debet, utrum sint cerebri affectiones an actus spirituales; *ergo* quaestio ad psychologiam transmittenda est.

Resp. Non opus est, ut ante statuatur idearum nostrarum natura spiritualis, quam de obiectiva earum realitate dicatur. Sed ex effectibus sive ex factis clare observatis proficiscendum est, ut inde ad notitiam causae sive naturae idearum nostrarum perveniatur. Est autem omnium hominum experientia maximopere perspicua, nos habere ideas, quae repraesentent id, quod a *colore, sono, duro, calido,* ab *extensione* et *motu,* ab individualitate omnino separatum est, quodque in se est necessarium et immutabile, et itidem eodem prorsus modo mihi repraesentetur et repraesentari necessario debeat. Ex hoc autem facto clare observato sanus quisque per legitima ratiocinia inferet, ideas humanas esse spirituale quid; atque ea ratiocinia continere strictam et certam demonstrationem, in metaphysica speciali (psychologia) ostendetur.

Obi. 2. Id saltem compertum est, ideas nostras esse subiectivum quid in nobis inclusum et internum. *Atqui* nullo modo fieri potest, ut res immanens ducat in cognitionem rei, quae sit extranea et ambitum subiecti transcendens.

Resp. Etsi ideae nostrae spectatae *entitative* sunt subiectivae, tamen *repraesentative* acceptae ambitum actus cognoscitivi transcendunt. Itaque dici non potest ideas nostras esse aliquid mere subiectivum; sed aliquid subiectivum sunt cum respectu essentiali ad aliquod obiectum externum.

Obi. 3. Non cognoscimus res in se, sed solum per ideas et in ideis; nullo modo igitur cognoscere valemus, sintne ideae revera conformes rebus, ut in se sunt.

Resp. Ponunt adversarii, intellectum nostrum, cum aliquem percipiendi actum exerceat, non ipsas res obiectas, sed earum tantum ideas percipere. At id falsum est. Idea enim non id est, quod mens percipiens primario intellegit, sed est id, quod in se exprimit tamquam rei intellegendae similitudinem, qua interveniente rem ipsam percipere possit directe et immediate. Et quoniam res ipsa cognoscitur, ut est in se, non sunt duae res, quae inter se ad detegendam conformitatem sive similitudinem comparari debeant. Sed comparatio et cognitio illius conceptuum cum suis obiectis conformitatis in ipso exercitio actus directi, quantum satis sit, reperitur. Qua in re illud quoque notandum est, semper aliquo modo cognitionem rei priorem esse comparatione cognitioneque illius conformitatis. Semper enim aliquo modo prius cognosci debet mensura quam mensurati ad mensuram conformitas.

Inst. Obiectiva idearum realitas non cognoscitur nisi ideis ipsis, atque ita petitio fit principii.

Resp. *Dist. assert.:* Cognoscitur ideis ut *medio quo* sive medio non prius cognito, *conc. assert.;* cognoscitur ideis ut medio obiectivo sive medio cognito, i. e. medio, quod prius cognosci debeat atque ita loco termini medii poni possit, *nego assert.*

Inst. Ante tamen, quam ideam meam vim obiectivam habere cognoscam, debet iam esse idea, cui vim obiectivam inesse supponere debeo. *Ergo* ante cognitionem vis obiectiva idearum praesupponitur; quod autem ante omnem cognitionem supponitur, caeco modo et hinc irrationabiliter praesupponitur.

Resp. Praesupponitur sane illa vis ante cognitionem in ordine ontologico sive materialiter, non tamen in ordine cognitionis ut a cognoscente formaliter admissa.

Obi. 4. Sensus falli possunt per accidens; ergo etiam intellegentia falli potest. Et reapse fefellit se ille, qui *hominem* definivit esse animal bipes implume vel animam utentem corpore.

Resp. *Nego paritat.;* nam ad sensationis rectitudinem intercedere debet organum, quod rite sit dispositum: intellegentia autem omnino immediata est. Etenim „obiectum proprium intellectus est quidditas rei; unde

circa quidditatem rei per se loquendo intellectus non fallitur, sed circa ea quae circumstant rei essentiam vel quidditatem, intellectus potest falli, dum unum ordinat ad aliud vel componendo vel dividendo vel etiam ratiocinando. Et propter hoc etiam circa illas propositiones errare non potest, quae statim cognoscuntur cognita terminorum quidditate, sicut accidit circa prima principia, ex quibus etiam accidit infallibilitas veritatis secundum certitudinem scientiae circa conclusiones. Per accidens tamen contingit intellectum decipi circa ‚quod quid est' in *rebus compositis,* non ex parte organi, quia intellectus non est virtus utens organo, sed ex parte compositionis intervenientis circa definitionem, dum vel definitio unius rei est falsa de alia, sicut definitio *circuli* de triangulo, vel dum aliqua definitio est in se falsa implicans compositionem impossibilium. . . . Unde in rebus simplicibus, in quarum definitionibus compositio intervenire non potest, non possumus decipi" [1].

Sed dubitabis: Illos saltem conceptus, quibus exhibentur nobis per se illae substantiae, quas sensus percipit per accidens, non constat esse obiective reales. Quidquid enim intervenientibus sensibus in notitiam nostram pervenit, phaenomenale est.

Resp.: Suo loco ostendimus sensu a nobis percipi revera (etiamsi per accidens tantum) substantias.

598. ***Coroll. 1.*** Ergo dubium de obiectiva idearum realitate non solum physice repugnat, sed etiam metaphysice.

Coroll. 2. Ergo in ideis et iudiciis, quae ideis innituntur, non necessitatem qualemcumque experimur, sed necessitatem, quae ex intellegentia veritatis oritur.

Coroll. 3. Ergo *empirismus* sive illa doctrina, quae praeter experientiam nullum plane fontem cognitionum nostrarum admittit, reiciendus est.

Haec igitur empiristarum sententia omnia ex experientia repetit et in experientia ita sistit, ut nihil admittatur, nisi quod per experientiam sensilem acceperimus. Cum autem constet sensibus nihil percipi, nisi quod singulare sit et contingens et mutabile, omnem veritatem atque scientiam positis empirismi placitis apertum est pessumdari; scientia quippe sine rebus necessariis, universalibus, immutabilibus esse non potest.

Et magis etiam empirismi falsitas perspicitur, si consideremus in hoc systemate ideas omnes, quarum obiectum per se sensu non percipiamus, vi sua omnino destitutas esse. At quis non videt ideas illas, velut *iuris* et *officii, virtutis* et *peccati, veritatis, bonitatis, ordinis, pulchritudinis,* esse fundamentorum instar, quibus universus ordo socialis, ethicus, religiosus innitatur?

Et facultatem cognoscitivam appetitiva sequitur. Si igitur cognitio humana ambitu sensualitatis continetur, iam vana erit nobilis illa appe-

[1] *S. Thom.,* S. th. 1, q. 85, a. 6.

titio, qua optimus quisque in bono honesto morali rem summi momenti collocandam esse censet.

Coroll. 4. Turpiter errant, qui dicunt „cogitari“ et „esse“ idem esse. In quorum numero sunt eleatici et plurimi ex posterioris aetatis pantheistis.

Etsi enim ipsum „esse“ cogitare non possimus, quin cogitemus esse, quod reapse cogitetur (ita ut esse, quod actu non cogitetur, actu cogitare non possimus), tamen istud „cogitari“ est denominatio externa a nostro cogitandi actu proveniens, neque ulla ratione constituit id, *quod* cogitatur. Itaque ipsum rerum esse supponit quidem, ut sit cogitatum ab intellectu divino, atque etiam ordinem habet ad gignendam cogitationem in intellectu humano; ipsum tamen non formaliter eo constituitur, quod a nobis cogitetur.

599. **Thesis 18.** **Systema Kantii, quod criticismum sive idealismum transcendentalem vocant, tum quoad consilium, quo crisis rationis instituitur, tum quoad fundamenta, quibus systema superstruitur, tum quoad terminum, ad quem pervenit, ut omnino absurdum reiciendum est.**

Ad stat. quaest. I. Criticismus, qui vocatur idealismus transcendentalis. Refutatis per partes omnes scepticis, nunc de illis criticis videndum est, qui certitudinem negatam vel in dubium vocatam iterum efficere et creare quasi volunt instituta crisi rationis vel cognitionis. Quorum princeps hac nostra aetate *Immanuel Kant* celebrari solet.

Kant ut scepticismo sese efficaciter obiceret[1], reliquos omnes philosophos, qui ad illa usque tempora scepticismo adversabantur, *dogmatismi* accusavit, eo quod facultates animae ut idoneas quidem ad verum cognoscendum sumerent, neque tamen inquirerent, utrum iis fidendum esset necne. Ipse igitur fundamenta omnis philosophiae sive potius ipsam integram philosophiam in *crisi* posuit, i. e. in examinatione facultatum animae vel omnium elementorum cognoscenti insitorum, quae experientiam omnem anteverterent. Hunc ad finem omnium cognitionum nostrarum vim et veracitatem revera in dubium vocandum esse praecipit, nos vere dubitare iubens de omnibus cognitionibus, de veritatibus primitivis, de principio contradictionis, de exsistentia propria, ut deinde per solam *crisim* omnium elementorum, quae cognitiones nostras actuales antecedant, ex universali dubitatione ad cognitionem veram et certam perveniamus. Deficiente hac analysi et inquisitione critica tantam omnium systematum litem et discordiam ortam esse, atque priore tempore omnia philosophorum tentamina fuisse inania[2]. Quapropter systema Kantii

[1] Prolegomena zu jeder künftigen Metaphysik, Einleitung: Werke IV 255 sq (semper intellegitur editio *Academiae Berolinensis*).

[2] Cf. *Kant,* Praef. in ed. 2 crit. rat. purae: III 21.

criticismus vocatus est. Et a multis ex illo tempore philosophia divisa est in dogmaticam, scepticam, criticam.

Et detexisse quidem sibi visus est Kant, primitivum cognitionis actum esse quoddam iudicii genus, quod constitueretur formis subiectivis, quae homini a natura ante omnem experientiam inessent.

Qua in re nonnihil imitatus est *Platonem*, qui animam omnium rerum ideis instructam in corpus illabi posuit, quae ideae propter corporis commercium obliteratae, occasione sensationum iterum menti apparerent. Ad similem idearum innatarum theoriam posteriore tempore concesserat *Cartesius*. Kantio praeierat quoque *Leibniz*, qui animam cum schemate totius universi a Deo creari voluit, quas tamen ideas virtualiter tantum innatas esse dixit. Eiusmodi igitur elementa ideis innatis similia etiam Kant dixit esse; quapropter eius systema ut genus quoddam „idealismi" haberi solet.

In hoc genere *formas duas* posuit *sensibilitatis, spatium* et *tempus*, et *duodecim intellectuales*, quas nominavit *categorias*, quae essent duodecim formae iudicii (cf. n. 601), ita ut elementa innata, posita a Kant, iudicia potius quam ideas dixeris. Has formas menti *a priori* inesse voluit; qua voce significavit eas prius iam esse, quam ulla esset experientia. Apriorismi autem a Kant statuti id est proprium, quod elementa illa aprioristica experientiam (sive id quod est in cognitione nostra *a posteriori*) non solum antecedant, sed etiam efficiant, ita ut fons unicus cognitionum omnium sit in solo subiecto percipiente. Dum igitur idealistae, qui ante Kant floruerunt, nos ideis innatis adduci dixerunt, ut *cognosceremus* mundum sive realem sive ex rerum partibus apparentem, Kant docet mentem nostram (post accepta forinsecus elementa nescio quae tamquam rudem materiam vel potius condicionem excitantem) aedificare quasi et *construere* mundum, qui menti contemplanti obiceretur[1]; et mundum quidem sensilem construi intervenientibus formis sensibilitatis et categoriis, mundum intellegibilem, constantem illusionibus, intervenientibus formis rationis, quae essent „Deus", „mundus", „anima".

Idealismo kantiano a suo auctore nomen impositum est *transcendentalis*. Veteri huic voci Kant novam omnino notionem subiecit. Cum enim apud peripateticos ens transcendens oppositum esset enti categorico sive praedicamentali, Kant transcendentia opposuit immanentibus sive iis, quae in actu cognitionis ipso inessent, et ea dixit esse transcendentia, quae, utpote extra actum cognitionis, nullo modo cognitioni nostrae ut cognita obici possent. Habitudinem autem mentis ad mundum

[1] Kritik der reinen Vernunft, Vorrede zur zweiten Auflage, III 9.

transcendentem vocavit *transcendentalem*. Transcendentalia igitur ex Kantii sententia ea sunt, quae ante et extra cognitionem omnem actualem menti nostrae insunt ut omnis cognitionis condicio[1].

600. II. Elementa systematis. Triplicem distinguit Kant facultatem cognoscitivam: *vim sentiendi* sive vim aspectabilitatis (Anschauungsvermögen), *intellectum* (Verstand), *rationem* (Vernunft).

1. *Activitas sensibilitatis* est in exhibendis repraesentationibus, quae si ad subiectum referuntur, vocantur aspectus sive intuitiones vel visiones empiricae; si considerantur obiective, nominantur apparentiae sive *phaenomena*. — 2. *Activitas intellectus* est in iudicio, quo multiplicitas intuitionum empiricarum in unitatem quandam conceptuum redigitur; quod fit per „schematismum rationis purae", de quo mox plura. — 3. *Activitas rationis* est ratiocinium, quo ipsi conceptus ad altiorem et scientificam unitatem reducuntur.

His autem tribus cognoscendi processibus duplex elementum praesto est: unum *materiale*, quo facultas excitatur vel provocatur forinsecus ad opus suum moliendum, et est condicio, sine qua actus cognitionis fieri non potest[2]; alterum *formale*, quod facultati praebet obiectum totum, et est causa determinans, cur cognitio obiective haec sit aut alia. Quod elementum formale totum ex ipsa mente originem habet.

Primo *sensibilitatem* quod attinet, elementum „materiale" (i. e. occasio excitans) est impressio, quae causas habet extra mentem nescio quas. Elementum formale est successio et extensio geometrica, quae sunt quasi elementa fundamentalia in omni apparitione sensili. Atque haec elementa apparitionibus sive phaenomenis adveniunt ex mente sentientis sive aspicientis iisque affunduntur quasi ex duabus formis subiectivis: *tempore* et *spatio*[3].

[1] Critica rationis purae a Kant conscripta duabus partibus absolvitur, quarum prior doctrinam de elementis continet, altera de methodo. Elementa partim ad experientiam et sensilem aspectabilitatem spectant, de quibus dicitur in aesthetica, partim ad intellectum et rationem, de quibus in logica transcendentali dicitur. Itaque hic illius libri est ordo:

Einleitung.

I. Transzendentale *Elementarlehre*.

1. Transzendentale *Ästhetik* (Raum — Zeit).

2. Transzendentale *Logik*.

a) Transzendentale Analytik (Kategorien — Verstand).

b) Transzendentale Dialektik (Ideen — Vernunft).

II. Transzendentale *Methodenlehre* (formale Bedingungen eines vollständigen Systems der reinen Vernunft). Cf. Kritik der reinen Vernunft: IV 15.

[2] „Gelegenheitsursachen", welche „den ersten Anlaß geben, die ganze Erkenntniskraft in Ansehung ihrer zu eröffnen und Erfahrung zu stande zu bringen" (Kritik der reinen Vernunft: III 100).

[3] Cf. Kritik der reinen Vernunft: IV 31 sq.

Itaque spatium purum et tempus purum sunt formae ipsius sensibilitatis, quae ante omnem experientiam sunt praesto[1], spatium quidem sensibilitatis externae, tempus vero per se primo sensibilitatis internae atque hac interveniente etiam sensibilitatis externae.

De his duabus formis sensibilitatis aprioristicis Kant disputat in aesthetica transcendentali. Et *spatium* quidem dicitur esse a priori, a) quod ante omnem experientiam iam praesto sit; b) quod possimus quidem nobis repraesentare spatium sine rebus, non autem res sine spatio; c) quod sit una intuitio pura repraesentans unum spatium, cuius partes sint spatia omnia; d) quod sit infinitum quid; e) quod axiomata geometrica indolem necessariam et universalem ex spatio trahant. Dicitur igitur spatium nihil aliud esse quam qualitas quaedam mentis, qua fit, ut obiecta nobis per sensus *exteriores* repraesentata exhibeantur nobis sub rationibus extensionis geometricae.

Similis est ratio, qua Kant *tempus* probat esse formam a priori, qua efficiatur, ut eventus per sensum *internum* repraesentati exhibeantur nobis sub rationibus successionis[2].

601. Secundo quoad *intellectum*, cuius activitas eo contineri dicitur, ut in iudiciis multiplicitatem intuitionum ad unitatem quandam conceptus revocet, elementum *materiale* in intuitionibus empiricis a sensibilitate allatis cernitur: elementum autem *formale* in necessariis illis condicionibus reperitur, quae sunt quodammodo elementa fundamentalia omnium iudiciorum. Omne autem iudicium obiective constituitur certa *quantitate, qualitate, relatione, modalitate*. Sunt ergo *quattuor*. Ex his formis subiectivis prima *quantitas* sub se continet *unitatem, pluralitatem, totalitatem*, prout iudicium aut singulare est, aut partiale, aut universale. Altera,

[1] Has duas spatii et temporis formas Kant non formaliter, sed radicaliter innatas esse voluit, ita ut in subiecto insit lex et causa formalis, secundum quam aspectatio spatii et temporis evolvatur et extensio rebus et successio eventibus aspergatur (Kritik der reinen Vernunft: IV 56).

[2] Concludit his verbis: „Wir haben also sagen wollen, daß alle unsere Anschauung nichts als die Vorstellung von Erscheinung sei: daß die Dinge, die wir anschauen, nicht das an sich selbst sind, wofür wir sie anschauen, noch ihre Verhältnisse so an sich selbst beschaffen sind, als sie uns erscheinen, und daß, wenn wir unser Subjekt oder auch nur die subjektive Beschaffenheit der Sinne überhaupt aufheben, alle die Beschaffenheit, alle Verhältnisse der Objekte in Raum und Zeit verschwinden würden und als Erscheinungen nicht an sich selbst, sondern nur in uns existieren können. Was es für eine Bewandtnis mit den Gegenständen an sich und abgesondert von allen dieser Rezeptivität unserer Sinnlichkeit haben möge, bleibt uns gänzlich unbekannt. Wir kennen nichts als unsere Art, sie wahrzunehmen, die uns eigentümlich ist, die auch nicht notwendig jedem Wesen, obzwar jedem Menschen, zukommen muß“ (Allgemeine Anm. zur transz. Ästh.: IV 42).

quae est *qualitas,* comprehendit *realitatem, negationem, limitationem,* prout iudicium est aut affirmans, aut negans, aut infinitum. Tertia, quae est *relatio,* tres res binarias complectitur: substantiam et accidens, causam et effectum, actionem mutuam, prout iudicium aut est categoricum, aut condicionale, aut disiunctivum. Quarta denique, quae est *modalitas,* includit possibilitatem et impossibilitatem, exsistentiam et non-exsistentiam, necessitatem et contingentiam, prout iudicium aut est problematicum, aut assertorium, aut necessarium.

Universe igitur duodecim a Kant statutae sunt iudicandi rationes sive formalitates, quae quidem nullo modo exhibent obiectivas rerum realitates, praebent tamen iudiciis, quae a mente formantur et menti obiciuntur, certam indolem. Hae, a Kant *categoriae* vocatae, nihil sunt nisi leges intellegentiae et formae subiectivae, quibus nos ipsi iudiciis certam formam damus et vim omnem obiectivam.

De his formis intellegentiae et iudiciorum formatione Kant disputat in logicae transcendentalis sectione priore. Categoriae definiuntur, ut sint conceptus de obiecto aliquo, quibus huius obiecti intuitus determinatur secundum logicas functiones iudicii. Ex his categoriis experientia trahit formas, ut cogitatione exprimi possit. Ex forma, quae est a priori, post materiam (i. e. excitationem) per experientiam exhibitam per synthesim oritur *conceptus.* Triplex synthesis distingui potest: prima synthesis apprehensionis, quae est apprehensio repraesentationum in intuitione; altera synthesis reproductiva, quae est imaginationis et est repraesentationum reproductio in phantasia; tertia est synthesis recognitionis, qua repraesentationes recognoscuntur in conceptibus.

Centrum autem omnis quae est in hoc genere synthesis esse dicitur *apperceptio* pura illa et originaria: „Ego cogito", quae una omnem visionem empiricam concomitatur et ad quam omnes intuitiones empiricae confluunt. Ex hac una omnis intuitionum multiplicitas iam illa unitatis initia accipit, quae vocatur transcendentalis unitas conscientiae, in qua sint fundamenta perfectionis illius unitatis syntheticae, quae interventibus categoriis inducitur.

Efficitur synthesis eo ordine, ut categoriae componantur cum „materia" interveniente illa forma sensibilitatis, quae est temporis; quae forma ideo huic interventui inservire potest, quia conformis est partim categoriis, partim materiae, quae per sensibilitatis fenestram praesto est. Qua temporis ad categorias adhibitione efficitur, quod „schema transcendentale" dicitur, cuius usus a Kant vocatus est „schematismus transcendentalis rationis purae" [1]. Hoc vero *schema* nihil est nisi typus quidam universalis a phantasia productus, quo interveniente activitas

[1] Ad *quantitatem* dicitur spectare schema successionis numeralis, quae in tempore reperitur; ad *qualitatem* schema eius, quod ipse tempore exhibetur: ad *relationem* schema temporalis ordinis; ad *modalitatem* schema modorum, secundum quos tempus refertur ad res varias.

rationis purae iam circa apparitiones sensuales versari possit. Ab hoc schemate differunt, quae vocantur *imagines*, quae sunt intuitiones omnino determinatae.

602. Tertio tandem in *ratiocinio* elementum „materiale" sunt conceptus vel iudicia ab intellectu rationi oblata. Rationis[1] enim est conceptus, quos intellectus iudicando formavit, nobiliore et scientifica unione inter se coniungere. Cuius negotii elementum formale in certis quibusdam normis sive condicionibus reperitur, quae a tribus, ut sic dixerim, vanis idealibus fluunt menti innatis, secundum quas igitur ratio in ratiocinando necessario procedere debet. Quae tres ideae supremae sunt: idea ipsius „ego" *psychologica*, idea mundi *cosmologica*, idea Dei *theologica*.

Cum enim triplex sit ratiocinandi modus: *categoricus*, *hypotheticus*, *disiunctivus*, unumquodque ex his tribus ratiocinandi generibus postremo ad ideale quoddam mentem putatur adducere, quod sit ultimus mentis terminus, quo obtento quiescat. Nam ratiocinium, si est categoricum, ad ideam alicuius subiecti absoluti ducit, quod iam esse non potest praedicatum alterius subiecti; quae est idea *ipsius ego*. Ratiocinium, si est hypotheticum, ad ideam ducit absolutae cuiusdam dependentiae omnium singularium a totalitate quadam, quae est idea *mundi*. Si ratiocinium est disiunctivum, ducit ad ideam causae cuiusdam absolutae realitatum omnium, quae est idea *Dei*. Atque hae ideae ex necessitate et lege rationis subiectiva nascuntur; et quia elementis pure subiectivis constituuntur, nihil exhibent, quod in rerum realitate extra mentem reperiatur. Itaque inter conceptus intellectus et has „ideas" rationis id est discriminis, ut illi ad experientiam cum „veritate" applicari possint, hae autem applicatae ad experientiam producant vana mentis ludibria. Quae quidem tres ideae, licet ex se sint finis tantum et terminus omnis ratiocinationis, cum tamen finis et terminus omni motui formam det vel directionem, „a priori" menti innatae sunt ad dirigenda omnia ratiocinia iam ab initio.

De his rebus ad usum rationis spectantibus Kant disputat in logicae transcendentalis sectione altera, cui titulus: dialectica transcendentalis. Quae dialectica dicitur continere crisim vanae illius dialecticalis apparentiae, quae nascatur ex adhibitis formis intellectualibus ultra limites experientiae; qua videlicet ostendatur agi hoc loco de illusionibus, quae, cum naturales sint et necessariae, a nobis nullo modo mutari possint; et esse sophisticationes non hominum, sed ipsius rationis purae, quae homines inevitabiliter (unhintertreiblich) ad falsas illas conceptiones adducat. Ad ideam animae nos adduci per paralogismum psychologicum;

[1] Nomen „rationis" a Kant vi *duplici* adhibitum est: vi latiore, qua significat complexum facultatum cognoscitivarum vel intellectualium: vi pressiore, ut eam facultatem significet, quae tribus „ideis" usum intellectus ordinet, compleat, perficiat.

ad ideam mundi per antinomias cosmologicas; ad ideam Dei per illa sophismata, quae nomine „argumentorum pro exsistentia Dei“ circumferantur.

603. A ratione theoretica Kant *rationem practicam* omnino diversam esse vult. Cum ex communi hominum sententia duo sint munera unius eiusdemque rationis: ut vertatur et in iis quae in se sint vera, et in iis quae homini in ordine morum agenda sint, Kant haec munera defert ad rationes duas omnino inter se separatas.

Ratio theoretica ea est, quae versatur in cognitionibus speculativis ab experientia non provenientibus, quae igitur pro obiecto habet universale et necessarium, cuiusmodi est principium causalitatis *(omni eventui causam esse)* et principium substantiae *(accidens quodvis inesse in substantia)*. Ratio vero practica ea est, quae versatur in principiis practicis, quae ab experientia non proveniunt et voluntatem regunt; inter quae Kant haec duo numerat ut prima: *Fac, quod tibi praescribit officium,* alterum: *Age secundum regulam, quae possit esse lex generalis pro omnibus causis liberis.*

Negat Kant ratione theoretica sive speculativa nos doceri quidquam posse de ipsis rebus a nostra mente non pendentibus. Unde certitudinem ex hac ratione haustam subiectivam esse dicit, et eatenus tantum obiectivam, quatenus obiecta respiciat menti interna et a mente producta. Affirmat autem ex ratione practica oriri de externis quibusdam rebus certitudinem, quae tamen nullius sit valoris theoretici seu speculativi.

Haec enim ratio „imperativi“ instar obligationem moralem ad implenda officia a se egredientem manifestat. Quae porro obligatio, si Kantio credimus, postulat primo, ut simus liberi; deinde, ut ille qui libere officio satisfaciat, mercede sit dignus; tertio, ut altera post mortem vita futura sit. Ut autem in vita altera virtuti praemium et vitio poena praesto sit, ulterius a ratione practica postulatur, ut exsistat Deus. Cuius exsistentia etiam in religione firmiter tenenda est, ut in legis moralis observatione atque in reverentia erga humanam rationem muniamur.

604. Generatim distinguit Kant φαινόμενα (sensibilia) et νοούμενα (intellegibilia). Phaenomena ea sunt, quae sensui nostro ut entia obiectiva apparere solent, sive quae apparent in sensibili repraesentatione. Noumena ea omnia sunt, quae quidem necessitate subiectiva cogitamus, neque tamen eo, quod cogitamus, obiectiva realitate induimus.

Natura igitur rerum physica in phaenomenis est; omne autem id, quod ut „ens in se“ phaenomenis subest, ad noumena pertinet. Insunt enim in nobis formae quaedam, quibus per necessitatem pure subiectivam

adigimur, ut variis phaenomenis internis et externis altiorem causam supponamus. Hae tamen causae nobis prorsus ignotae manent. Nam formae illae non implentur idealibus ullarum rerum essentiis, neque ullo modo id quod exhibent ex ordine rerum realium abstrahunt, sed id omne ex mente cogitante accipiunt. Atque haec sunt νοούμενα. A noumenis omnis obiectiva realitas abest tum extra tum intra mentem. Conceptus νοούμενον latius patet quam „ens in se". Omne enim „ens in se" dicitur esse νοούμενον, sed non omne νοούμενον est „ens in se" [1].

Qua in re aperta contradictio cernitur. Ex una enim parte Kant „ens in se" extra mentem revera esse docet, ex altera autem parte negat illud habere realitatem vel exsistentiam vel aliam ex categoriis; illudque noumenis adnumerat.

605. III. Systematis rationes et fundamenta. 1. Videtur Kantio ad pariendam veram certitudinem omnino esse necessarium, ut prius instituatur crisis rationis humanae et facultas ipsa cognoscendi subiciatur inquisitioni. Ut autem haec purae rationis crisis institui possit, cognitiones nostras ab omni obiectiva realitate, quae ex experientia hausta esse possit, dicit evacuandas esse. Et novum introducitur activitatis genus, quod a mente exerceatur praeter perceptionem sensuum et cogitationem intellectus, quod vocat „intuitionem puram", quae sit activitas pure subiectiva carens omni obiecto [2].

2. Apertis verbis ponit Kant, nullam cognitionem, quae necessaria sit et universalis, in experientia sive in rebus per experientiam tactis ulla fundamenta habere posse. Unde ponit cognitiones, quae, etsi per experientiam quodammodo excitari debeant, tamen antecedenter ad experientiam neque ab experientia pendentes, a sola nostra mente nascantur. Has cognitiones *a priori* vocat (quae vocis notio ab aristotelica differt). Ex quo consequens est, ut doceat omnes illas formalitates obiectivas, quibuscum aliqua necessitas et universalitas coniuncta sit, ut sunt extensio, successio, deinde realitas, substantialitas, causalitas, alia, quae in kantianis categoriis notantur, ex solo subiecto cognoscente originem ducere [3]. Quam ob rem ponendae sunt in mente formae illae ex se obiecto carentes et vacuae et purae, ex quibus omnes cognitionis formalitates, ut extensionis, realitatis, quae menti cognoscenti obiciantur, integrae hauriuntur.

Quarum duas *sensibilitatem* spectare vidimus, quae potissimum ad mathematicas res pertinent; alias deinde, categorias, spectare *intellectum*;

[1] Kritik der reinen Vernunft: IV 164 sq 183 sq.
[2] Ibid. IV 30. [3] Ibid. III 28 sq 515 sq.

his ad formam sensualitatis additis naturam rerum constitui, has igitur acquirendae scientiae naturali inservire posse; tres tandem ideales alucinationes ad *rationem* spectare; atque has ad constituendam illam, quae usque ad ea tempora habita esset metaphysica (metaphysica temporis futuri ex Kantii sententia in sola „theoria cognitionis" consistet), esse necessarias. Atque ita formalitas omnis, quam videmur nobis videre in rebus obiectis, ut sunt extensio, substantialitas, ab expertis rebus omnino aliena est atque his rebus ex nobis aspersa, ita ut eas in se ipsis nulla ratione cognoscamus. Neque igitur ulla res nobis per cognitionem praesens sistitur, ut est in se ipsa, sed ut est condicio requisita ad apparentiam ex subiecto cognoscente oriundam.

606. 3. Arbitratus est universam hanc subiectivismi theoriam solidissima fundamenta habere in *iudiciis syntheticis a priori*, i. e. in eiusmodi iudiciis, in quibus necessaria praedicati cum subiecto conexio neque immediate ex perspecta utriusque convenientia cognosceretur, neque mediate per ratiocinia neque per ullam experientiam, sed ex caeca vi, quae rationi innata esset et antecedenter ad omnem experientiam secundum legem pure subiectivam haec iudicia formaret.

Iudicia „a priori" et „a posteriori" Kant hoc modo intellegit, ut iudicia „a priori" illa sint, quae ex sola ratione oriri debeant, cum utpote universalia, necessaria nullo modo ab experientia pendere possint; iudicia „a posteriori" sint illa, quae cum sint particularia et contingentia, ex experientia oriantur. Iudicia analytica sive explicativa omnia sunt „a priori"; sed cum ipsis nihil novi cognoscatur, ea ad comparandam scientiam nullam vim habent. Iudicia synthetica sive extensiva (in quibus notio praedicati sit extra notionem subiecti) per se quidem scientiam humanam augent; neque tamen quidquam valent, si sunt particularia et contingentia. Si autem sunt necessaria et universalia, summam vim et utilitatem habent atque ea attentione digna sunt ut praeterea nulla. Atque haec iam ante omnem experientiam sive „a priori" esse dicuntur.

Quorum iudiciorum a Kant haec indicantur exempla. Iudicium 7 + 5 = 12 dicit non esse analyticum, quia ista 7 + 5 nihil exprimant nisi duos numeros inter se additos, neque tamen ideam 12 involvant; neque esse „a posteriori" (i. e. ex experientia), quia sit iudicium universale et necessarium. — Deinde iudicium, quod „principium causalitatis" vocatur et his verbis exprimi solet: „Id quod fit, debet habere causam", est a priori, utpote necessarium et universale; est tamen syntheticum, nam notio causae est extra notionem effectus; neque igitur causa ullo modo in ratione effectus continetur. — Tertio iudicium illud: In mutationibus corporeis quantitas materiae usque manet immutabilis, dicitur esse syntheticum, quia notio praedicati non continetur in notione subiecti; et tamen a priori, quia est universale et necessarium. — Praeterea indicantur iudicia: Cum communicatur motus, actio et reactio sunt aequales;

mundus initium habere debet; linea recta est omnium brevissima, quae inter duo puncta duci possit.

4. Id igitur, quod in cognitionibus nostris obiective formaliter continetur et nobis ut cognitum exhibetur atque obicitur, secundum Kant non sunt res a mente nostra non pendentes, neque sunt ullae essentiae ab illis rebus abstractae, sed sunt effectus activitate mentis nostrae producti; quae nativa et primitiva mentis activitas in *iudicando* consistit vel in quadam synthesi. Unde omnino necesse est, ut putemus omnem nostram cognitionem quadam obiecti cognoscendi *constructione* contineri.

Haec „constructio" solis regitur legibus menti nostrae insculptis. Omnia igitur, quae nobis cognitione obiective exhibentur, a constitutione mentis nostrae pendent; si haec fuisset alia, etiam alia et diversa exhiberentur obiecta, et opposita fortasse iis, quae nunc nobis exhibentur. Quidquid ex fabrica mentis nostrae sub specie extensionis et successionis egreditur, est phaenomenon.

5. Arbitratus tandem est, quidquid imagine sensili non obiciatur menti ut phaenomenon, inter vana *noumena* relegandum esse. Qua de re ante (n. 604) dictum est satis.

607. IV. **Systematis kantiani conclusio.** Ex his quae a Kant sunt posita, consequens est, ut cognoscere non possimus nisi obiecta sensibilia[1]. — Haec autem nullo modo cognoscimus, ut sunt in se, sed solum intuemur phaenomena iis excitata, quae nos formis nostris sive secundum leges nobis insitas construimus. — Cum iudicia synthetica a priori nullam in hoc systemate vim obiective realem nancisci possint, consequens est, ut omnis scientia in illis obiectis versetur, quae nos activitate nostra construximus. Quodsi conceptibus nostris obiectivam realitatem attribuimus, deceptione continemur et illusione naturali. — Id quod potissimum de tribus illis ideis supremis putandum est, quae nituntur naturalibus quidem et necessariis ratiociniis, falsis tamen atque sophisticis. Unde criticae id propositum esse debet, ut haec rationis sophismata detegantur, non quidem ad hunc finem, ut abiciantur — id enim fieri non potest —, sed ut videamus nos teneri deceptionibus.

Tres in thesi partes distinguimus: consilium, fundamenta, terminum. Non est nobis id propositum, ut omnia quae in syste-

[1] Unde non imprudenter systema kantianum a nonnullis „naturalismus empiricus" vocatum est. Nam — quae est huius systematis doctrina — nulla est rationis theoreticae cognitio vere idealis, sed tantum empirica: „Alles Denken aber muß sich ... zuletzt auf Anschauungen, mithin bei uns auf Sinnlichkeit beziehen, weil uns auf andere Weise kein Gegenstand gegeben werden kann" (Kritik der reinen Vernunft: III 49).

mate kantiano falsa occurrunt, hoc loco indicemus; sed satis nobis est, ut reprehendantur praecipua.

608. **Pars I. Consilium Kantii est absurdum.**

Arg. 1 *(ex medio inepto).* Consilium praecipuum, quo Kant ad construendum suum systema adducebatur, in eo est, ut per instituendam crisim et per disquisitionem facultatum nostrarum has velit efficere fidas et certas, dum ante hanc crisim fuerint incertae, dubiae, infidae. *Atqui* hanc crisim sive inquisitionem instituere non potest nisi adhibendo eas ipsas facultates, quarum vim et certitudinem ipse serio in dubium vocaverat. *Ergo* medio *dubio* quaerit certitudinem.

Nemo non videt eius generis consilium plane absurdum esse. Quam facultatem adhibebit criticus? qua potestate elevabit sese supra rationem suam? Nihil habet nisi rationem suam, cuius ad assequendam veritatem aptitudo ipsa in quaestione versatur; huic igitur ante fidere debet, quam ipsi fidendum esse probaverit; cuius firmitatem negavit, eandem in ipso crisis negotio ut instrumentum firmum adhibet.

Dices: Physiologus utendo facultate videndi inquirit et docet, qua ratione facultas haec ad videndum applicetur. Ergo a pari philosopho licet adhibendo facultatem cognoscendi inquirere, qua ratione haec facultas ad recte cognoscendum applicetur. Immerito igitur istud consilium, quo Kant ad instituendam crisim adductus est, absurditatis accusatur.

Resp. Dist. antec.: Physiologus crisim de videndi facultate instituit post praestrictam oculorum aciem, vel prius in verum dubium vocando veritatem huius facultatis, *nego antec.;* supponendo visione revera videri aliquid, *conc. antec.* Contra Kant docuit facultatem cognitionis ante crisim non esse fidam et certam; per suam autem crisim hanc facultatem corrupit, delevit, destruxit, mentis luminibus sese orbavit.

Sicuti prius alii, v. g. *K. Fischer* contra *Hegel*[1], ita etiam nunc *Jeannière* consilium Kantii defendere conatur dicendo: „Non recte agunt, qui Kantium increpant eo, quod utatur facultate, de cuius valore dubitat, ad discernendum, quid valeat sua facultas", nam Kant „non dubitat, quin sua facultas optimum instrumentum sit in suo ordine, sed quaerit, quid hoc instrumento attingatur, intra quos limites operetur"[2]. At nequit ita salvari Kant; nam revera dubitat, num mens sit apta ad rem aliquam obiectivam vere cognoscendam.

Quaestio primaria totius inquisitionis criticae est haec: *num omnino metaphysica sit possibilis*[3]. Non intellegit Kant eam

[1] Cf. *T. Pesch,* Haltlosigkeit der modernen Wissenschaft (1877) 4 sqq.

[2] Criteriologia 178.

[3] „ob auch so etwas als Metaphysik überall nur möglich sei?" Prolegomena zu einer jeden künftigen Metaphysik: IV 255.

quaestionem ut quaestionem *facti,* nam rationem ex natura sua necessario metaphysicam agere concedit[1], sed ut quaestionem *iuris,* i. e. eos qui certitudinis naturalis valorem agnoscunt, dogmatismi illegitimi accusans, serio inquirendum esse docet, valeatne ratio ad aliquid obiectivum certo sciendum. Quaestio autem num metaphysica sit possibilis, est quaestio metaphysica; nam quaeritur, quaenam sit rationis natura et naturalis habitudo ad ordinem ontologicum certo cognoscendum. Hanc autem quaestionem Kant solvere vult eo, quod ratione, de cuius aptitudine ad metaphysicam quaeritur, eandem rationem in se (rationem puram) examinet.

De eo igitur obiecto formali, de quo intellectum ut iudicem criticum invocat, eundem intellectum ab initio statuit ut *incertum* et in fine ut *fallacem iudicem,* illusione transcendentali invincibili captum. Ita ponit Kant suam quaestionem, ut perinde sit, quodnam recipiat a suo iudice responsum. Verum quidem est, quod ait Jeannière, quod Kant „post institutam crisim doctrinam suam ut veram habet et tradit"; sed etiam verum est, quod *apertam contradictionem* ut veram suam doctrinam proponit (cf. n. 613).

Arg. 2 *(ex circulo vitioso, scil. fine inquisitionis praesupposito et simul negato).* Alterum consilium, ex quo Kant in construendo suo criticismo profectus est, in eo invenitur, ut perquirat et exploret naturam facultatum nostrarum cognoscitivarum. Sed hae facultates sine dubio illis rebus adnumerandae sunt, quas Kant *νοούμενα* vocat, quae nullo modo in aspectum empiricum cadant, sed „cogitari" tantum a nobis possint. Has porro res Kant iterum et tertio negat a nobis ut reales ullo modo cognosci posse.

Consilium igitur Kantii in eo versatur, ut doceat, quomodo rem cognoscere possimus, quam cognosci non posse ipse firmiter tenet. Et philosophiae sive metaphysicae non aliud munus relinquendum esse docuit praeter „theoriam cognitionis", ut igitur laboraret in re cognoscenda, quam cognosci non posse certum esset.

609. Pars II. Falsa sunt fundamenta systematis.

Argumentum. Vidimus, quae sint fundamenta, quibus Kant criticam suam superstruxit. *Atqui* ea omnia fundamenta falsa sunt.

1. *Fundamentum primum.* Supponit Kant notiones nostras, ideas, conceptiones omni elemento obiectivo, quod reale sit, exui posse (n. 604); *atqui* hoc repugnat, nam ex essentia sua conceptiones sunt rerum obiectarum conceptiones.

---

[1] L. c. IV 365.

Itaque in rebus, quae sunt mentis obiectum, inest ratio entis. Et omnis res, quae est mentis obiectum, est aliquod ens. Qua de re qui dubitat, etiam de omnibus rationis principiis dubitare debet. Si enim ideae ex se vi obiectiva destitutae sint, illa etiam principia inania sunt. Dubitare debet quoque de omnibus factis internis, quae per conscientiam percipit, an ea revera ita sint, ut percipiuntur. Neque ullum ponere potest iudicium. Nam in omni iudicio affirmatur rem ita revera se habere, sicut notione praedicati exprimitur.

610. 2. *Fundamentum alterum.* Ponit initio Kant necessitatem et universalitatem cognitionis nullo modo in rebus, sed unice in mente nostra fundari et formalitates illas, quas natura duce et necessario rebus ascribamus, rebus non convenire ex se ipsis et in se ipsis (cf. n. 605, 2). *Atqui* hoc solum ostendit Kantium aut non legisse aut non intellexisse, quae a saeculis in philosophia de fundamento obiectivo conceptuum nostrorum universalium clare statuta, declarata et demonstrata fuerunt. Omnes enim illae formalitates, quae nobis in cognitionibus nostris obiective formaliter exhibentur, a nobis evidenter cognoscuntur ut *rerum* affectiones, quae a mente nostra non pendent, sed a quibus pendet mens nostra.

Si cognitio nostra nos fallit in hac re, nos fallit in omnibus. Nam nulla res cognoscitur evidentius et certius quam haec. Si igitur quis clarae cognitioni obloquens has formalitates a formis mentis subiectivis trahere velit, is, sequens *Fichte,* a subiecto trahere debet, quidquid extra ipsum „ego" esse apparet. Qua enim ratione ductus ignoto illi X sive informi materiae, quam Kant extra mentem reliquerat, quis parceret et realitatem relinqueret? — Quodsi Kant dicit rationes illas necessarias et universales habere fundamenta in subiecto cogitante, non vero in rebus obiectis, cum hae contingentes sint et particulares, pugnantia dicit. Nam etiam subiectum cogitans est res contingens et particularis; deinde res externae etsi consideratae in propria exsistentia et concretione naturali sunt contingentes, continent tamen elementum necessarium. „Nihil enim est adeo contingens, quin in se aliquod necessarium habeat." [1]

Ex hoc altero fundamento erroneo Kant adductus est, ut neglecta ulteriore consideratione obiectorum, totam suam criticam inquisitionem in subiectum seu facultatem dirigeret, opinatus nimirum iudiciorum universalitatem et necessitatem ex solo subiecto oriri. *A priori* ad experientiam ita ipsi idem est ac *subiectivum.*

611. 3. *Fundamentum tertium* systematis sunt ipsius iudicia synthetica a priori. Tantum in his iudiciis Kant ponit momentum,

[1] *S. Thom.,* S. th. 1, q. 86, a. 3.

ut dixerit problema universale, quo contineatur critica rationis purae, hoc esse, ut ostendatur, quo pacto haec iudicia synthetica a priori exsistere possint (cf. n. 606). *Atqui* hoc fundamentum plane commenticium est et facile evertitur. Eo solum sibi et aliis persuadere potuit iudicia ista revera reperiri, quod notionem iudiciorum analyticorum et definitionem ultra modum coartavit.

Iudicia analytica Kantio illa tantum sunt, quorum praedicatum in subiecto ita continetur, ut ex obvia obiecti analysi notio praedicati integra excipi possit. Cum deinde negari non possit exsistere nihilominus iudicia, quae, quamvis ipsa notio praedicati non inveniatur per solam analysim in subiecto contenta, tamen independenter ab omni experientia (hinc, ut Kant dicit, „a priori") plane necessaria et universalia sint, haec iudicia dicit esse synthetica a priori. At falsum id quidem. Nam iudicia analytica non illa tantum sunt, quorum praedicatum cum subiecto coniungitur, quia conceptus praedicati per analysim ex conceptu subiecti integer hauritur, sed illa omnia, in quibus *causa et ratio*, cur praedicatum cum subiecto necessario coniungatur, ex sola analysi et consideratione utriusque trahitur, sive ipsa notio praedicati per analysim ex subiecto hauritur, sive aliunde habetur. Haec iudicia omnia vere analytica esse patet, quia posita subiecti et praedicati recta notione eorum obiectiva convenientia non ex experientia, sed ex sola utriusque analysi et consideratione aperitur [1].

Praeterea ex natura intellectus iudicantis manifestum est omnia iudicia synthetica esse a posteriori, et omnia iudicia a priori esse analytica [2]. Intellectus enim, cum non sit facultas caeca, non iudicat, nisi videat realem habitudinem, quae est inter subiectum et praedicatum: hanc autem videre non potest nisi aut ex sola conceptuum analysi, et habetur iudicium analyticum et a priori; aut ex observata reali synthesi, et habetur iudicium syntheticum et a posteriori: aut denique ex ratiocinio, quod habet unam praemissam analyticam, alteram syntheticam, et talis conclusio ratiocinii mixti secundum regulam peiorem sequitur partem.

612. 4. *Fundamentum quartum.* Ponit cognitionem nostram non esse intuitum in rerum realitatem, sed esse activitatem pure subiectivam, qua *construamus* seu fabricemus phaenomena sensibilia et noumena pure cogitabilia (cf. n. 606, 4). *Atqui* hoc omnino arbitrarium et falsum est.

Cognitionem humanam si quis explicare velit, sumi eam necesse est, ut ea in rerum ordine invenitur ut factum; nec ulla

[1] Cf. *Kleutgen,* Philos. der Vorzeit n. 300; *Frick,* Logica[4] 321 325.

[2] Nobis minime in animo est negare, plurima esse iudicia plurimosque conceptus, quae, cum non sint nata ex multiplici rerum sensibilium consideratione et comparatione, ab experientia intrinsecus non pendeant, hinc „a priori" vocari possint, si quis ita dicere velit. Cf. *Kleutgen* l. c. n. 305.

ratione licet ei commentum nescio quod pro libitu substituere. Cognitio autem, quae ut factum omnino certum in vita humana reperitur, non est rerum quae cognoscantur constructio, sed manifestatio. Id qui negat omittitve, rem negat, quae est omnium rerum, quae in vita humana occurrere possunt, apertissima.

Deinde neminem, qui cogitare velit, praeterire potest admissis illis, quae Kant posuit, cognitionem humanam non solum non explicari, sed penitus implicari et obvolvi caligine et evadere portentum horribile.

Accedit, ut falsum sit primam mentis cognitionem habere *iudicandi* indolem. Omni enim iudicio antecedere debet illa vitalis obiecti repraesentatio, quae fit per *apprehensionem*. Et quomodo fieri possit aliqua „synthesis", quin in promptu sint posita eius elementa sive notiones subiecti et praedicati, quae synthesi componantur?

5. *Fundamentum quintum.* Falso noumenis vanis et inanibus Kant ea omnia adnumeravit, quae sensualitati non sistuntur praesentia ut phaenomena (n. 606, 5). Nam plurima praeter ea, quae in phaenomenis menti humanae obversantur, sunt *obiective realia.*

Ubi revera cognoscitur phaenomenon, ibi fatente ipso Kant esse debet subiectum cognoscens; debent adesse in subiecto receptacula, ex quibus grex formalitatum prosilit; debet forinsecus oggeri ab aliquo materia tamquam condicio excitans. Praeterea si cognosco *hanc rem esse substantiam,* haec substantiae ratio in re externa revera reperitur, etsi substantia sensu percipi non potest nisi per accidens. Si per ratiocinia cognosco *existere Deum,* Deus revera est. Atque ita de aliis.

613. Pars III. Kantii systema repugnat quoad terminum, ad quem pervenit.

Arg. 1 *(enumerantur ea, in quibus Kant sibi contradicit).* Ipse sibi contradicit Kant eo, quod 1. obiectivam conceptuum et idearum vim sive *aptitudinem rationis* ad cognoscendam veritatem rerum obiectivam plane *negat. Atqui* id negat, quia ipse rationis suae usu hoc cognovit et testimonio rationis suae hoc ei certo constat.

2. Docet rationem nostram ex natura sua *illusione transcendentali* teneri et propterea criticae esse, sophismata rationis detegere, non quidem ut abiciantur, quod fieri non possit, sed ut nota fiant. *Atqui* haec ipsa critica est opus rationis. *Ergo* per rationem transcendentali illusione captam transcendentalem illusionem superare vult.

3. Dicit Kant *causalitatis principium* ex sola subiectiva necessitate provenire, ita ut causalitas tantum intra mentem vim habeat; unde etiam causalitatem categoriis adnumeravit. Et tamen principio causalitatis nixus affirmat, repraesentationibus nostris re-

spondere ignotum quiddam extra mentem tamquam repraesentationum „materiam".

4. Dicit *realitatem, exsistentiam* esse tantum formalitates ex subiectivis categoriis ortas[1]; unde negare debet extra me quidquam re exsistere, et tamen censet ignotum istud, quod subiecti limites transcendat, esse quidpiam reale exsistens, quo sensus nostri afficiantur[2].

5. Nihil admitti posse dicit nisi propter criticam inquisitionem; et *tamen potentias animae admittit sine ulla huius rei inquisitione.* Principium statuit, cognitiones necessarias et universales ex experientia oriri non posse; neque umquam hoc principium, quod est *πρῶτον ψεῦδος* totius kantianismi, subiecit crisi.

6. Negat quidquam a nobis cognosci posse, nisi quod ad *experientiam sensilem* pertineat; et tamen complura ponit elementa cognitionis, ut *facultates cognoscitivas, categorias,* quae revera sint, quae nemo sibi per experientiam sensilem repraesentare potest. Negat metaphysicam usque ad illud tempus in scholis traditam, quia metaphysica omnis sit impossibilis; et tamen construit metaphysicam novam „theoria cognitionis" contentam.

7. Negat ipsum *ego* ut reale quidpiam a me percipi[3], et tamen me docet res omnes, quas percipere mihi videar, inesse huic *ego* ut eius affectiones.

614. Arg. 2 *(ex Kantii dogmatismo).*

Haeret in *dogmatismo;* nam in sua crisi instituenda fisus est ipse suis cogitandi facultatibus, quas ante criticam absolutam in ea scribenda iam adhibuit, et post institutam crisim pergit adhibere conceptus, iudicia, ratiocinia, quarum vim et rationem obiectivam se non videre fatetur, et quibus ipse vim inesse obiectivam negat. Et vult, ut nos, absente et sibi et nobis omni cognitione rationali, per caecam fidem id firmiter admittamus tamquam obiective certum, quod ipse per auctoritatem definivit propter caecum suum impulsum subiectivum; vehementerque iratus est, quod invenirentur, qui sibi contradicere essent ausi.

Arg. 3 *(haeret in idealismo).*

In illo dico systemate, quo realis distinctio inter res externas et mentem cogitantem negatur, neque ulla alia admittitur realitas, nisi quae insit in figmentis mentis propriae[4]. Etsi enim (in priore suae criticae

[1] Kritik der reinen Vernunft: III 339 340. [2] Proleg.: IV 298.

[3] Kritik der reinen Vernunft: III 122 265 339 449 450; Proleg.: IV 240. Cf. *O. Pesch,* Haltlosigkeit der modernen Wissenschaft 97 sqq.

[4] „Alle äußere Wahrnehmung also beweist unmittelbar etwas Wirkliches im Raume oder ist vielmehr das Wirkliche selbst. . . . Das Reale äußerer Erscheinungen ist wirklich nur in der Wahrnehmung und kann auf keine andere Weise wirklich sein" (Kritik der reinen Vernunft: IV 236 237).

editione, et magis etiam in altera) contra idealistas exsistentiam cuiusdam ignoti X asseveravit, principia tamen posuit, quibus admissis de mundi externi exsistentia nullo modo constare quidquam potest[1]. Imprimis enim facile negatur, quod plane ignoratur. Unum deinde medium, quo res externae attingi possent, ex mente Kantii est principium causalitatis. At ipse causalitatem omni vi obiectiva exutam inter categorias reposuit. Primum tandem, quod rebus externis, si sunt, tribui debet, est realitas et exsistentia. At realitas et exsistentia nihil sunt nisi categoriae! Et quoniam realitas et exsistentia inter formalitates pure subiectivas ab ipso Kant sunt adnumeratae, ne de mei ipsius quidem exsistentia et realitate mihi certo constare potest. Kantianum igitur systema nihilismum potius quam idealismum dixeris.

615. Arg. 4 *(ex absurditate scepticismi).*

Ruit Kant in *scepticismum.* Nam in hoc systemate perit omnis obiectiva realitas idearum; causa, ens, unum, alia huiusmodi nihil sunt nisi formae subiectivae. Cumque omnes rationes universales, ut *entis, possibilis, exsistentis, substantiae, causae,* ex se solo hauriat negetque nos de ullis rebus obiectis quidquam cognoscere posse, vehementer dubitari potest, an ipsa phaenomena sint vere obiectiva in mente, an aliquid praeter mentem esse possit (quem errorem solipsismum vocant), an demum ipsa mens cogitans sit quidpiam reale. *Atqui* in manifestis est posito hoc systemate omnium cognitorum tolli obiectivam realitatem, non eorum solum, quae sunt ordinis supersensibilis sive metaphysici, sed eorum etiam, quae ordinem sensuum non excedunt. Si quid enim percipimus, percipimus impressiones. Percipimus somnia, et haec nostra somniorum perceptio iterum somnium est; neque minus ipsum „ego", quod somniare nobis videtur, in vanum somnium resolvendum est.

His explicatis intellegitur unum discrimen inter Kant et vulgares scepticos[2] in eo esse positum, quod hi de certitudine desperant omissa crisi, Kant autem per crisim suam diligenter institutam in desperatione confirmatur.

Sed dices: Licet fidentes rationi theoreticae necessario labamur in scepticismum, per rationem tamen practicam salvamur. „Postulata rationis practicae" sunt obiectiva certa; ex his autem certo positis res plurimae certitudinem trahere possunt aliquam. — *Sed respondeo,* quaecumque a Kant contra rationem theoreticam dicantur, ea vim quoque eandem contra rationem practicam habere. Quidquid enim ab hac ratione practica concipitur, ab ipsa mentis constitutione omnino pendet; si igitur mens alio modo constituta fuisset, ratio practica res aliter concepisset. Omnia

[1] Cf. *Trendelenburg,* Logische Untersuchungen I[3] 161 163.

[2] Dicit *Kant:* „Unter dem *Dogmatism* der Metaphysik versteht diese nämlich: das allgemeine Zutrauen zu ihren Prinzipien, *ohne* vorhergehende *Kritik* des Vernunftvermögens selbst, bloß um ihres Gelingens willen; unter dem *Skeptizism* aber das ohne vorhergegangene Kritik gegen die reine Vernunft gefaßte allgemeine Mißtrauen bloß um des Mißlingens ihrer Behauptungen willen" (VIII 226).

deinde ratiocinia, quae adhibentur sive ad probandum obligationem moralem supponere libertatem voluntatis, sive ad probandum exercitium libertatis cum merito aut demerito coniunctum esse, innituntur in principiis, quae, cum sint rationis theoreticae, secundum doctrinam kantianam nullam de ullis rebus certitudinem efficere possunt.

616. ***Scholion 1.*** Praeter errores ante notatos plurimi in kantiano systemate reperiuntur.

Inter quos praecipui sunt fere hi: 1. Categorias docet Kant ex iudicio trahendas esse. Contra: Principium categoriarum non est iudicantis mentis activitas, sed est ipsum rerum esse. — 2. Categorias illas duodecim esse, quas a Kant positas esse audivimus. Contra: Si quis velit a iudicio utcumque categorias trahere, is, modo recte cogitare velit, relabetur in iudiciorum divisiones, quae in schola tradi solent[1]. — 3. Spatium esse formam sensibilitatis externae et tempus sensibilitatis internae. Contra: Successio eadem ratione refertur ad eventus externos qua extensio ad res externas. Et extensio reperitur etiam in actibus organicis internis. — 4. Qualitates sensibiles a nobis percipi non ut obiectivum quid, sed ut modos perceptionis subiectivos. Contra: Folia arborum eo modo percipiuntur colorata, quo percipiuntur extensa. — 5. Conclusiones, quibus concludatur exsistere „ego", mundum, Deum, effici paralogismis vel sophismatis. Contra: Quidquid a Kant contra has conclusiones prolatum est, evidenter ostendi potest constitui sophisticationibus. Ut exemplo sit locus, „antinomias" ponimus, quibus concludit mundum extra nos realem esse non posse. Nam, inquit, si mundus realis esset, 1° esset simul finitus et infinitus; 2° essent entia simplicia et non essent; 3° fierent omnia per necessitatem mechanicam, et simul exsisteret libertas, i. e. effectuum initium, quod causa careret; 4° exsisteret ens absolute necessarium, id quod tamen esse non posset. Quae omnia a philosophis sescentiens soluta sunt.

Scholion 2. Non eo peccavit Kant, quod crisim facultatum cognoscitivarum instituit, atque ea ostendere voluit, quae subiecto cognoscenti insint antecedenter ad omnem usum illarum facultatum. Sed ideo est vituperandus, 1° quod certitudinem omnem, quam ante crisim istam per usum naturalem facultatum nostrarum obtineamus, voluit falsam esse et inanem; 2° quod cognitiones nostras omni re vacuas esse sumpsit; 3° quod in subiecto ante actualem usum facultatum non solum facultates et habitus esse posuit, sed etiam actuales formalitates, quae in obiectum cognitionum nostrarum constituendum ingrediantur; 4° quod crisi sua cognitionem humanam non explicavit, sed corrupit.

617. ***Scholion 3.*** Exempla, quibus Kant ostendere vult esse iudicia, quae simul sint synthetica et a priori, aut continent iudicia, quae revera

[1] Cf. *Herbart,* Metaphysik: Werke III 121 sqq; *Schopenhauer,* Kritik der Kantschen Philosophie: Werke, ed. *Jul. Frauenstädt,* Leipzig 1891, II 533 sq et 539—559; *E. Laas,* Idealismus und Positivismus III 464.

analytica sunt, aut si sunt synthetica, sunt a posteriori. Affert enim 1° additiones mathematicas, velut 7 + 5 = 12. Sed nemo non videt hanc enuntiationem analyticam esse; nam per analysim unius partis obtinetur ratio, ob quam altera pars primae aequiparanda sit. — Affert 2° principium causalitatis: Quidquid fit, sui causam habet. Sed hoc iterum est analyticum. Nam causa est id, unde aliquid habet esse; et effectus est id, quod ab aliquo habet esse. Ergo in definitione causae, etsi non continetur ipsum esse effectus, tamen necessario continetur relatio ad effectum. Et qui intellegit, quid sit causa, necessario intellegit, quid sit effectus; et qui intellegit, quid sit effectus, intellegit, quid sit causa. Atque ita certum est notionem causae contineri in notione adaequata effectus et notionem effectus in notione adaequata causae. — Affert 3° iudicium: In mutationibus corporis nulla perit materiae quantitas. Et hoc syntheticum est, quatenus per solam experientiam constat nullam materiae particulam adnihilari; analyticum est, quatenus educitur ex illius mutationis conceptu, qualis experientia teste in hoc mundo corporeo reperitur. Quod facile intellegitur, si vis et potestas huius principii ponatur in aperto: In illis mutationibus rerum corporearum, cum nihil materiae adnihiletur, sed tota manens alias tantum formas suscipiat, quantitas materiae eadem permanet. - Affert 4° effatum hoc: In motus communicatione semper actioni aequalis est reactio. Atque hoc quidem syntheticum est, sed ab experientia et inductione petitum. Ergo non est a priori. — Affert 5° iudicium: Mundus initium habuit. Hoc, in quantum affirmat mundi exsistentiam, est syntheticum et a posteriori; in quantum ex conceptu rei finitae et mutabilis demonstratur impossibilitas mundi ab aeterno exsistentis, analyticum est. — Affert 6° ex geometria exempli causa: Linea recta est omnium, quae inter duo certa puncta duci possint, brevissima; quod ideo analyticum esse negat, quod in notione lineae rectae notio brevissimae non contineatur. Sed animadvertendum est iudicium hoc comparativum esse et praedicatum tribui non rectae simpliciter, sed rectae cum curva comparatae. Concedendum est in notione rectae absolute consideratae, neque brevioris neque longioris, notionem per ullam analysim reperiri posse. Sed ubi primum recta comparatur curvae, excessus curvae supra rectam in ipsa curvae et rectae notione per analysim reperitur. Ergo iudicium, de quo agitur, analyticum est.

Reliqua omittimus; facile enim ex iis, quae ante disputata sunt, solvi possunt.

ARTICULUS II.

De obiectiva realitate conceptuum universalium.

618. **Notiones praeviae.** Cum quaestio, quae de obiectiva idearum realitate instituta est, facilius solvi possit, difficilior omnibus visa est illa quaestio, cum ad universalitatem, quae in conceptibus sive ideis inest, animum advertunt. Et vix est in tota philosophia disputatio, quae tantopere animos philosophantium com-

movit quam haec, in qua agitur de universalibus. Et recte id quidem. Nam in causa sunt ipsa cognitionum nostrarum fundamenta, nec ulla est scientia, in qua principia universalia et hinc etiam universales conceptus adhibendi non sint. Si igitur rationes universales nulla ratione in ipsis rebus reperiuntur, si adeo vocibus universalibus nullus conceptus universalis respondet, iam scientia omnis est inane mentis figmentum vel verborum lusus. Contra si universalitas in ipsis rebus inesse dicitur, quomodo non omnia ens unum erunt? Inter scepticismi igitur Scyllam et Charybdim pantheismi naviculae philosophantis animi via tuta quaerenda est.

619. **Controversiae origo.** Causa celebris de obiectiva realitate universalium nata est tempore aevi medii. Sed huius controversiae quaedam praeludia, rem si spectes, apud antiquos Graecos reperiuntur. Quorum alii genera et species in rebus ipsis esse dixerunt, alii in solis nudisque conceptibus vel nominibus collocarunt.

Heraclitus eiusque discipulus *Cratylus* nihil esse in rebus universale docuerunt. A quibus vix aliena est sententia *epicureorum*, ex qua adducebantur, ut negarent ullam de rebus scientiam esse posse. Ab his nonnihil differt doctrina *stoicorum*, qui cum admitterent esse conceptus universales, quibus multa singularia confuse repraesentarentur, negarunt tamen extra mentem quidquam esse, quod ulla ratione universale dici posset. Contraria his *Platonis* erat sententia, quem Aristoteles docuisse refert, universalia extra humanam mentem esse a rebus singularibus separata. Inter has opinationes media interiecta est sententia *Aristotelis*, qui posuit universale quidem extra mentem humanam esse, neque tamen a rebus singularibus diversum.

620. Tempore aetatis mediae, ubi primum philosophia instaurari coepta est, quaestio haec revixit; et iterum illae duae sententiae inter se oppositae apparuerunt, quarum ante mentio est facta, quae nunc nomine *nominalismi* et *realismi* insignitae sunt.

Nominalistarum alii post *Ioannem Roscellinum* universalitatem non reperiri voluerunt nisi in vocabulis sive *nominibus*, genera et species esse conceptus collectivos; vocabulis vero, quae universalia essent, indefinite et confuse significari collectiones individuorum; si quid autem ultra indicare viderentur, nihil esse nisi „flatum vocis“.

Alii autem nominalistarum non solum voces universales esse existimabant, sed etiam *conceptus*; hos vero conceptus universalitatem suam haurire omnino et penitus ex mente cogitante, qua res secundum se absolute singulares considerarentur secundum typos quosdam menti insitos. Cuius sententiae auctores et patroni conceptualistae vocati sunt.

In hac sententia etiam *Abaelardus* (1079—1142) fuisse videtur, qui docuit universalia esse ipsas collectiones individuorum, sive universalia esse quidem in conceptibus, his autem conceptibus respondere collectiones individuorum. „Speciem, inquit, dico esse non illam essentiam hominis solum, quae est in Socrate, vel quae est in aliquo alio individuorum, sed totam illam collectionem ex singulis aliis huius naturae coniunctam. Quae tota collectio, quamvis essentialiter multa sit, ab auctoritatibus tamen una species, unum universale, una natura appellatur, sicut *populus*, quamvis ex multis collectus sit, unus dicitur.“ [1]

De conceptu universali ut signo rei quaerit *Occam* (ca 1280—1347): „Sed quid est in anima id, quod est tale signum? Dicendum est, quod circa istud sunt diversae opiniones. Aliqui enim dicunt, quod non est nisi quoddam fictum per animam; alii, quod est quaedam qualitas substantive exsistens in anima, distincta ab actu intellegendi; alii dicunt, quod est ipse actus intellegendi. Et pro istis est ratio illa, quod frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora; omnia autem, quae salvantur ponendo aliquid distinctum ab actu intellegendi, possunt salvari sine tali distincto, eo quod supponere pro alio et significare aliud ita potest competere actui intellegendi, sicut illi ficto; ergo praeter actum intellegendi non oportet ponere aliquid aliud.“ [2]

Et haec nominalismi sententia[3] posthac numquam penitus exstincta est, donec saeculo decimo octavo materialistae et sensistae omnes ad *Roscellini* opinationes reverterunt. Neque ulli, qui *Kantii* systema recogitaverit, dubium esse potest, quin istud recte vocatum sit conceptualismus quidam exaggeratus. Kantianis si credimus, nihil cognoscimus nisi phaenomena rerum sensibilium a nobis effecta ex formis menti innatis. Ulterius progressus est *Fichte,* qui non solum universalia, sed etiam ipsa singularia formis pure subiectivis formari docuit.

621. *Realistae* sive „reales“ hoc nomine insigniti sunt, quia posuerunt universalia realia. Quorum nonnullos in purum putum pantheismum lapsos videmus, cum genera et species extra individua esse et in natura divina contenta dicerent; ex quo consequens erat, ut docerent naturam divinam esse realem omnium rerum essentiam. Qui error reperiebatur apud *Scotum Erigenam.*

Ex iis vero, qui a tanto errore abhorruerunt, alii in alias sententias abierunt. *Guilelmus Campellensis* (1070—1121) genera

---

[1] Cf. citatum ex opere inedito apud *V. Cousin,* Fragments philosophiques II 163.

[2] Log. pars 1, c. 12. Cf. *Suarez,* De anima 3, 1, 2.

[3] Haud pauci ex iis, qui accusantur nominalismi, potius male dixisse quam male sensisse videntur. Cf. *Suarez,* Disput. met. disp. 6, sect. 2, n. 1 et sect. 5, n. 2.

et species esse ipsam essentiam rerum singularium his re communem voluit, ita ut individua solis accidentibus inter se distinguerentur. In quam sententiam concesserunt etiam nonnulli ex *Ioannis Duns Scoti* († 1308) discipulis, qui essentiam universalem, quae esset in individuis, suam in his universalitatem re et veritate retinere asseveraverunt. Et alii aliter.

Ad platonicam sententiam accesserunt multi ex philosophis *arabibus*. Censuerant platonici naturas universales esse quasdam ideas a rebus singularibus separatas. Harum autem idearum dicebant duplicem fieri impressionem: unam in materia corporali, aliam in mentibus nostris; priore effici multitudinem individuorum, posteriore scientiam. „Sed quia contra rationem rerum sensibilium est, quod earum formae subsistant absque materiis . . ., ideo *Avicenna*, hac positione remota, posuit omnium rerum species . . . praeexsistere immaterialiter in intellectibus separatis. . . . Et sic in hoc Avicenna cum Platone concordat, quod species intellegibiles nostri intellectus effluunt a quibusdam formis separatis, quas tamen Plato dicit per se subsistentes, ut refert Aristoteles. . . . Avicenna vero ponit eas in intellegentia agente. Differunt etiam quantum ad hoc, quod Avicenna ponit species intellegibiles non remanere in intellectu nostro, postquam desinit actu intellegere; sed indiget, ut iterato se convertat ad recipiendum de novo; unde non ponit scientiam naturaliter inditam, sicut Plato, qui ponit participationes idearum immobiliter in anima permanere.“ [1]

622. Est alia denique sententia, quae inter nominalismum et realismum exaggeratum media est, quam *S. Thomas* et scholastici communiter tenent, esse quidem in rebus illam naturam, quae conceptu universali exhibeatur, non tamen eodem modo, quo concipiatur.

Quam *S. Thomae* sententiam his verbis expressam videmus: „Sciendum est, quod, quia intellectus noster est separatus a materia, . . . ideo illud quod obiective in actu recto intellectui repraesentatur, oportet esse denudatum a materia et a condicionibus materiae, quae sunt hic et nunc. Et dico hic denudatum a materia non simpliciter ab omni materia, sed a materia signata; res enim naturales intelleguntur cum materia, et propter hoc dictum est, quod debet esse denudatum a condicionibus materiae. Verbi gratia in nostra phantasia est phantasma seu forma repraesentans hunc hominem, secundum quod fuit in aliquo sensu exteriore, quae forma virtute intellectus agentis agit in intellectum possibilem, sicut colores virtute luminis agunt in potentiam visivam; et causatur tunc in intellectu possibili quaedam forma, quae dicitur species intellegibilis (vel secundum alios: actus intellegendi vel verbum), quae forma repraesentat hominem, non tamen ut est hic et nunc, sed *abstrac-*

[1] *S. Thom.*, S. th. 1. q. 84, a. 4.

tum a talibus condicionibus, et hoc dicitur esse *universale.* Unde in homine sic intellecto est duo considerare: scilicet ipsam naturam humanam seu habens eam, et ipsam universalitatem seu abstractionem a dictis condicionibus materiae. Quantum ad primum, ‚homo' dicit rem, quantum vero ad secundum, dicit intentionem; non enim in re invenitur homo, qui non sit hic et nunc. Et ipsa natura ut sic dicitur esse *prima intentio.* Sed quia intellectus reflectitur supra se ipsum et supra ea, quae in eo sunt sive subiective sive obiective, considerat iterum hominem sic a se intellectum sine condicionibus materiae; et videt, quod talis natura cum tali universalitate seu abstractione intellecta potest attribui huic et illi individuo, et quod realiter est in hoc et illo individuo; ideo format secundam intentionem de tali natura, et hanc vocat *universale* seu *praedicabile* vel huiusmodi. Secundum ergo praedicta res ut est intellecta, dicitur universalis, secundum autem quod intellectus universalitatem considerat, secundum hoc attribuit ei aliquid, scilicet esse in pluribus vel dici de pluribus, et sic dicitur *secunda intentio.*" [1]

623. Omnis igitur sententiarum varietas ad duas revocari potest: ad nominalismum et realismum. Quorum prior ipsum universale in signis tantum ponit. Quod duplici ratione fieri potest: aut illud unum, quod in multis inest, in sola voce sive vocabulo inesse dicunt, et *nominalismus purus* est; aut non tantum in vocabulo, sed etiam in nostro modo concipiendi, et *nominalismus moderatior* est, quem aliqui conceptualismum vocant. Ex altera parte *realismus* ipsum universale extra nostram mentem in rerum ordine collocat. Ex quibus platonici aliqui illud etiam extra res omnes singulares huius mundi collocant in typis sive ideis sive intellectibus a mundo separatis. Alii autem realistae universale in ipsis rebus, quas sensibus perceptas habeamus, aliqua ratione ponendum esse censent, illud unum quod de multis praedicetur, aliquam realitatem esse putantes multis communem. Id quod etiam duplici ratione intellegi potest. Aut illud unum putant esse multis commune *formaliter,* ita ut sit quidpiam universale a parte rei etiam ante omnem mentis operationem, et *realismus exaggeratus* est, quem *formalismum* vocare solent. Aut illud unum *fundamentaliter* tantum commune in multis ponitur, ita ut *formaliter* universale fiat operatione intellectus in fundamento, quod in re inest, innitentis, et *realismus moderatior*[2] est, quem nos defensuri sumus ut veram sententiam.

---

[1] *S. Thom.,* Opusc. 44: De totius logicae summa tract. 1, c. 1.

[2] Nonnulli id quod nos realismum moderatiorem vocamus, conceptualismum vocant; unde in lectione auctorum attendi debet, quo sensu terminum conceptualismi adhibeant.

Sed *obicies* huic de universalibus doctrinae supponendam esse certam de origine idearum doctrinam, quae nondum probata sit. Cui dubio *respondendum* est inter has duas doctrinas certum nexum quidem esse, nulla tamen ratione hoc loco quidquam supponi, quod nondum probatum sit. Sed ex doctrina, quam modo propositurі sumus, multa sequi, quae post in constituenda de idearum origine doctrina magnopere observanda erunt, omnino certum est.

Errores autem in utramque partem potissimum inde profecti sunt, quod obiectum intellectum habere eundem plane essendi modum in ipso intellectu atque in ipsis rebus putaverint. Inde enim, quod in rebus sunt individua inter se distincta neque est quidquam, quod omnibus realiter commune sit, inde, inquam, concluserunt, qui nominalistae vocantur, etiam in ordine ideali solummodo individua eorumque collectionem percipi posse, nihil autem, quod omnibus commune sit. Et inde, quod in mente sunt conceptus exhibentes essentiam unam, quae inest multis, concluserunt, qui exaggeratum realismum sectantur, etiam in ordine reali extra mentem aliquid unum esse in multis.

Qui igitur inter hos errores rectum veritatis tramitem sequi velit, is firmiter teneat oportet, minime necesse esse, ut res, quae a nobis intellegitur, eodem modo intellegatur, atque est in rebus externis. Et post institutam disputationem videbimus universale revera alio modo esse in ordine reali et alio modo in ordine ideali. Universale in ordine reali videbimus esse multa in actu, unum in potentia; in ordine autem ideali unum in actu, multa in potentia.

§ 1. Refutatur nominalismus.

624. **Thesis 19.** **Universales non solum sunt voces sive nomina, sed etiam conceptus; unde nominalismus purus reiciendus est.**

Ad stat. quaest. 1. Permulta nomina sive vocabula, cum ad complures res significandas eodem plane modo adhibentur, revera sunt universalia; neque ullus hoc negat vel ignorat. Verum id philosophorum aliquorum animos occupatos tenuit, responderentne his universalibus nominibus etiam conceptus universales, quibus res complures secundum aliquid sibi commune conciperentur. Id negatur a nominalistis (n. 620), quibus adnumerandi sunt sceptici, materialistae, darwinistae, empiristae, sensistae, alii. Contra hos igitur omnes ponimus, universalitatem a nominibus sive vocabulis ad conceptus etiam extendendam esse.

2. De vocabulis sive terminis non aequivoce neque analogice, sed *univoce* universalibus loquimur, quae eodem plane modo de rebus plurimis proferri solent.

625. **Arg. 1** *(ex testimonio conscientiae et experientia).* Si nulli essent conceptus universales, iam termini universales, quos fatentibus adversariis habemus, significarent nihil; *atqui* id est contra testimonium conscientiae; *ergo* habemus conceptus vere universales.

Prob. mai. Aut significarent rem singularem aut collectionem rerum singularium; at neutrum esse potest. Non significant rem singularem, nam res terminis illis significatae pluribus attribui possunt; neque collectionem, quae plura simul sumpta complectitur, dum nomina communia dicuntur de singulis singillatim sumptis.

Prob. min. Terminus universalis sive communis voce prolatus duas notitias in mente efficit: soni materialis et rei a loquente significatae; quod per experientiam omnium hominum constat. Ergo dici non potest terminum universalem significare nihil. Si igitur neque ad conceptum singularem refertur neque ad conceptum collectivum, nihil aliud relinquitur, nisi ut conceptum universalem significet.

Arg. 2 *(ex vocabulis ut immediatis signis manifestativis conceptuum).* Si nullae essent ideae universales, nulla essent vocabula communia; *atqui* sunt vocabula communia; *ergo* etiam sunt ideae universales.

Prob. mai. Lingua per se destinatur ad hoc, ut homo quae cogitat cum aliis communicet; vocabula igitur adhibet, ut res cogitatas significet. *Ergo,* si homo nullum conceptum haberet, quo exhiberetur aliquod unum et in pluribus identicum, nullum sane invexisset vocabulum, quod in se unum esset ac pluribus identice applicaretur, cuiusmodi sunt vocabula communia.

Arg. 3 *(ex apprehensione multiplicis inter individua conformitatis).* Qui individuorum conformitatem percipit eamque ab individuis abstrahit, is conceptum vere universalem habet. *Atqui* humana mens conformitatem multiplicem percipit abstrahitque; id quod ex multis adhibitis vocabulis universalibus sive communibus est perspicue manifestum, quibus eius generis conformitas, quae insit in ipsis rebus, significatur. *Ergo* habemus conceptus universales.

Confirmatur (ex terminis collectivis). Concedunt adversarii exsistere in mente conceptus collectivos. At hi conceptus universales supponunt. Nam collectionis conceptus numerationem supponit, quae sine conceptu universali fieri non potest.

626. ***Obi. 1.*** Quidquid exsistit vel exsistere potest, est singulare; *atqui* conceptus omnis exsistit vel exsistere potest; *ergo* omnis conceptus est singularis.

Resp. *Dist. mai.:* Quidquid exsistit, est singulare in essendo, *conc. mai.;* etiam in repraesentando, *nego mai. Contradist. min.:* Omnis conceptus obiectivus ut praecisus est exsistere potest, *nego min.;* conceptus subiectivus exsistit, *conc. min. Dist. cons.:* Omnis conceptus obiectivus est singularis, *nego cons.;* omnis conceptus subiectivus, *subdist. cons.:* Est singularis in essendo, *conc. cons.;* in repraesentando, *nego cons.*

Inst. Atqui conceptus neque in repraesentando possunt esse universales. *Prob.* Unaquaeque res individua ab unaquaque re alia individua est penitus diversa; *atqui* conceptus, ut veri sunt, debent rebus correspondere; *ergo* nequit esse conceptus unus, qui plura repraesentet.

Resp. *Nego min. Ad prob. dist. mai.:* Tota entitate physica sunt diversa, i. e. plura et tamen in notis constituentibus multis perfecte similia, *conc. mai.;* ita ut in nulla re perfecte similia sint, *nego mai. Contradist. min.:* Debet conceptus omnia rei exprimere, i. e. tum ea in qua res conveniunt, tum ea in qua differunt, *nego min.:* debet rei correspondere in iis quae exprimit, seu non debet esse positive difformis esse, *conc. min.*

Obi. 2. Argumenta allata nimium probant; *ergo* nihil probant.

Prob. antec. Eodem modo potest probari res debere esse universales, nimirum, si nullae essent res universales, termini communes nullas significarent res; *atqui* termini seu vocabula adhibentur ad significandas res; *ergo* res sunt universales.

Resp. *Dist. mai.:* si nullae essent res neque formaliter neque fundamentaliter universales, *conc. mai.;* si non sunt res formaliter, sed tamen fundamentaliter universales, *subdist. mai.:* Termini communes non significant res secundum naturam determinatam individuam, *conc. mai.:* non significant res secundum eas notas, secundum quas uno conceptu exprimi possunt, *nego mai. Dist. min.:* Vocabula sunt signa rerum cogitatarum, *conc. min.;* sunt signa rerum sine respectu ad cogitationem, *nego min. Dist. cons.:* Res sunt formaliter universales, *nego cons.;* sunt res fundamentaliter universales, i. e. sunt res, quae in unum conceptum obiectivum convenire possunt, *conc. cons.*

Obi. 3. Nihil est in intellectu, quod non fuerit in sensu; *atqui* in sensu non sunt repraesentationes universales; *ergo* neque in intellectu sunt repraesentationes seu conceptus universales.

Resp. *Dist. mai.:* Nihil est in intellectu, ad cuius cognitionem non pervenerimus, incipientes aliquo modo a cognitione sensitiva, *trans. mai.;* nihil cognoscitur ab intellectu, quod non fuerit cognitum etiam sensu, *nego mai., conc. min. Dist. cons.:* si intellectus vi cognoscitiva et abstractiva sensum non superaret, *conc. cons.;* si intellectus sensum utroque modo superat, *nego cons.*

Obi. 4. Quotienscumque audimus vocem vel volumus cogitare de triangulo, homine, equo etc., semper, licet forte confuse, nobis repraesentamus determinatum aliquod et individuale triangulum, hominem, equum, individuum; *atqui* si haberemus ideas universales, nomen utpote universale non excitaret repraesentationem singularem; *ergo* non habemus conceptus universales.

Resp. *Dist. mai.:* Propter dependentiam mentis a phantasia simul in phantasia excitatur talis repraesentatio determinata, *conc. mai.;* non simul excitatur conceptus vere universalis in mente, *nego mai., contradist. min., nego cons.*

627. **Thesis 20.** **Conceptus universales in rebus extra mentem fundamenta habent; unde nominalismus etiam moderatior (conceptualismus purus) reiciendus est.**

Ad stat. quaest. 1. Qui adversarii sunt, non tantum nomina, sed etiam conceptus universales esse docent, conceptus autem universales penitus subiectivos esse et figmentis seu formis (typis) mentis contineri. Atque his conceptibus exhiberi quidem convenientiam quandam rerum secundum idem, sed hanc „convenientiam" et hoc ipsum „idem" nulla prorsus ratione reperiri in rebus nec in rebus fundari, sed sola mentis consideratione constitui. Quibus sane concedendum est nihil reperiri in rebus, quod iam universale sit etiam *formaliter*. Sed contra illos constituendum erit universalitatem illam, quae in conceptibus insit formaliter, habere in rebus ipsis fundamenta. Quae fundamenta in eo sunt sita, quod natura sive essentia conceptu universali repraesentata aeque et eodem plane modo in compluribus individuis reperitur, ita ut rationes conceptibus universalibus repraesentatae ex se ad res extra mentem referantur.

2. Inter adversarios primipilus est *Guilelmus Occam* eiusque discipulus *Ioannes Buridanus* († 1358), deinde etiam *Petrus Alliacensis* († 1425), *Gabriel Biel* († 1495).

Ad errorem, quem hoc loco impugnandum suscipimus, omnes illi philosophi aliqua ratione concedunt, qui ideis sive conceptibus subiectivis vim nimiam tribuunt. Ita *kantiani* formalismum docuerunt, qui a nominalismo moderatiore discerni non potest.

628. **Arg. 1** *(ex conceptu, ut est signum).* Unus idemque conceptus signum complurium rerum esse non potest, nisi quatenus aliquid repraesentat, quod in his compluribus rebus vere inest; nam alia signi ratio in conceptu inesse non potest, quam quod conceptus sit intentionalis quaedam rei expressio sive repraesentatio. *Atqui* concedentibus adversariis conceptus est signum complurium rerum unum. *Ergo* id quod repraesentat, vere compluribus illis inest, nisi quis putare velit, non inesse in illis rebus id, quod conceptus repraesentat; id quod putari sine absurditate non potest. Habent igitur conceptus universales fundamenta a parte rerum[1].

[1] Cf. *Kleutgen,* Philosophie der Vorzeit n. 158.

Arg. 2 *(ex praedicatione conceptuum universalium de individuis).* Universales conceptus aliquid obiective exhibent, quod univoce de compluribus individuis praedicari potest; in qua re adversarios confitentes habemus. *Atqui* illud unum, quod de compluribus individuis praedicatur, neque *nomen* est, neque *conceptus subiectivus,* nec realitas *individui,* nec individuorum *collectio. Ergo* illud unum est aliquid reale, quod eadem ratione in unaquaque re invenitur, seu conceptus universalis habet obiectivam realitatem.

Ad min. Si enim dico: *Socrates est homo,* non ea est dicentis mens, ut praedicetur Socratem esse hoc nomen „homo"; neque, Socratem esse hanc ideam „homo"; nec voce hominis realitas individui exprimitur, haec enim in singulis diversa est et proprio cuiusque nomine significatur; neque individuorum collectio, nam collectio non est unumquodque eorum.

629. **Arg. 3** *(ex obiecto scientiae).* Scientia est de rebus, non de conceptibus subiectivis; *atqui* scientia est de universalibus: *ergo* res ipsae aliqua ratione universales esse debent.

Ad mai. Scientiam omnem de *rebus* esse, facile perspicies, si consideres appetentem scientiae non id appetere, ut cognoscat mentis nostrae ideas subiectivas; verum *res* sunt, quas noscere vult, qui scire desiderat[1].

Ad min. Scientiam esse de *universalibus,* haud difficiliore negotio intellegitur, et ab adversariis, quibuscum rem habemus, nobis conceditur.

Arg. 4 *(ad hominem).* Si individuarum multarum rerum similitudinem vel conformitatem percipimus, aliquid unum apprehendimus, secundum quod res inter se conformes sunt et similes; et omissa nota individualitatis illud tamquam unum concipimus, quod in multis rebus insit vel saltem inesse possit. *Atqui* id est aliquid in rebus ipsis. *Ergo* conceptus universales habent aliquod fundamentum in re.

Confirmatur (ex sequelis absurdis). Si naturis per conceptus universales expressis nihil prorsus a rerum partibus responderet, iam in rebus nullus ordo esset, convenientia nulla, nullus nexus; et „universum" totum quoad realitatem suam in rudem indigestamque molem solutum esset.

630. ***Coroll.*** Ergo etiam sententia illorum reicienda est, qui obiectum ideae universalis dicunt esse ipsa singularia, ut apprehensa sunt *confusissime,* i. e. per praecisionem *formalem* tantum (quapropter hi „confundentes" vocati sunt).

[1] Cf. *Kleutgen,* Philosophie der Vorzeit n. 155.

Nam experientia teste confusione potest quidem parari imago quaedam multis rebus communis; sed nulla confusione conceptus vere universalis effici potest, quamdiu nota individualitatis aliqua ratione vel obscurissima intellectu retinetur. Sed haec nota ex conceptu obiectivo simpliciter eliminanda est. — Deinde ne fieri quidem potest, ut idea generis species omnes omniaque individua repraesentet, cum saepe accidat, ut haec cogitanti plane ignota sint. — Quinimmo nulla ratione praedicatum universale de re singulari vere dici posset, si in isto omnia singularia vel confusissime contenta essent. - Certum igitur est conceptum universalem ne confuse quidem complura et singularia exhibere, sed unum aliquid, i. e. naturam a notis individuantibus obiective praecisam.

631. ***Obi. 1.*** Conceptus universalis nullum habet fundamentum in re.

Prob. Fundamentum illud aut esset aliquid universale aut aliquid singulare; *atqui* neutrum dici potest; *ergo* nullum habet fundamentum.

Prob. min. per partes. 1. Non potest esse aliquid universale, nam tale in rerum natura nullum exsistit: 2. neque potest esse aliquid singulare, nam nihil potest esse ratio et fundamentum oppositi; *atqui* singulare et universale sunt opposita contraria; *ergo* singulare nequit esse fundamentum universalis.

Resp. *Trans. mai., trans. min. pars 1, nego min. partem 2. Ad eius prob. dist. mai.:* Sub eo respectu et in quantum sunt opposita, *trans. mai.;* sub alio respectu, sub quo non opponuntur, *nego mai. Dist. min.:* Singulare formaliter ut singulare opponitur universali formaliter ut universali spectato, *trans. min.;* natura, quae est singularis, opponitur naturae universali, *subdist. min.:* si ex essentia sua est unica et singularis uti essentia divina, *conc. min.;* si ex essentia sua non est unica uti omnis natura finita, *nego min. Pariter dist. cons.:* Singulare formaliter ut singulare non est fundamentum universalis, *conc. cons.;* natura, quae est singularis, nequit esse fundamentum universalis, *subdist. cons.:* natura essentialiter unica et singularis (divina), *conc. cons.;* natura finita, *nego cons.*

Obi. 2 (contra arg. 2). Quod de individuis vere praedicatur, non est conceptus universalis, sed natura individua; *ergo* argumentum 2 nihil probat.

Prob. antec. Si dico: Petrus est homo, dico identitatem inter subiectum et praedicatum; *atqui* subiectum est individuale; *ergo,* ut iudicium sit verum, etiam praedicatum debet esse individuale.

Resp. *Dist. mai.:* Dico identitatem conceptuum obiectivam, *conc. mai.;* etiam intrinsecam adaequatam identitatem praedico, *nego mai., conc. min. Pariter dist. cons.:* Praedicatum realiter seu materialiter, prout in subiecto realiter inest, debet esse natura humana individualis, *conc. cons.;* prout formali praedicatione exprimitur, *nego cons. Ad explicationem:* Quod formaliter *exprimo* praedicando „est homo", neque formaliter est singulare neque formaliter universale (cf. n. 648); quod autem revera conceptus *universalis* secundum *id quod* exprimit, de rebus praedicetur, inde elucet, quod idem prorsus nec plus nec minus nec ullo modo

aliud sciatur ex hac praedicatione, quando de hoc vel illo subiecto dicitur. (Petrus est homo. Filius Ionae est homo. Princeps apostolorum est homo. — Qui nesciverit haec subiecta esse identica, nullo modo ex his auditis concludere potest, utrum sint unus vel plures.)

§ 2. Refutatur realismus exaggeratus.

632. **Thesis 21.** **Universale platonicum, quod vocant, sive separatum et per se subsistens plane absurdum est.**

Ad stat. quaest. 1. Ex iis quae modo demonstrata sunt, constat non solum conceptus subiectivos universales esse, verum etiam iis obiectum in rerum natura aliquod respondere. Quaeritur iam, quomodo intellegenda sit illa obiectiva universalium realitas. Primo cum illis congrediendum est, qui obiectivam idearum universalium realitatem supra modum extollunt.

2. Haec thesis contra nonnullos platonicos ponitur, qui praeter res singulares putarunt esse communes rerum naturas et universales, quae aeternae, incorruptibiles, propria entitate et unitate reali praeditae extra res singulares et extra Deum per se et in se exsisterent, et quarum participatione tamquam ex veris principiis singularia constituerentur[1].

Has ideas universales arbitrati sunt esse quiddam obiectivum et a Deo et a rebus singularibus diversum. Has formas ponebat *Plato* „participari et ab anima nostra et a materia corporali. . . . Participatio autem ideae fit per aliquam similitudinem ipsius ideae in participante ipsam per modum, quo exemplar participatur ab exemplato“[2].

633. **Arg. 1** *(ex comparatione universalium per se subsistentium cum individuis).* Si res aliqua universalis, velut *homo,* separata a singularibus exsisteret, aut inveniretur etiam in singularibus aut non inveniretur; *atqui* neutrum dici potest; *ergo* res illa universalis separata non exsistit.

Prob. min. Si res illa universalis in singularibus inest, aut est res indivisa aut divisa. Si indivisa, iam singularia non sunt res complures, sed res una. Si divisa, iam res universalis, ut inest in una re, dividitur a se ipsa, ut est in ceteris, et realem pluralitatem involvit; id quod esse non posse nemo non videt. Si autem res illa universalis in singularibus non inest, iam res illa universalis universalis esse desinit; universalis enim res ea est, quae, etsi una est, tamen in multis inest. Et ex altera parte res singulares ipsae illa natura carent; velut si *homo* est extra

[1] Cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 84, a. 1. [2] Ibid. a. 4.

Socratem et *Platonem,* neque Plato homo dici potest neque Socrates. Quis vero non videt universale illud essentiale, quod de multis praedicatur, in illis multis intrinsecus inesse debere?

Vel sic: Si formae illae separatae exsisterent, iam natura, velut *humanitas,* separatim exsistens simul sub eodem respectu communis esset omnibus individuis, ut *Platoni, Socrati,* et non esset; communis esset, quia individuam essentiam constituit et de individuis praedicatur; non communis esset, quia ponitur ut res numero una in se ipsa exsistens. — Et revera, si dico: *Socrates est homo, leo est animal, hic lapis est substantia,* non haec est propositionis sententia: Ista sunt secundum ideas substantiae, animalis, lapidis, quas immediate intueor sive intuitus sum in se ipsis, sed mens proponentis est: Ista sunt homo, animal, substantia. *Atqui* nihil, quod ulla ratione a rebus ipsis separatum est, sive idea divina ponitur sive idea in se subsistens, ita cum veritate de rebus praedicari potest.

Arg. 2 *(ex comparatione generum et specierum).* Aut solae species ab individuis separatae sunt, aut etiam genera. Si solas species dicis, sunt universalia realia (genera), quae per se non subsistunt. Si etiam genera dicis, iam silvam ponis rerum universalium inter se per universalitatem devorantium.

Confirmatur 1° (ex eo quod accidentia universalia in se ipsis esse non possint). Si substantiae universales exsistunt separatae a rebus individualibus, id etiam de accidentibus putandum erit. Omnia enim argumenta, quibus adversarii universalia a parte esse ostendere volunt, etiam ad accidentia trahi possunt. *Atqui* accidentia separata esse non possunt universalia. Qui enim esse possit color indeterminatus vel motus localis in genere acceptus, qui nulli substantiae inhaereat?

Confirmatur 2° (ex inutilitate idearum platonicarum). Illud systema est reiciendum, quod non explicat id, ad quod explicandum assumptum est. *Atqui* id de ideis separatis illis dicendum est. Est enim hoc systema inventum, ut ostendat, qua ratione praedicata universalia cum rebus singularibus coniungere possimus eo modo, quo fit in iudiciis. Sed posito universali platonico crescit obscuritas. Quo enim pacto fieri possit, ut rem a re diversam et separatam per identitatem cum re coniungamus?

634. ***Scholion 1.*** Quae ipsius *Platonis* fuerit de natura idearum universalium sententia, gravis est inter philosophos dissensio.

Haec etsi ad logicam non spectat, cum tamen a nonnullis hoc loco agitetur [1], paucis saltem indicanda videtur. Peripateticorum plurimi, fulti auctoritate *Aristotelis* [2], censent Platonem posuisse universalia ut separata ab individuis et per se subsistentia [3], ita ut etiam a Deo separata sint.

[1] Cf. *Roselli,* Log. q. 5, a. 4. [2] Met. 1, 6.
[3] Cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 84, a. 4.

Contra ex platonicis plurimi volunt Platonis sententiam eam esse, ut hae ideae in ipso Deo reperiantur. Ex quibus alii Platonem pantheismum docuisse volunt; alii vero, inter quos *S. Augustinus*[1], Platonis sententiam ita interpretantur, ut sint ideae in mente divina exsistentes, a quibus tamquam a causis exemplaribus omnis cuiusque rei species et intellegibilitas deducatur.

Et recte quidem, si modum dicendi et mentem obviam spectes, Plato ab Aristotele reprehensus est. Exhibet enim (in Timaeo) Deum contemplantem ideas istas tamquam exemplaria, quae ipse imitaretur; has vero ideas esse causas efficaces vi aliqua quasi vitali praeditas.

At vero non videntur esse vituperandi, qui censent eam tantum Platonis mentem intimam fuisse, ut contra sensistas doceret revera esse stabiles rerum et aeternas rationes, quae essent verae scientiae firma fundamenta[2]. Certum est Platonem, quid ipse senserit, exposuisse obscurius.

Scholion 2. Iisdem fere argumentis, quibus universale platonicum sive ideae separatae in se subsistentes reiectae sunt, etiam sententia refutari potest *Avicennae* (n. 621). Reiectus quoque est error ille de quodam intellectu universali, quem statuit *Averroes*[3]; atque etiam theoria „rationis impersonalis", proposita a *Vict. Cousin.*

Scholion 3. Nonnumquam universale spectata sententiarum varietate dividi solet in universale post multa, universale ante multa, universale in multis.

Universale post multa est vox vel conceptio, quae multa singularia similia respicit et post multa singularia similia ab hominibus efformata est; estque universale nominalisticum, quod confutavimus. Universale ante multa est idea individuas naturas praecedens, estque universale illud platonicum, quod etiam refutatum habemus. Restat ut videamus, universale in multis qua ratione concipiendum sit.

635. **Thesis 22.** **Etiam universale realisticum vel formalisticum, quod vocant, sive quod iam ante intellectus operationem in rebus ipsis formaliter inesse dicunt, omnino absurdum est.**

Ad stat. quaest. 1. Refutatis nominalistis quaerendum erat, utrum exsisterent extra intellectum, quae formaliter essent universalia, id quod platonicis et ultra-realistis placuit, an fundamentum tantum universalitatis reperiretur extra intellectum.

[1] 83 Quaest. q. 46, n. 2. [2] Cf. *Platon,* Soph. 246 A sqq.

[3] De quo philosopho *S. Thomas:* „Non tam fuit peripateticus, quam peripateticae philosophiae depravator" (Opusc. 15: De unitate intellectus contra averroistas).

Et refutatis platonicis nunc ultra-realistas impetimus, qui res ipsas formaliter universales ponunt extra nos, non tamen ab individuis separatas, sed in ipsis singulis rebus ut formaliter universales exsistentes. Hi igitur realitatem universalium ita tuentur, ut in rebus esse contendant non solum naturam sive essentiam, cui post mentis operationem universalitas conveniat formaliter, sed etiam ipsam universalitatem formaliter acceptam.

2. Thesis nostrae ea est vis, ut negemus ullam naturam sive essentiam, omissa mentis nostrae operatione, illam unitatem habere formaliter, qua ipsa simul compluribus communicari possit ita, ut in his compluribus multiplicetur.

Nihil plane, i. e. nullam naturam sive essentiam dicimus ex se et a parte rei sive in statu physico (vel metaphysico proximae possibilitatis) hinc extra statum logicum sive abstractionis universalem esse.

3. Inter eos, qui hunc realismum exaggeratum defendunt, nominari solet imprimis *Guilelmus Campellensis* († 1121), qui *Abaelardo* teste ipsas rerum naturas universales esse docuit, atque essentiam in unoquoque individuo alicuius speciei ita totam inesse, ut individua quoad essentiam non modo essent similia, sed plane identica et solis accidentibus inter se differrent. Postea autem Guilelmum mutasse sententiam refert *Abaelardus* ab ipso convictum: „Sic autem istam suam correxit sententiam, ut deinceps rem eandem, non *essentialiter,* sed *indifferenter* diceret.“ [1] „Socrates, in quantum est Socrates, nullum prorsus indifferens habet, quod in alio inveniatur; sed in quantum est homo, plura habet indifferentia (i. e. quibus non differt), quae in Platone et in aliis inveniuntur. Nam et Plato similiter est homo ut Socrates, quamvis non sit idem homo essentialiter, qui est Socrates. Idem de animali et substantia.“ [2] Igitur „nihil omnino est praeter individuum, sed et illud, aliter et aliter attentum, species et genus et generalissimum est“ [3].

636. **Arg. 1** *(ex comparatione naturae in se universalis cum natura singulari).* Si aliqua natura in se formaliter universalis est, nullo modo, retenta hac universalitate, singularis fieri potest; *atqui* natura in unaquaque re singulari singularis est; est enim determinata et in re omni ab omni alia re distincta; *ergo* natura in se universalis esse non potest.

[1] *V. Cousin,* Fragments philosophiques II 114 (alii loco ‚individualiter‘ habent ‚indifferenter‘).
[2] Ibid. 122 146. [3] Ibid. 122.

Prob. mai. Ratio, quae naturam in se universalem singularem redderet, eam penitus sic afficere deberet, ut destructa universalitate et multiplicabilitate eam totam singularem redderet et immultiplicabilem secundum integram suam entitatem. *Atqui* id fieri nequit.

Arg. 2 *(ex praedicatione naturae de individuis).* Si quis dicit: *Petrus est homo,* ea est vis praedicationis, ut, quidquid secundum comprehensionem in praedicato continetur ut toti conveniens, id etiam conveniat subiecto. Si igitur homo ex se universalis est, etiam Petrus universalis erit.

Prob. Quidquid enim naturae alicui realiter ex se convenit, id convenit etiam individuis eam naturam habentibus. Si ergo natura subsistens in Petro universalis est, Petrus ipse est et nominari debet universalis. *Atqui* hoc evidenter repugnat. *Ergo* repugnat natura universalis a parte rei.

637. **Arg. 3** *(ex repugnantia inter realem eiusdem rei unitatem et multiplicitatem).* Natura illa, quae universalis esse dicitur, aut multiplicabilis est, aut non est. *Atqui* a) si non est multiplicabilis, non est universalis: nam id tantum universale est, quod, cum sit unum, in multis multiplicari potest. b) Si est multiplicabilis, sequitur eam esse unam simul et plures, indivisam et divisam. Et fac naturam multiplicari, certe hae naturae multiplicatae inter se differunt propter multiplicationem, et multae simpliciter singulares naturae sunt, nec ulla ratione universales. *Ergo* nulla esse potest natura universalis exsistens.

Arg. 4 *(ex consideratione naturae genericae et specificae).* Si naturae sunt a parte rei universales, sine dubio non solum specificae, sed etiam genericae hac dote praeditae sunt. At cum genera essentias incompletas significent, in se ut genera a parte rerum sola exsistere non possunt.

638. ***Obi. 1.*** Obiectum nostrae cognitionis et scientiae debet esse reale; *atqui* obiectum nostrae cognitionis est universale; *ergo* universale debet in ipsis rebus formaliter inesse.

Resp. *Dist. mai.:* obiectum cognitionis et scientiae directae, *conc. mai.;* obiectum cognitionis et scientiae reflexae, *subdist. mai.:* Debet formaliter spectatum in rebus ipsis esse, *nego mai.;* debet et ipsum habere fundamentum in rebus, *conc. mai. Contradist. min.:* Obiectum nostrae cognitionis et scientiae est universale, i. e. essentia, cui accidit forma universalitatis, *conc. min.;* est ipsa universalitas, *subdist. min.:* obiectum cognitionis et scientiae reflexae, *conc. min.;* directae, *nego min.*

Inst. Obiectum praeexsistit actui facultatis, quae in illud tendit; *atqui* universale est obiectum cognitionis intellectus; *ergo* universale praeexsistit actui intellectus.

Resp. *Dist. mai.:* Praeexsistit actui facultatis id, circa quod versatur actus, *conc. mai.;* praeexsistit modus, quo versatur actus circa illud, *subdist. mai.:* fundamentaliter, *trans. mai.;* formaliter, *nego mai. Contradist. min.:* Essentia, quae universalis est, obiectum cognitionis est, *conc. min.;* ipsa universalitas, *subdist. min.:* cognitionis reflexae, *conc. min.;* directae, *nego min.*

Obi. 2. In pluribus individuis natura est una eademque etiam ante operationem intellectus; *atqui* natura una, quae est in pluribus individuis, est natura universalis; *ergo* est ex se universalis.

Resp. *Dist. mai.:* Natura ante operationem intellectus est in pluribus eadem identitate reali, *nego mai.;* identitate logica, *subdist. mai.:* fundamentali, *conc mai.;* actuali, *nego mai., contradist. min.*

Obi. 3. Natura per se indifferens, ut sit in pluribus, nec postulat esse potius in hoc quam in illo; *ergo* ex se est universalis.

Resp. *Dist. antec.:* Natura abstracta seu abstracte concepta est indifferens, ut sit in pluribus, nec postulat esse potius in hoc quam in illo, *conc. antec.;* natura realiter exsistens, *subdist. antec.:* Est indifferens ita, ut non excludat alia individua similia, *conc. antec.;* est indifferens ita, ut possit eadem esse in aliis individuis, *nego antec. Dist. cons.:* Ergo ex se est universalis fundamentaliter, *conc. cons.;* formaliter, *nego cons.*

Obi. 4. Definitio exprimit naturam realem; *atqui* una est definitio individuorum eiusdem speciei; *ergo* una est natura eorundem.

Resp. *Dist. mai.:* Definitio exprimit naturam realem quoad id, quod constituit naturam, *conc. mai.;* quoad modum, quo natura in rebus exsistit, *nego mai., conc. min. Dist. cons.:* Una est natura unitate logica, *conc. cons.;* unitate reali, *nego cons.*

639. ***Obi. 5.*** Essentiae universales sunt aeternae et necessariae; *atqui* essentia identica cum individuis nequit esse aeterna et necessaria; *ergo* universalia sunt ab individuis realiter distincta.

Resp. *Dist. mai.:* Essentiae universales sunt aeternae prout reales, i. e. physice actuales sunt, *nego mai.;* prout abstracte conceptae, *subdist. mai.:* aeternitate positiva, *nego mai.;* aeternitate negativa, *conc. mai.* Scilicet nec habent neque postulant, ut actu semper sint, sed indifferentiam exhibent ad quamvis partem temporis indefinite sumpti. (Item essentiae universales sunt necessariae quoad exsistentiam, *nego mai.;* quoad notas, quibus constant, quatenus necesse est, ut iis et non aliis notis constent, *conc. mai.*) *Contradist. min.:* Essentia identica cum individuis nequit esse aeterna, prout realiter exsistit, *conc. min.;* prout abstracte concipitur, *subdist. min.:* aeternitate positiva, *conc. min.;* negativa, *nego min.* (Item nequit esse necessaria quoad exsistentiam, *conc. min.;* quoad notas, quibus constare debet, *nego min.*)

Obi. 6. Deus est una natura in tribus personis realiter distinctis; *ergo* saltem in Deo habetur universale formale a parte rei.

Resp. *Dist. antec.:* Est una natura identice communis, *conc. antec.;* est una natura multiplicata seu divisa, *nego antec., nego cons.*

Obi. 7. Christus Dominus est totus in singulis hostiis consecratis: *ergo* datur universale a parte rei.

Resp. *Dist. antec.:* Multiplicatus seu cum multiplicatione naturae, *nego antec.;* multilocatus seu cum multiplicatione praesentiae, *conc. antec.*

§ 3. Statuitur realismus moderatus et verus.

640. **Thesis 23.** **Universalitas omnis ab intellectu constituitur cum fundamento in re, et quidem universale directum per abstractionem, universale reflexum per operationem intellectus reflexione ontologica comparativam.**

Ad stat. quaest. 1. Triplex generatim distinguitur a scholasticis universalitas: in causando, in repraesentando, in essendo et consequenter etiam in praedicando.

a) *Universale in causando* dicitur illud, quod multa potest producere. Hac ratione etiam ipse Deus universalis dicendus est, quatenus non solum multa, sed omnia produxit seu creavit, quae praeter ipsum exsistunt.

b) *Universale in repraesentando* est illud, quod multa potest repraesentare seu cognoscere. Etiam haec universalitas convenit ipsi Deo.

c) *Universale in essendo* (et consequenter *in praedicando*) est illud, quod potest inesse in multis et consequenter etiam de multis praedicari. Haec universalitas, uti ex dicendis patebit, nullo modo convenit naturae divinae, sed tantum naturis finitis.

Sicut in iis, quae constituta sunt hactenus, ita etiam in hac thesi de eo agitur, quod est universale in essendo et quod consequens est in praedicando.

641. 2. Definitur hoc universale: *unum aptum, ut compluribus insit et consequenter de compluribus praedicetur, idque univoce et divisim.* Quattuor ad universalitatem requiruntur: *unitas,* aptitudo essendi in multis et praedicationis de multis sive *communicabilitas, univocatio, divisio* sive multiplicatio.

Primo *unitatem* aliquam universale postulat, non quidem numericam sive individualem, sed eam quae communicationi vel saltem communicabilitati supponitur; quam unitatem dicere possumus logicam.

Deinde unitati *aptitudo* illa ut insit in pluribus accedit. Actualis enim communicatio in multis ad rationem naturae universalis non requiritur, sed satis est communicabilitas.

Requiritur autem *univocatio,* i. e. ut unum illud de multis eodem modo et eodem sensu praedicetur; nam aequivoca et analoga a ratione veri universalis excluduntur.

Ut insit *divisim* natura universalis in rebus compluribus, requiritur. Nisi enim natura illa ita inest in multis, ut ipsa natura multiplicetur et numerari possit, vere universalis non est. Unde natura divina, quam ex revelatione christiana unam scimus in tribus personis subsistere, universalis non est; in personis enim non divisim est, sed indivisim, sive inest in tribus sine ulla sui multiplicatione, ita ut de tribus in numero plurali efferri non possit. Hanc igitur condicionem a philosophis christianis additam invenimus.

3. In universali distingui solet universalitatis *materia* sive subiectum, quod est et dicitur universale, et *forma,* quae est ipsa universalitas. Ex supra disputatis apertum est materiam universalitatis neque nomina esse neque conceptus formales neque ideas in se subsistentes, sed esse essentias sive naturas rerum finitarum tum substantiarum tum accidentium. Certum est igitur naturas rerum esse universales in essendo et in praedicando; nam natura ipsa est una eademque specie in hac re et in illa re, et de hac re et de illa re vere praedicatur. Nunc videndum est, unde ipsa *forma,* quae est universalitas, trahenda sit.

642. 4. Universalitatem per operationem intellectus constitui dicimus. Si enim res ipsae ex se non sunt formaliter universales (thesis 21 et 22), et tamen conceptus universales in rebus habent fundamentum (thesis 20), nihil aliud relinquitur, nisi ut universalitas efficiatur operatione intellectus abstractiva[1] (n. 72) seu accuratius praecisiva. Abstractionem diximus esse eam operationem mentis, qua ex pluribus naturaliter *coniunctis* unum attendit, aliis (non negatis quidem, sed) omissis. Vocatur praecisio, si agitur de abstractione ex realiter *identificatis,* ratione tamen distinctis.

[1] „Cum dicitur universale abstractum, duo intelleguntur, scilicet ipsa natura rei et abstractio seu universalitas. Ipsa igitur natura, cui accidit vel intellegi vel abstrahi vel intentio universalitatis, non est nisi in singularibus; sed hoc ipsum, quod est intellegi vel abstrahi vel intentio universalitatis, est in intellectu. Et hoc possumus videre per simile in sensu. *Visus* enim videt *colorem pomi* sine eius odore. Si ergo quaeratur, ubi sit color, qui videtur sine odore, manifestum est, quod color, qui videtur, non est nisi in pomo. Sed quod sit sine odore perceptus, hoc accidit ei ex parte visus, in quantum in visu est similitudo coloris et non odoris. Similiter humanitas, quae intellegitur, non est nisi in hoc vel in illo homine; sed quod humanitas apprehendatur sine individualibus condicionibus, quod est ‚ipsam abstrahi', ad quod sequitur intentio universalitatis, accidit humanitati, secundum quod percipitur ab intellectu, in quo est similitudo naturae species, et non individualium principiorum." *S. Thom.,* S. th. 1, q. 85, a. 2 ad 2.

5. Duplex est distinctio rationis, scil.: a) *Distinctio rationis ratiocinantis sive pure mentalis* ea est, quae nullum habet fundamentum *in re*, sed in qua tota ratio distinguendi est aliquid rei extrinsecum, velut diversitas nominum vel cognitio plus minusve distincta. Sic distinguuntur v. g. Tullius et Cicero, homo et animal rationale (generatim definitio et definitum).

b) *Distinctio rationis ratiocinatae sive distinctio rationis cum fundamento in re*, quae etiam a multis vocatur distinctio virtualis. — Pro diversitate fundamenti est iterum aut *α)* distinctio rationis cum *fundamento perfecto (virtualis perfecta)*, aut *β)* distinctio rationis cum *fundamento imperfecto (virtualis imperfecta)*.

Fundamentum scil. distinctionis in eo est, quod una eademque realitas physica vere in se contineat plures perfectiones, quarum una sine alia cogitari et una sine alia in aliquo ente verificari possit. Ita v. g. anima est substantia spiritualis. Tum conceptu substantiae tum conceptu spiritualis cogitamus aliquam perfectionem, quae animae vere convenit, et quidem in ipsa anima utraque perfectio realiter identificatur. At nihilominus perfectio, quam cogitamus conceptu substantiae, verificatur etiam in lapide, in quo nullo modo perfectio spiritualitatis invenitur.

6. Conveniunt omnes, operationem illam, qua universalitas efficiatur, esse aliquam mentis apprehensionem, sed disputant, sitne apprehensio sola abstractiva, an accedere debeat etiam comparativa. Quam controversiam nos in thesi ita discernimus, ut statuamus ad universale directum (in essendo, primae intentionis) sufficere abstractionem, ad universale reflexum (in praedicando, secundae intentionis) requiri etiam reflexionem ontologicam comparativam.

643. 7. Hac thesi sententia ut vera statuitur, quae inter omnem nominalismum et exaggeratum realismum est media, et *realismus moderatus* vocatur (ab aliquibus conceptualismus dicitur). Hanc doctrinam proposuit *Aristoteles*[1]. Eam profitentur *Albertus Magnus*,

[1] Multis locis; inter alios De anima 2, 5 (417 b 23): ἡ ἐπιστήμη τῶν καθόλου· ταῦτα δ' ἐν αὐτῇ πώς ἐστι τῇ ψυχῇ. Cf. *S. Thom.* in l. 2 de anima lect. 12; S. th. 1, q. 13, a. 9. Alio loco haec dicit *Aquinas:* „Eorum, quae significantur nominibus, invenitur triplex diversitas. Quaedam enim sunt, quae secundum esse totum completum sunt extra animam; et huiusmodi sunt entia completa, sicut *homo* et *lapis*. Quaedam autem sunt, quae nihil habent extra animam, sicut somnia et imaginatio chimaerae. Quaedam autem sunt, quae habent fundamentum in re extra animam: sed complementum rationis eorum quantum ad id, quod est formale, est per operationem mentis, ut patet in universali. Humanitas enim est aliquid in re, non tamen ibi habet rationem universalis, cum non sit extra animam aliqua humanitas multis communis; sed secundum

S. Thomas, S. Bonaventura, doctorum pars maxima, estque sententia communis.

644. Pars I. Universale directum (in essendo) constituitur per abstractionem cum fundamento in re.

Argumentum *(ex natura obiecti et intellectus humani).* Ut universale constituatur, duo imprimis necessaria sunt: primo ut id, quod universale dicitur, sit quodammodo unum, deinde ut hoc unum in compluribus individuis realiter multiplicari possit, sive ut sit compluribus communicabile. *Atqui* haec duo, *unitas* et *communicabilitas,* quae a parte rei ante intellectus operationem rebus non conveniunt, tamen conveniunt iisdem, ut operationi intellectus abstractivae et praecisivae subsunt; neque tamen id sine fundamento, quod est in rebus. *Ergo* universale per intellectus operationem constituitur cum fundamento in re.

Prob. min. per partes. 1. Intellectus operatione abstractiva et praecisiva fit, ut naturis conveniat unitas et communicabilitas. Quamquam enim in individuis inter naturam eiusque singularitatem sive individualitatem non est distinctio *realis,* quoniam tamen determinatus ille exsistendi modus, qui singularium sive individuorum proprius est, non est de ratione ipsius naturae per se spectatae, fundamentum adest ad distinctionem *rationis* inter naturam eiusque singularitatem, ita ut in definitione conceptuve naturae nullo modo lateat singularitas, neque in definitione conceptuve singularitatis lateat natura. Intellectus ergo naturam ab illo determinato modo, haecceitate videlicet, obiective abstrahere et praecidere eamque sine condicionibus individuantibus percipere potest. Et natura ita obiective abstracta et praecisa iam *formaliter est universalis.* Nam novum quendam in statu logico exsistendi modum accipit, qui est modus separationis ab haecceitate, secundum quem exsistendi modum ita est positive una sive in se indivisa, ut nihilo secius sit compluribus communicabilis et in his realiter multiplicabilis, utpote ab omnibus condicionibus individuantibus exuta et hinc ab omni singularitatis unitate libera. Hoc universale directum (in essendo, metaphysicum, primae intentionis) dividitur in categorias seu praedicamenta (cf. n. 90 sq).

---

quod accipitur in intellectu, adiungitur ei per operationem intellectus intentio, secundum quam dicitur species; et similiter est de tempore, quod habet fundamentum in motu, scilicet prius et posterius ipsius motus: sed quantum ad id, quod est formale in tempore, scilicet numeratio, completur per operationem intellectus numerantis. Similiter dico de veritate, quod habet fundamentum in re; sed ratio eius completur per actionem intellectus, quando scilicet apprehenditur eo modo, quo est" (1 dist. 19, q. 5, a. 1).

2. Fundatur haec universalitas proxime in similitudine reali quoad naturam. Atque ita fundamentum sunt individua ipsa realiter in se quoad essentiam conformia, quae cum apprehendit intellectus cognitione praecisiva, essentias singulorum apprehensas et inter se comparatas unico exprimit conceptu, quia in unum revera conceptum sic abstractae ex se coadunantur. Fundamentum autem ultimum et remotum universalitatis ex una parte est rerum creatarum contingentia vel natura finita, quatenus ea in formali suo conceptu rationem individuationis et exsistentiae actualis non includit. Ex altera parte est intellectus divinus, quatenus exhibet rerum creandarum ideas, secundum quas multae res inter se quoad naturam conformes produci possunt.

645. Pars II. Ad universale in praedicando (reflexum) praeter abstractionem requiritur reflexio ontologica comparativa, non quidem, ut universale constituatur in universalitate, quae simul est praedicabilitas in actu primo, sed ut haec praedicabilitas ponatur in actu secundo, atque ita ad praedicationem actualem expediatur.

Natura praecisive cognita de facto iam *est* formaliter universalis, sed ipsa universalitas qua talis *nondum* actualiter *cognoscitur;* nondum enim respectus ille cognoscitur, quem illa natura ad inferiora dicit ut res una, quae multis inesse et ita de multis praedicari possit. Is respectus ut cognoscatur, ad cognitionem praecisivam accedere debet *comparativa.* Intellectus enim cum naturam praecisive conceptam *reflexione ontologica* considerat et deinde eam comparat cum individuis, in quibus est vel saltem inesse potest, illam deprehendit ut aliquid ordinem dicens ad individua seu ut superius aliquid respiciens sua inferiora.

Natura autem hoc modo per comparationem mentis ad individua relata constituit universale in *praedicando,* et vocatur *universale reflexum* seu *logicum* seu *praedicabile* (genus, species) seu *secunda intentio.* Dividitur in quinque praedicabilia (cf. n. 86 sq).

646. ***Scholion 1.*** In universali logico, quatenus id per modum rei concretae exprimitur (velut *homo*), duo attendi possunt: forma *(humanitas)* et subiectum *(habens humanitatem).* Quod formam attinet, illud a singularibus omnino abstractum esse nemo non videt. Numquid etiam quoad subiectum omnino abstractum est?

Qui *negant,* hoc modo philosophantur: Cum concretum hoc distincte quidem formam, sed confuse etiam subiecta significet, subiecta autem, quae formas habent, singularia sint, concretum nullum a singularibus omnino abstrahi potest. Ad universale igitur logicum spectato subiecto, quod in eo confuse exprimitur post abstractionem, requiritur apprehensio, quae *confusiva* vocari potest. Itaque universalitas pura in iis tantum

habetur, quae per modum essentiae sive naturae abstractae exprimuntur. In iis autem, quae per modum rei concretae significantur, secundario aliquid singularitatis confuse conceptae admisceri videtur. Praedicans enim concrete: N. N. est homo, videtur dicere: est *aliquis* homo (individuum indeterminatum). — Qui contra *affirmant,* hi concretum non solum formam, sed etiam subiectum respicere concedunt; negant autem subiecta necessario ut singularia concipienda esse. Hi igitur tenent a concipiente subiectum etiam subiecti singularitatem per abstractionem omnino omitti posse; atque hoc rectius dicitur.

647. ***Scholion 2.*** Triplex est secundum *S. Thomam* alicuius naturae sive essentiae consideratio[1]. Primo enim considerari potest secundum esse, quod habet in individuis, sive in statu *concretionis* ad individua. Deinde secundum esse intellegibile sive in statu *praecisionis* ab omnibus principiis individuantibus. Tertio secundum esse *absolute* spectatum, sive ut ab utroque statu, concretionis et praecisionis, abstrahit et naturam tantum relate ad ea considerat, quae ipsi in se et per se conveniunt.

Homini in statu concretionis considerato accidit, ut sit individualis, *aegrotus, doctus, Africanus,* alia. In statu praecisionis *homini* convenit esse unum actu et multos potentia, esse speciem, praedicatum, alia. *Homini* autem absolute spectato tantum attributa essentialia et propria conveniunt. Haec autem attributa, quae naturae in statu absoluto consideratae conveniunt, eadem omnia necesse est conveniant eidem etiam in statu concretionis et abstractionis.

Natura igitur absolute spectata positive est neque singularis neque universalis; et ab omnibus attributis abstrahit, quae ex duplici illo statu proveniunt. Unde consequens est, ut natura absolute spectata ad singularitatem et universalitatem indifferens sit.

Ad statum *concretionis* quod attinet, observare per transennam liceat, hunc in ordine duplici reperiri posse: exsistentiae actualis sive physicae, et possibilitatis, qui est ordo metaphysicus possibilitatis proximae. Nam sicut quae actu exsistunt, sunt individualia, ita etiam quae possibilia considerantur in potentia ad exsistendum proxima.

648. ***Scholion 3.*** De praedicatione ipsa non est supervacaneum observare, in ipso actu praedicationis (velut cum dico: *Socrates est homo*) praedicari *formaliter* solummodo naturam absolute spectatam. Non igitur praedicatur universale secundum universalitatem acceptum; sic enim universali per modum rei concretae significato praefigi semper potest particula „omnis", et ea potestate esset propositio, qua *Socratem esse omnem hominem* quis diceret; id quod falsum est. Neque natura ut singularis praedicatur. Praedicationis enim ea est ratio *formalis,* ut subiecto *(Socrati)* inesse

[1] Cf. *S. Thom.,* Opusc. 30: De ente et essentia c. 4.

praedicata essentialia naturae *(humanitatis)* affirmetur; non tamen formaliter et explicite affirmatur Socratem esse *hunc hominem*. *Materialiter* praedicatum idem dicit ac *subiectum*.

Natura absolute spectata praedicatur formaliter et explicite, at in obliquo (Petrus est *homo*, i. e. aliquis *habens humanitatem*), natura singularis (hoc individuum habens humanitatem) implicite tantum, sed in recto.

„Sciendum est, quod in qualibet propositione affirmativa vera oportet, quod praedicatum et subiectum significent idem secundum rem aliquo modo et diversum secundum rationem. Et hoc patet tam in propositionibus, quae sunt de praedicato accidentali, quam in illis, quae sunt de praedicato substantiali. Manifestum est enim, quod *homo* et *albus* sunt idem subiecto et differunt ratione, alia enim est ratio *hominis* et alia ratio *albi*. Et similiter, cum dico: *Homo est animal;* illud enim ipsum, quod est *homo,* vere *animal* est; in eodem autem supposito est et natura *sensibilis,* a qua dicitur *animal,* et natura *rationalis,* a qua dicitur *homo*. Unde et hic etiam praedicatum et subiectum sunt idem supposito, sed diversa sunt ratione." Quinimmo in propositionibus, „in quibus idem praedicatur de se ipso, hoc aliquo modo invenitur, in quantum intellectus id, quod ponit ex parte subiecti, trahit ad partem suppositi; quod vero ponit ex parte praedicati, trahit ad naturam formae in supposito exsistentis, secundum quod dicitur, quod *praedicata tenentur formaliter, et subiecta materialiter*. Huic vero diversitati, quae est secundum rationem, respondet pluralitas praedicati et subiecti; identitatem vero rei significat intellectus per ipsam compositionem" [1].

649. ***Scholion 4.*** Cum *unum* generatim sit illud, quod est indivisum in se et divisum a quolibet alio: sicut triplex est alicuius naturae consideratio, ita etiam *unitas* naturae triplex distinguitur.

Prima est *unitas individualis* (numerica, physica, realis), quae naturae in statu concretionis convenit, et multiplicationem sive multiplicabilitatem illius naturae unius positive excludit.

Altera est *unitas universalis* vel logica (generica aut specifica), quae naturae in statu praecisionis convenit et multiplicationem sive multiplicabilitatem illius naturae unius positive includit. Ex quo perspicuum est unitatem individualem et universalem inter se esse oppositas atque inter se excludere, ut multiplicabile et non multiplicabile.

---

[1] *S. Thom.*, S. th. 1, q. 13, a. 12.

Tertia est *unitas essentialis* sive formalis, quae naturae absolute consideratae convenit, sive naturae non in aliquo statu acceptae, sed secundum propriam suam rationem, qua est talis natura et non alia. Quae unitas essentiae propria est, et quia cum natura sive essentia necessario est coniuncta, essentiam in omnem statum sequitur. Sicut porro ipsa essentia sive natura absolute spectata ad statum utrumque, universalitatis et singularitatis, est indifferens, ita etiam haec unitas ad unitates alias, universalem et individualem, indifferens est. Ex qua indifferentia efficitur, ut non sit unitas positiva, sicut est unitas individualis et universalis, sed negativa tantum.

650. ***Scholion 5.*** *De opinionibus aliquot minus accuratis circa universalia.*

1. *P. Fonseca*[1] pro natura finita posuit aliquam universalitatem in statu possibilitatis, quae naturae solitariae competeret, antequam ad singularia contraheretur. Nam universale est unum aptum inesse in multis; sed natura possibilis, antequam singularitate ad individua contrahatur, est una et est apta, ut insit in multis. Ergo natura possibilis est vere universalis.

Haec sententia non satis accurate distinguit inter duplicem differentiam et oppositionem. Singularitas opponitur universalitati, existentia opponitur possibilitati. Sed quoad universalitatem et singularitatem status possibilitatis statui exsistentiae actualis respondet. Cum natura actu exsistens non universalis, sed singularis sit, etiam natura possibilis singularitate non caret. Et quamvis natura possibilis per singularitates actuales contracta non sit, est tamen contracta per singularitates possibiles. — Neque praeter statum possibilitatis ullus status *realis* solitudinis vel indifferentiae, qui sit extra Deum et naturas rerum singulares antecedat, ut status cuiusdam universalitatis excogitari potest. Nam distinctio inter naturam ut sic et individuationem non realis est, sed rationis tantum; ergo status naturae ab individuatione solutus rebus convenire non potest nisi per operationem mentis. — Neque audiendi sunt, qui Fonsecam recte docuisse putant naturam in statu praecisionis habere indifferentiam ad hanc vel illam rem singularem, quae consisteret in negatione determinationis ad hanc vel illam rem; et hoc satis esse, ut natura dicatur una ex rerum partibus. Nam ex rerum partibus natura omnis determinata est, ut sit res haec aut illa.

[1] L. 5 met. c. 28, q. 3.

651. 2. *Scotistarum* non pauci adhibentes distinctionem, quae passim vocatur scotistica sive „formalis ex natura rei“ - quae inter ea intercedat, quae, quamvis non sint alia et alia realitas, sint tamen alia et alia formalitas — docent naturam ita in individuis exsistere, ut, quamvis cum his re identificetur, tamen ex natura rei formaliter distincta maneat; eamque hoc modo, quae secundum se iam sit formaliter et positive una, quodammodo in potentia universalem esse, cum intellectus eam facili negotio a singularitatibus liberare possit.

Et huius unitatis a parte rei formalis aliam alii causam proferunt. Sunt qui ex ipsa *distinctione formali* unitatem illam deducere conentur. Cum enim propter hanc distinctionem natura sit quodammodo extra singularitates sive haecceitates, iam natura, velut *humanitas,* nulla habet in se principia dividentia, et invenitur una et eadem in omnibus hominibus. Nec humanitas Socratis differt ab humanitate Platonis nisi ratione haecceitatum, quae extra naturam sunt. Haec unitas est minor quidem quam numerica, est tamen ex parte rei formalis et essentialis.

Ad hanc sententiam dicendum est distinctionem scotisticam nulla ratione admitti posse. Nulla enim est distinctio, quin sit aut a ratione aut a parte rei. Scotistae eam dicunt esse a parte rei. Sed tum aut actu est aut virtute; si actu, est distinctio realis; sin virtute, nihil est nisi unius realitatis pluribus aequivalentia, ex qua fit, ut id quod re omnino unum est, pluribus aequivaleat. Haec distinctio virtualis est quidem a parte rei: quae autem distinguuntur virtualiter a parte rei, non proprie distinguuntur a parte rei, sed tantum virtutem habent fundandi in mente distinctionem rationis ratiocinatae. Atque ita haec distinctio non tam est distinctio quam fundamentum distinctionis. Neque unitas sive generica sive specifica est ex rerum partibus, sed tota ex operatione intellectus resultat.

Sed obicies: Socrates et Plato in natura humana non differunt; *ergo* natura humana in hominibus omnibus est positive una.

Resp. Dist. antec.: Homines individui, naturam humanam quod spectat, non sunt dissimiles, *conc. antec.;* habent unam realiter naturam, *nego antec.*

Inst. Humana natura, quam illi habent, non habet in se principia dividentia, sed tantum extra se in singularitatibus; *ergo* natura humana est una et indistincta in omnibus.

Resp. Negandum est naturam humanam a parte rei a singularitate distinctam esse. Nam natura et singularitas sunt unum quid; unde natura, non quidem formaliter et in conceptu, tamen realiter et identice sua principia dividentia includit.

652. 3. Alii, in quorum numero est *Mastrius*[1], ex naturae *indifferentia* rationem unitatis repetunt. Et hi quidem agnoscunt tot esse naturas humanas, quot sint homines singulares, affirmant vero naturam ideo ex parte rei universalem esse, quod natura humana, quae inest in Socrate, ex se indifferens sit, ut etiam insit in Platone, in aliis hominibus. Et ea est naturae humanae indoles, ut, si posset esse sine singularibus, esset omnino una et indivisa, quae per solas singularitates dividatur. Quamvis igitur natura humana (impediente singularitate, qua multiplicatur) non sit una positive, est tamen una privative, quatenus, si sine singularitate esse posset, una esset.

Neque haec sententia admitti potest. Nam sola illa indifferentia, qua fit, ut natura humana, quae inest in Socrate, abiecta socrateitate etiam in Platone inesse possit, non satis est, ut illa natura revera universalis esse putetur. Universale enim illud unum est, quod in multis ita inesse possit, ut in iis multiplicetur; neque est instar gladii, qui aptus et indifferens est, ut in multas (sensu diviso acceptas) vaginas immitti possit.

Praeterea falsum est naturam, quae insit in Socrate et in Platone, realiter unum quid et idem esse, nisi essent additae singularitates. Si enim essent unum idemque omissis singularitatibus, etiam idem essent et unum singularitatibus additis. Nulla enim res in se una per realitatis alicuius additionem in res complures dividitur.

At, *inquies,* sublatis singularitatibus iam haec natura non esset haec, nec illa esset illa; non ergo distinguerentur. Verum *observes* velim, cum suppositio, quam facis, impossibilis sit, inde aequo iure utramque partem contradictionis trahendam esse, ita ut simul distinguerentur illae naturae et non distinguerentur. Distinguerentur, quia eaedem manerent, atque nunc sunt distinctae in se ipsis; ex altera parte non distinguerentur, quia illa sublata esse ponis, quibus natura haec est haec et natura altera est altera.

653. 4. Alii ut unitatem naturae ex *conformitate vel similitudine* rerum reali trahant, contenti sunt. Nam nihil aliud, inquiunt, requiritur ad universalitatem realem, nisi ut natura ex se sit una et apta, ut insit in multis. Atqui conformitas vel similitudo satis est, ut in natura exoriatur haec unitas et aptitudo. Ita natura humana etsi in individuis est multiplex numero, est tamen una in iis specie.

Qui ita docent, concedunt naturam communem habere solam unitatem similitudinis sive conformitatis; sed addunt eius generis

[1] Philosophia ad mentem Scoti, Venet. 1708, Log. disput. 4, q. 1, art. 1 sq.

unitatem ad constituendum universale a parte rei satis esse. Sed in hoc errant; nam ad constituendum illud universale, quod conceptu nostro exprimitur, non sufficit multorum similitudo, sed requiritur aliquid, quod formaliter est unum sive perfecte in se indivisum et simul multiplicabile. Realis multorum similitudo recte quidem dici potest esse unitas fundamentalis, quae operatione intellectus ad unitatem formalem reduci potest. Sed ipsa formalis unitas non est, quinimmo potius formalis est extremorum multiplicitas.

Sed *oppones* illa inter se similia esse, quae in sua ratione communi conveniant; quae igitur similia sint, ea unum habere, in quo conveniant. Verum *advertere oportet* illud unum a parte rei cum singularitate singularium inter se similium identificatum esse. Quam ob rem non est unum formaliter, sed intellectui tantum fundamenta praestat, ut is omissis singularitatibus unum universale, quod formaliter unum sit, efficere possit.

Dices Socratem et Platonem esse tamen unum specie, etiam ante mentis operationem; ex quo sequatur unum universale inveniri ex partibus singularum rerum. Sed *repetendum* tibi est, istos non esse a suis partibus in una specie nisi fundamentaliter. Haec igitur non est unitas nisi secundum quid et cum addito distrahente, distrahente videlicet ab unitate simpliciter, vel perfecta sive formali. Unum universale definiunt: quod ita est unum, ut possit dividi in multa, de quibus seorsum praedicari potest. Hoc autem in rebus non invenitur ut unum formale, sed est unum in intellectu unitate abstractionis.

654. 5. Neque desunt, qui putent universalitatem effici formaliter fictione aliqua, qua intellectus humanus fingat res multas individuas esse rem unam. Unitas, inquiunt, qua obiectum in se multiplex evadat unum, cum non insit in rebus, ab intellectu fingitur propter rerum multarum inter se similitudinem. Sententia haec vera est, quatenus negat illam unitatem internam in rebus reperiri. Falsa est, quatenus rebus inter se similibus unitatem addit, quae sit ficta ab intellectu. Nam ut intellectus universalitatem sibi repraesentet, non debet fingere quidpiam, i. e. sibi aliquid repraesentare in rebus, quod in rebus non est[1].

655. ***Coroll. 1.*** Duplici ratione intellectus conceptus universales acquirere potest, quarum prior est sita in multorum cognitione praecisiva individuorum similium, quae via est maxime in con-

[1] Cf. *Semery,* Triennium philosophicum I, Romae 1674, 298.

suetudine posita; altera est sita in unius cognitione individui, cum intellectus advertit alia huic similia exsistere posse[1].

Coroll. 2. Tria universalia distingui possunt: universale *fundamentale,* quod in naturis individuis similibus repertum est, et universale *formale,* quod obiective in mente exsistit; hoc alterum duplex est: universale formale *directum,* quae est ipsa natura ab individualitate praecisa; et universale formale *reflexum,* in quo ad universale directum additur cognitio reflexa universalitatis.

Coroll. 3. Ergo diversitas, quae est inter universale in ordine reali et in ordine ideali sive logico, sic describi potest, ut universale in ordine reali sit multa in actu, unum in potentia, in ordine autem ideali sit unum in actu, multa in potentia.

656. ***Coroll. 4.*** Ergo universale *directum* quoad naturam sive quoad *id quod* concipitur, in ipsis rebus exsistit et ideo recte dicitur universale *metaphysicum.* Nam id quod idea universali concipitur, vere de rebus extra nos exsistentibus praedicatur propter identitatem, non solummodo propter similitudinem; id autem, quod in rebus non inest, non potest de rebus propter identitatem praedicari. Non autem exsistit in rebus quoad statum sive quoad *modum, quo* concipitur; concipitur enim omissa (i. e. non concepta) individuatione.

E contrario universale *reflexum* etiam quoad id quod cognoscitur, formaliter exsistit tantum obiective in intellectu, et ideo recte dicitur universale *logicum.* Nam *id quod* per ideam universalem reflexam repraesentatur, est *natura* ut a singularitate *praecisa* et ut *multiplicabilis.*

Ergo universale reflexum recte dicitur esse *ens rationis cum fundamento in re.* Ipsa universalitas formaliter (non fundamentaliter) considerata recte dicitur esse relatio rationis.

Coroll. 5. Praedicabilitatem ipsam quod attinet, ea quoad universale directum *proprietas* dici potest, quoad autem universale reflexum *nota essentialis.* Nam universale directum tantum per potentiam remotam praedicabile est, universale autem reflexum per potentiam proximam vel potius minus remotam.

657. ***Obi. 1.*** Ut conceptus vere universalis sit, prius comparare oportet omnia vel saltem multa individua; *ergo* falsa est prior pars thesis.

[1] Per se satis est experientia una, ut formetur cognitio universalis. Dicit *Lotze:* „Wer auch nur *einmal* Rot, nur *einmal* Orange und *einmal* Blau gesehen hätte, würde keine Wiederholungsfälle nötig haben, um die Sätze mit der Gewißheit ihrer *allgemeinen* Geltung auszusprechen: Orange sei verschieden von Rot, aber ihm ähnlich, und zwar ähnlicher als Blau" (Geschichte der deutschen Philosophie seit Kant § 18).

Resp. *Nego assert.;* nam ad constituendum universale directum consideratio individui unius sufficere potest. Si enim huius natura omissa singularitatis nota concipitur, ea ab omnibus iam singularibus abstracta est. Haec natura in illo individuo reali identificata est tali singulari; at in mente nihil habet, quo ad unum potius individuum determinetur quam ad aliud, sicque est indifferens ad omnia, estque apta, quae insit in multis et usque pluribus. Quando autem universale directum obtentum est, id iam suae speciei individua repraesentare potest; ubi primum eius ordo ad individua cognitus est, simul eius ordo ad omnia cognoscitur, quae eandem speciem singillatim habere possunt.

Obi. 2. Ex confessis universale in ordine reali esse non potest; *atqui* id quod in ordine reali impossibile est, neque concipi potest; *ergo* universale non potest constitui per mentis operationem, sed conceptus, qui universalis vocari solet, nihil nisi singularum rerum congeriem (in confuso) exhibere videtur (uti v. g. *Chr. Wolff* censuit).

Resp. *Dist. mai.:* Universale in re esse nequit quoad id quod, *nego mai.;* quoad modum praecisum, *conc. mai. Contradist. min.:* Fieri non potest in ordine ideali, ut tamquam positum in ordine reali id concipiatur, quod in ordine reali esse non potest, *conc. min.;* fieri non potest, ut res in ordine ideali eo modo concipiantur, quo in ordine reali esse non possunt (non negando, sed abstrahendo), *nego min.*

Obi. 3. Conceptus universalis exhibere videtur multarum rerum singularium congeriem.

Resp. Eiusmodi congeriei in lecto vocabulo exemplum habes, in quo quidem multis singulis litteris multae singulares perceptiones respondent, si mentis attentio figitur in ipsas litteras, ut sunt vocabuli materia; sin mens attendit significationem totius vocabuli, ad quam efficiendam singulae litterae ordinatae sunt, adest perceptio unica, quae tamen ut una in singulis litteris non inest, neque apta est, ut de singulis separatim litteris praedicari possit: hinc a conceptu, qui universalis dici solet, omnino diversa est.

Et ea diversitas inter conceptum collectivum et universalem reperitur, qua maior esse vix potest. Collectio, ut supra iam monuimus, a multis incipit et ad unum terminatur; universale ab uno incipit et terminatur ad multa. In notione universali unitas est eo modo principium multitudinis, quo in notione collectiva multitudo est principium unitatis.

At, *inquies,* saepissime accidit, ut conceptus qui videtur esse unus, sola apprehensione confusiva multorum constituatur, qui igitur vere unus non est. Cuiusmodi est conceptus *patr, rex.* Quomodo enim fieri possit, ut quis patrem cogitet sine filiis vel regem sine subditis? Pariter ergo cum *hominem in communi* concipio, apprehensione confusiva multos singulares homines concipio.

Respondeo: Obiectum termini *patris* vel *regis* vere unum est, quamvis de conceptibus relativis agatur, in quibus termini aliqua ratione connotentur. Quod etiam in conceptu *homo in communi* locum habet, qui unus in se manet, etiamsi quis eum ad homines singulares referre velit.

658. ***Obi. 4.*** Intellectus nullo modo universale efficere potest. Nam nulla res alteri quidquam dare potest, quod non habet in se; sed intellectus humanus in se non universalitatem, sed singularitatem habet.

Resp. *Dist. min.:* Intellectus non habet universalitatem entitativam sive in essendo, *conc. min.;* non habet eam obiective sive in cognoscendo et repraesentando, *nego min.* Cuius rei si quis ulteriorem rationem quaerat, is naturam intellectivam in hoc consistere recogitet, ut, cum sit una et simplex, sit quodammodo multa, immo et omnia, quatenus omnium rerum perfectionem in se continet. Quoniam autem modus operandi et cognoscendi sequitur modum essendi et huic proportionatur, iam intellectio, quae est propria operatio naturae intellectivae, quamvis sit unica, est tamen quodammodo multa, immo omnia, quatenus multa et omnia cognoscit, atque ita universalis est in repraesentando.

Inst. Si intellectus humanus universale efficeret, efficeret cognoscendo. *Atqui* cognitione nihil efficitur circa obiectum, sed obiecti natura immutata manet.

Resp. Intellectus ut naturas rerum universales efficiat, eas intrinsecus mutare non debet. Universalitas enim non est interna naturis cognitis, sed per solum modum cognoscendi obtinetur. Itaque naturam universalem esse nihil aliud est, quam naturam esse universaliter repraesentatam. Neque enim intellectus fingit naturam universalem a parte rei, quae esset fictio inutilis et falsa; sed per cognitionem ipsas rerum naturas per modum universalem cognoscit.

659. ***Obi. 5.*** Unitas universalis est unitas essentialis; *atqui* unitas essentialis est in rebus ipsis; *ergo* etiam unitas universalis.

Resp. *Nego mai.:* Nam unitas essentialis est indivisio rei in multas essentias dissimiles. Unitas autem universalis est indivisio alicuius naturae in naturas multas tum similes tum dissimiles, cum aptitudine tamen, ut in multas naturas dividi possit. Itaque unitas essentialis neque communicabilitatem significat neque incommunicabilitatem. Unitas autem universalitatis communicabilitatem significat.

Inst. Natura secundum se considerata necessario concipitur ut ad exsistendum in multis indifferens; *atqui* id quod ita concipitur, ut universale concipitur; *ergo* natura secundum se est iam universalis.

Resp. *Nego mai.* Nam natura secundum se considerata dicit solam notarum comprehensionem, sive ea sit multiplicabilis (ut natura finita) sive non sit multiplicabilis (ut natura infinita).

Obi. 6. Illa natura est formaliter una in multis, quae non dividitur formaliter sive specifice in multis; *atqui* natura, velut *humana*, non dividitur formaliter in multis hominibus; *ergo* est formaliter una in multis.

Resp. *Dist. mai.:* Illa natura ita dici potest una unitate improprie dicta, quae nihil est nisi quaedam unitas similitudinis sive conformitatis, *conc. mai.;* unitate positiva et entitatis, *nego mai.*

Inst. Si quis dicit: *Socrates est homo,* et: *Plato est homo,* is praedicato significat, quod unum est.

Resp. Id unum est unitate externa et ab intellectu effecta; non tamen unitate, quae interna sit sive realis et formalis.

SECTIO II.

De ideis ut fontibus certorum iudiciorum.

ARTICULUS I.

De iudiciis analyticis immediatis.

660. Notiones praeviae. Illis satis cognitis, quae de vi obiectiva conceptuum tenenda sunt, nunc de cognitionibus, quae ab intellectu in conceptus acquisitos reflectente comparantur, pauciora dicemus, non quod non latus locus sit et gravis — est enim gravissimus —, sed ante iacta iam sunt fundamenta, quibus res facile conficitur. Et primo de veritatibus, quae ex ipsa idearum sive conceptuum consideratione immediate eruuntur per iudicia. Sed inter ordinis intellectualis sive rationalis iudicia illa, quae axiomata vocari solent, speciali attentione sunt digna, quia scientiae omnis sunt fundamenta et ex iis, quippe per se notis, primo omnis demonstratio proficiscitur.

Inter haec eminent principium contradictionis, principium causalitatis vel rationis necessariae (sufficientis), principium aequalitatis et inaequalitatis. Quibus accedunt alia, quorum usus frequens est, ut: *Modus agendi modum essendi sequitur, et modus essendi sequitur ens;* vel: *Eadem causa ordinis naturalis in suis effectibus producendis easdem leges sequitur;* vel: *Nihili proprietates nullae sunt.*

Intellegi autem debet horum principiorum sicut generatim iudiciorum analyticorum veritatem, quae in obiectiva subiecti et praedicati identitate est sita, a rerum reali exsistentia non pendere. Etiamsi enim nullum in rerum natura esset *triangulum,* nihilo tam minus affirmandum esset, quidquid scientia geometrica de triangulo docet. Si autem aliqua res exsistit, quae in subiecti extensione continetur, haec notionem praedicato expressam necessario habet; non enim quidquam esse potest, quod subiecto exprimatur, quin habeat in se id, quod ad ipsam subiecti rationem pertinet.

His igitur iudiciis fons specialis veritatis constituitur, intellectu essentiam resolvente in notas eas, quas haec ratione sui continet. Quae ex essentiae analysi tractae sunt notiones, eandem revera

rationem continent atque idea principalis, verum non semper integram, sed haud raro ex parte tantum consideratam et sub respectu particulari. Cum igitur notiones illae omnes cum primitivo conceptu obiective identicae sint, ipsa conceptus huius consideratio (sine termini medii adiumento) intellectui identitatem manifestat, quae identitas exprimitur iudicio. Ita conceptum *totius* considerans haec ex conceptus analysi efformo iudicia: *Totum omnibus partibus est aequale; est maius quavis parte; est per se in partes divisibile.*

661. Triplex est discrimen inter haec iudicia rationalia sive intellectualia, de quibus nunc agitur, et illa, quae versantur in ordine experimentali, i. e. in rebus sensu externo et conscientia perceptis. 1. Ad illa iudicia per experientiam et extremorum notio suppeditatur et praedicati cum subiecto identitas, seu extremorum realis in una re synthesis aperitur, quapropter etiam iudicia *synthetica* nuncupantur. Haec autem *analytica* sunt et sola consideratione conceptus eliciuntur, qua alicuius rei essentia exhibetur. 2. Illa, cum ex consideratione rerum ut exsistentium nascantur, quae singulares sunt, ex se sunt *singularia.* Haec ex consideratione idearum emergunt, quibus obiectivae rationes ab omni condicione individuante praecisae exhibentur; unde ex se ad *universalitatem* evehuntur. 3. Iudicia ordinis experimentalis veritatem habent *contingentem* et certitudinem hypotheticam; haec autem, quae ad ordinem rationalem spectant, *absoluta necessitate* vera sunt et certa.

De veritate intellegentiae, quatenus iudicia profert, quae ad ordinem experimentalem spectant, nihil dicendum restat. In his enim iudiciis mens nihil aliud facit, nisi repetit suo modo illud ipsum, quod sensibus externis et conscientia perceptum est. Reminiscendum tamen hoc loco est posse fieri nonnumquam, ut iudicia synthetica habeantur non ratione obiecti, sed ratione nostrae ignorantiae, i. e. quod essentiam rerum ignoramus. Ita rustico iudicium syntheticum esse potest, si angelum non quantitative in spatio extendi iudicat, id quod philosopho recte cogitanti iudicium analyticum est.

662. Thesis 24. **Intellectus in proferendis iudiciis analyticis immediatis per se falli non potest.**

Ad stat. quaest. 1. Iudicia analytica iam diximus ea, in quibus ratio, ob quam praedicatum subiecto attribuitur, in ipsa horum terminorum notione sive comprehensione continetur et ex ipsa per analysim erui potest. Analyticis opponuntur synthetica.

2. Scimus quoque, iudicia analytica generatim aut mediata esse aut immediata. Iudicia immediata sunt, quae ad identitatem inter subiectum et praedicatum manifestandam nullius termini medii indigent. Et hoc loco de solis iudiciis analyticis immediatis dicendum est.

3. Illa mentis facultas, qua mens terminorum intellectorum convenientiam vel discrepantiam immediate intuetur, speciali modo *intellectus* vocatur, ut is a *ratione* ratiocinante diversus est secundum conceptum.

Realiter una est in nobis facultas, quae ut intellectus per simplicem cognoscit intellegentiam veritatem iudiciorum analyticorum et immediatorum, quae ut ratio argumentando ratiocinatur, quae ut conscientia veritatem experientiae nostrae diiudicat.

4. Intellectum per se falli non posse affirmare volumus; per accidens eum falli posse fatemur, quatenus incauto animo defectus irrepere potest in recte apprehensis terminis sive subiecto et praedicato, quibus iudicia illa ut elementis quasi materialibus constituuntur.

5. Thesis, quam posuimus, si absolute consideratur, directe demonstrari non potest.

663. **Arg. 1** *(ex aptitudine intellectus ad cognoscendum verum).* Facultas, quae per se apta est ad cognoscendum id quod est, in iis quae immediate cognoscit vel videt, per se falli non potest. *Atqui* in iudiciis analyticis et immediatis intellectus clare et immediate videt causam, cur praedicatum de subiecto affirmetur, in ipsa ratione subiecti essentialiter inclusam esse; et id esse quidem ex parte rerum, etiam independenter ab ipso intellectu. *Ergo* iudicia haec per se numquam possunt esse falsa.

Ad min. Mens in iudiciis analyticis et immediatis id solum affirmat, quod obiectum interveniente idea praesens ipsi manifestat, sive id affirmat, quod videt.

Arg. 2 *(ex existentia certitudinis).* Si iudicia, de quibus dicimus, per se errori obnoxia esse possent, iam nulla esse posset certitudo. Nam esse posset, ut id quod ego clare video ita esse et aliter esse non posse, a parte rei aliter esset. Atque ita vana esset vis omnis persuasionis cuiuscumque et certitudo funditus eversa. *Atqui* tamen est certitudo, ut illi, quibuscum res in hac thesi agitur, concedunt.

664. ***Scholion.*** *Valor obiectivus iudiciorum,* de quibus in thesi agitur, sequitur valorem idearum, ex quibus tamquam ex suo

fonte hauriuntur. Ab iudiciis syntheticis immediatis, quae experientia acquiruntur, duplici ratione differunt. Experientia cognoscimus immediate res exsistentes et ideo res singulares, et ideo iudicia ista sunt singularia. Ex ideis haurimus iudicia universalia, immediate tamen ex analysi ideae, scil. eius comprehensionis, non cognoscimus res exsistentes, sed ordinem obiectivum metaphysicum. Id enim quod iudicio analytico vel axiomate continetur (velut cum dico *bis bina esse quattuor,* vel: *omnes trianguli angulos acceptos simul aequare duos rectos,* vel: *totum superare partem,* vel: *effectui cuilibet causam esse),* non quidem, si *formaliter* accipiatur, habet esse physicum sive actu exsistens, sicut *stella* vel *angelus;* habet tamen, si *fundamentaliter* accipiatur. Et fundamentum in ordine cognitionis illae res physicae sive actu exsistentes praebent, unde ideae universales, ex quarum analysi illa iudicia nata sunt, ab intellectu abstrahebantur. Hoc modo iudicia illa aliquo modo ab experientia pendent, non quoad suam veritatem et certitudinem, sed quoad cognitionis originem. Si autem iudicia illa sive principia accipiantur secundum id, quod formaliter continent atque enuntiant, quamquam non habent esse physicum sive actu exsistens, tamen habent esse quoddam reale, quatenus exhibent aliquid, quod a mente nostra non pendet neque a rebus singularibus, a quibus intellectus per abstractionem notitias suas sibi comparavit. Mens enim non creat sibi illud obiectum, a quo pendet et quo determinatur, sed illud *percipit* ut aliquid, quod esset, etiamsi ipsa mens non esset, et etiam ut aliquid, quod esset, etiamsi res nullae creatae essent. Unde hoc esse etiam esse transnaturale vel metaphysicum vocatur, quatenus est esse reale, quod ab esse physico rerum exsistentium omnino diversum est illudque transgreditur. Ex his igitur manifestum est, quantopere necesse sit, ut inter esse reale generatim et esse physicum rerum exsistentium fiat distinctio.

665. ***Coroll. 1.*** Quidquid ergo in alicuius rei idea includi percipitur, id de re affirmandum est; negandum vero de ea, quidquid ab ea excludi percipitur.

Coroll. 2. Ergo veritates in iudiciis analyticis immediatis contentae certitudinem metaphysicam habent et simpliciter absolutam. Nam nulla prorsus facta hypothesi praedicatum, quod in his iudiciis de subiecti essentia esse affirmatur, a subiecto, quamdiu essentiam illaesam retinet, separari potest. Sunt igitur iudicia immediata multa, quae tanta claritate lucent, ut ne per accidens quidem iis falsitas admisceri ulla possit. „Invenitur aliquando verum, in quo nulla falsitatis apparentia admisceri potest, ut

patet in dignitatibus [pro graeco: ἀξίωμα]; unde intellectus non potest subterfugere, quin illis assentiat."[1]

Coroll. 3. Sicut igitur conceptus universales vim obiectivam habent, ita etiam *relationes ontologicae* inter illos conceptus, quas intellectus iudicando effert et enuntiat ut principia, eadem vi obiectiva sunt praeditae.

Coroll. 4. Ergo principia prima sunt immediate per se et absolute certa. Horum enim principiorum vis non ex experientia provenit, neque ex caeco nescio quo naturae instinctu, neque ex necessitate pure subiectiva, neque ex cognitione mediata veracitatis divinae, sed ex immediata terminorum cognitione et ex intuitu nascitur, quo video rem ita esse et aliter esse non posse. Quae principia non solum vera esse videmus, sed intellegimus simul, cur vera sint, eo quod videmus ens et non-ens inter se absoluta necessitate excludere.

666. ***Coroll. 5.*** Ergo obiectum principiorum non est fictio sive figmentum mentis nostrae, sed est ipsum *ens reale.*

Veritas enim in conformitate cognitionis cum re, quae est, cernitur; et principia ideo sunt vera, quia exprimunt id quod *est.* Praeterea conceptus universales secundum id quod exprimunt, in rebus esse docuimus. Sed principia id ipsum per iudicia exhibent, quod conceptus illi exprimunt per apprehensionem. Ergo etiam principia secundum id quod exprimunt sunt in rebus.

Ex quo cogitur principia cognoscendi esse etiam principia essendi, ita ut v. g. principium rationis necessariae non solum exigat, ut nihil sine ratione sufficienti esse *cogitemus,* sed etiam, ut nihil *sit* sine ratione proportionata.

Coroll. 6. Ergo ratio entis non ante omnem experientiam a nobis cognoscitur, sed statim post habitam rerum per sensus experientiam intellectui ex rebus cognitis manifestatur. Et intellectus hac manifestatione utitur ad progrediendum ulterius tamquam scientiae semine.

Id significare voluit *Aquinas,* cum diceret: „Praeexsistunt in nobis quaedam scientiarum semina, scilicet primae conceptiones intellectus, quae statim lumine intellectus agentis cognoscuntur per species a sensibilibus abstractas, sive sint complexa, ut dignitates [axiomata], sive incomplexa, ut ratio entis et unius et huiusmodi, quae statim intellectus apprehendit. Ex istis autem principiis universalibus omnia principia sequuntur, sicut ex quibusdam rationibus seminalibus. Quando ergo ex istis universalibus

[1] *S. Thom.* 2 dist. 25, q. 1, a. 2.

cognitionibus mens educitur, ut actu cognoscat particularia, quae prius in potentia et quasi in universali cognoscebantur, tunc aliquis dicitur scientiam acquirere." [1] Harum universalium conceptionum cognitionem *S. Thomas* dicit nobis esse naturaliter insitam et certitudinem scientiae totam oriri ex certitudine principiorum. „Tunc enim, inquit, conclusiones per certitudinem sciuntur, quando resolvuntur in principia." [2]

667. ***Obi. 1.*** Rerum veritas non pendet ab ideis nostris; *atqui* iudicia analytica nituntur solis ideis nostris; *ergo* iudicia analytica non docent veritatem rerum.

Resp. *Dist. mai.:* Res non sunt verae ex eo, quod nostris ideis recte exprimuntur. *trans. mai.;* non vere ideis nostris exprimuntur res, *nego mai. Contradist. min.:* Nituntur in ideis *subiectivis, nego min.;* in ideis obiectivis, i. e. in rerum vera expressione mentali, *conc. min., nego cons.*

Obi. 2. Ut ex reflexione in ideas aliquid certo cognoscere valeamus, debemus ideas ipsas perspicere in se; *atqui* ideas in se non perspicimus neque earum naturam immediate satis cognoscimus; *ergo* ex ideis saltem qui psychologiam non perfecte novit, nihil certo cognoscere valet.

Resp. *Dist. mai.:* Id requiritur, ut illas relationes idearum cognoscamus, quae ab ideis subiective spectatis pendent, *trans. mai.;* ut cognoscamus eas relationes, quae sunt inter ideas obiective spectatas, *nego mai.* Ad naturam enim idearum attendendum non est, ut quis cognoscat id quod idea interveniente repraesentetur et quod hac repraesentatione contineatur. Ad hoc cognoscendum satis est, ut analysis ideae obiectivae instituatur deprehendaturque idearum partialium cum primitiva identitas necessaria. *Contradist. min., nego cons.*

668. ***Obi. 3.*** Iudicia analytica non afferunt novam cognitionem, sunt enim vana tautologia et revocantur ad formulam: A est A.

Resp. *Nego assert.* Aliquo vero sensu iudicia omnia ad hanc formam reduci possunt: A *est* A. In omni enim iudicio affirmari scimus duorum conceptuum obiectivam identitatem vel diversitatem. Tautologia vera in iis tantum inest, in quibus conceptus obiective identici sunt etiam intrinsecus sub omni respectu identici. Id vero in principiis, de quibus loquimur, non evenit. Etsi praedicatum est de essentia subiecti, facile tamen fieri potest, ut quis notionem subiecti habeat, nec tamen prius ad analysim iam sciat hoc vel illud in subiecti notione necessario includi. Neque vero ipsae definitiones, in quibus maxima habetur subiecti et praedicati identitas (definitio sit reciproca: cf. n. 144), propterea dicendae sunt tautologiae. Distincte enim et explicite *animal rationale* exprimit, quod *homo* continet.

[1] De verit. q. 11, a. 1. [2] Ibid. ad 13.

Obi. 4. Saltem iudicia negativa destituta sunt omni realitate obiectiva. Negationes enim in sola mente esse ipse docet *Aristoteles*[1].

Resp. Respondet *Aristoteles* iudicia affirmativa et negativa quaedam habere fundamenta in ipsa rerum compositione et divisione. „Quam ob rem verum dicit, qui divisum dividi et compositum componi putat; falsum autem, qui contra, quam res se habeant."[2] Ad quem locum *S. Thomas:* „Qui putat dividi, quod est divisum in rebus, verus est in sua opinione, ut qui putat *hominem non esse asinum;* et similiter qui putat componi, quod est compositum in rebus, ut qui putat *hominem esse animal.* Ille autem mentitur (i. e. fallitur) in opinando, qui e contrario res aliter habet in sua opinione, quam res sint in sua natura: ut qui putat *hominem asinum,* aut *non esse animal,* quia, quando aliquid est aut non est, tunc dicitur verum vel falsum. . . . Esse, in quo consistit compositio intellectus et affirmatio, compositionem quandam et unionem indicat; non-esse vero, quod significat negatio, tollit compositionem et designat pluralitatem et diversitatem."[3]

Obi. 5. Saltem ideae non videntur constituere fontem cognitionis a conscientia distinctum; intellegentia enim non differt a conscientia.

Resp. Operationes intellectus omnes, quae certitudinem efficiunt, adiunctam sibi habent conscientiam, quam concomitantem diximus. Distinguendum est igitur inter veritatem illis iudiciis expressam, quae necessaria est et ex notionum intuitu nobis innotescit; et illius veritatis cognitionem, quae factum contingens est, cuius exsistentiam nobis conscientia manifestat. Inde autem, quod mens nostra propter conscientiam se veritates necessarias percepisse cognoscit, non est concludendum hanc conscientiam motivum esse, propter quod intellectus his veritatibus assensum praestet. Sed conscientia sola *condicio* est, qua posita fieri potest, ut mens veritate, quam clare percipit, illustretur; sicut fere *fenestra* condicio, non tamen causa est lucis, qua cubiculum illuminatur.

ARTICULUS II.

De iudicio intellectuali discursivo sive de ratiocinio.

669. Quibus de rebus hoc loco quaerendum sit. Ad intellegentiam immediatam spectare vidimus, ut abstractione efficiantur conceptus universales atque etiam principia vel iudicia, quae ex immediato terminorum intuitu efflorescunt. Haec universalia mens iam ratiociniis deductivis ad particularia applicare potest. Accedunt deinde ratiocinia inductiva, quibus mens ex observatis rebus particularibus efficit conceptus genericos et specificos et principia illa uni-

[1] Cf. *Trendelenburg,* Logische Untersuchungen I 44, qui dicit: „Die logische Negation wurzelt dergestalt im Denken allein, daß sie sich rein und ohne Träger nirgends in der Natur finden kann."

[2] Met. 9, 10 (1051 b 5). [3] In l. 9 met. lect. 11.

versalia, quae in his conceptibus fundamenta habent. Id quod processui deductivo ex parte rerum obiective respondet, a nobis ut modus constans et uniformis concipitur, secundum quem causa universalis, quae cognita est, causalitatem cum aliqua necessitate exercet in effectus magis particulares. Et id quod processui inductivo ex parte rerum obiective respondet, a nobis ut modus constans et uniformis concipitur, secundum quem effectus particulares, qui cogniti sunt, efficientiam cum aliqua necessitate accipiunt a causa aliqua universali. Qui modi constantes et uniformes *leges* vocari solent. *Duae* igitur nobis in hac de ratiocinio tractatione critica quaestiones ponendae sunt, quarum prior spectat ratiocinium in genere et imprimis deductionem, altera inductionem. Et quia ab inductione perfecta ea secernenda est, quae est incompleta imperfectaque, quam analogicam vocant, *tertia* addetur quaestio, qua quaeritur, quam vim habeat argumentum ab analogo.

§ 1. De ratiocinio in genere.

670. **Thesis 25.** **Cognitiones ope ratiocinii comparatae falsae esse non possunt, si praemissae sint verae et forma legitima, quae duo nobis constare possunt.**

Ad stat. quaest. 1. Ratiocinium ea mentis operatio est, qua post institutam duarum notionum comparationem cum notione tertia duarum illarum inter se identitatem vel discrepantiam cognoscimus (cf. n. 218 sq).

Pro diversitate praemissarum ratiocinium dicitur purum, empiricum, mixtum.

a) Ratiocinium *purum* illud est, cuius utraque praemissa est analytica. Hoc ratiocinio veritates per se notae veritatibus altioribus subiciuntur, atque ita alicuius veritatis ab altiore dependentia cognoscitur, quae notitia nova est; velut cum dico *omne animal sensu praeditum esse, hominem animal esse, hominem igitur sensu praeditum esse.* Attributum enim illud, quo homo sensu praeditus esse dicitur, etsi noveram per experientiam propriam, nihilominus illo interveniente ratiocinio illud homini inesse cognosco, *quia* homo animal est. Praeterea ratiocinio deductivo efficitur, ut innumerabiles inter conceptus nostros relationes detegamus, quae immediate per se ne acutissimo quidem ingenio humano omnes patere possunt, neque igitur ratiocinio hoc omisso reperiuntur. Qua re praeclarus ille et perpetuus in inquisitionibus mathematicis progressus efficitur, quo in dies nova inveniuntur et inaudita. Atque haec quidem, si praemissae ambae analyticae sunt.

b) Ratiocinium *empiricum* est, cuius praemissae aut ambae sunt principia experimentalia per inductionem efformata, aut alterutra factum exprimit, quod per experientiam constat; velut cum dico *corpora omnia inter se attrahere, montem istum corpoream molem esse, montem ergo attrahere res circumpositas.* Ex qua re efficitur, ut cognita natura alicuius rei qualitates illius vel effectus inveniantur, etiamsi horum experientiam in hac re individua nondum habuerim. Et hoc modo sescentas notitias novas cotidie apud homines gigni nemo non videt.

c) Ratiocinium *mixtum* vocant, quod altera praemissa analytica constat, synthetica altera. Cuius usus frequens est et multiplex. Primo enim hac ratiocinatione cognitiones experimentales analyticis subiciuntur principiis, velut cum quis ratiocinatur *omnes creaturas esse mutabiles, se autem ipsum creaturam esse, ergo mutabilem se esse.* Quamvis enim se mutabilem esse cognoscat per propriam experientiam, tamen nunc causa explicatur, unde trahatur ista mutabilitas. Deinde saepenumero ostenditur relationes inter res per experientiam cognitas esse, quae ex principiis analyticis sunt cognitae. Huc conclusiones omnes mathesis applicatae spectant. Tertio per ratiocinium mixtum fit, ut post experientiam rite adhibitam statuantur leges universales; fit quoque, ut ex effectu vel signo cognito deducatur causae vel rei significatae realitas.

671. 2. Recolendum est, quod de ratiocinii principiis declaratum est in dialectica (n. 219 sq).

Principium cognoscendi generatim id est, unde est cognitio. Intellectus vel ratio est principium, *a quo* cognitio intellectualis fit. Principia rationis et leges cogitandi sunt principia *directiva.* Praemissae syllogismi sunt *principium ex quo,* quae sunt principia *directa.* Et haec proprie principia syllogismi vocantur. Quae vox, si artissime accipiatur, solas illas veritates principales significat, quae propter suam intimam cum ipsa essendi notione cohaerentiam lucidiora sunt et fecundiora. Sed latius accepta vox veritatem omnem universalem et necessariam significat, ex qua per applicationem veritatis alterius conclusio deducitur.

Iam vero principia sive praemissae conclusionem virtute continent; qui igitur illa tenet, iam virtute et implicite consequens cognoscit.

„Habita evidentia vel certitudine de principiis primis", inquit *Scotus*, „patet, quomodo habetur de conclusionibus ex iis, propter evidentiam formae syllogisticae, cum certitudo conclusionis tantummodo dependeat ex certitudine principiorum et ex evidentia illationis." [1]

[1] In l. 1 sent. dist. 3, q. 4, schol. § 8.

3. Haec thesis, si consideretur absolute, directe non potest demonstrari.

Omnis enim demonstratio per ratiocinium fit, itaque id supponendum est, de quo quaeritur, pariatne certitudinem veram. Tamen reflexe declarari potest et etiam iis, qui certitudinem admittunt, demonstrari.

672. Pars I. Ratiocinium rectum ex praemissis veris necessario gignit conclusionem veram.

Arg. 1 *(ex aptitudine facultatis cognoscitivae).* Facultas cognoscitiva circa suum obiectum, quod natura duce percipit, falsa esse non potest; *atqui* ratio humana est facultas cognoscitiva, cuius obiectum est nexus identitatis inter duo, quae ideo eadem inter se esse percipiuntur, quod ea cum uno tertio eadem esse cognoscuntur; *ergo* ratio humana in ratiocinando falsa esse non potest. Etenim is ratiocinatur, qui in conclusione duo sive affirmatione coniungit sive negatione separat, prout principium identitatis vel discrepantiae exigit; quod immediate cum principio contradictionis conectitur.

Arg. 2 *(ex reductione iudicii mediati ad iudicia immediata).* Iudicia immediata ex se sunt ab omni errore libera, id quod supra certo est constitutum; *atqui* iudicium mediatum in iudicia tria immediata ultimatim resolvi potest, quorum duo de veritate utriusque praemissae ferenda sunt, tertium de illationis rectitudine; *ergo* etiam iudicium mediatum (ratiocinium) certum est.

Arg. 3 *(ex necessitate, qua homo ad ratiocinandum a natura impellitur).* Si ratio ratiocinans per se a veritate deficere posset, homo eo cognitionis medio privaretur, quod ipsi pro vita sua humana summopere est necessarium; *atqui* res eius generis ab homine auferre non licet; *ergo* ratio in ratiocinando per se ab errore immunis est.

Ad mai. Ratiocinationem ad cognitionem homini necessariam omnino pertinere, id cum ex ipsa humanae mentis potissima denominatione, quae vocatur „ratio“, perspicuum et manifestum sit, tamen ex experientia, quae perpetuum fere et universalem ratiocinandi testatur usum, comprobatur et confirmatur.

673. Pars II. Constare potest ratiocinii rectitudo et praemissarum veritas.

Argumentum *(ex natura ratiocinii).* Praemissas ratiocinii veras esse, ex iis veritatis fontibus innotescere potest, unde *praemissae* perceptae sunt. Aut enim ex se immediate evidentes sunt, et res perfecta est; aut alia cognitionis genera intercedere

debent. Intercedant igitur, donec ad veritates primas immediate evidentes perventum sit, et praemissas veras esse perceptum erit.

Forma autem legitima sive ratiocinii *consequentia* immediata apprehensione patet, qua mens nexum intuetur inter antecedens et consequens et videt, antecedente posito etiam conclusionem, quae in antecedente videatur, ponendam esse.

674. ***Scholion 1.*** Ad discursum plures cognitiones concurrunt; quae si distinctae sunt realiter sive formaliter, discursus *explicitus* (formalis) dicitur, si distinctae sunt virtualiter tantum, discursus *virtualis* est. Et discurrere quidem homini omnino naturale est, nam „omnis homo", ut scite *Albertus Magnus*, „in persuadendo in ipsa sua ratione quaedam seminaria habet ad syllogizandum et persuadendum, tum per experientiam, tum per communes animi conceptiones, quae sunt apud animam; et ex illo syllogismo, qui quasi per naturam inest, primo inventa est omnis ars syllogizandi et aliae artes" [1].

Discursus si consideratur obiective, est ipsa conclusionis a praemissis dependentia; si consideratur subiective sive formaliter, est actus unum ex alio deducens, vel quod aliis verbis dixeris, est „actus rationis decurrentis de principiis in conclusionem" [2]. Discursus subiectivus, si totus et integer intellegitur, et duos assensus praemissarum comprehendit et assensum conclusionis [3]; si consideratur in causa vel ut id quod scientiam efficit, assensus illos praemissarum dicit; si consideratur in effectu vel ut scientia effecta, assensum conclusionis dicit. Si autem accurate, i. e. essentialiter sive formaliter accipiatur, solam cognitionem illativam dicit, non autem cognitiones alias antecedentes, quas supponit tantum et connotat.

675. ***Scholion 2.*** Quaeri solet, sitne discursus actus simplex an compositus. Qui volunt esse actum simplicem, dicunt intellectum in discursu simul intellegere conclusionem et principia, cum principia sint ratio assentiendi conclusioni. Si intellegitur secundum vim vocis usitatam, discursus non est actus simplex. Nam discursus ab hominibus ita intellegi solet, ut in eo non solum cognoscantur principia, ut sunt ratio cognoscendi conclusionem, sed etiam absolute et secundum se.

---

[1] Anal. prior. l. 1, tract. 1, c. 2.

[2] *S. Thom.*, De verit. q. 14, a. 2 ad 9. Alio loco *Aquinas* argumentum dicit processum rationis „de notis ad ignota manifestanda" (3 dist. 23, q. 2, a. 1 ad 4).

[3] *Soares* Lusit., Log. tract. 8, disp. 2, sect. 2.

Primo enim intellegit intellectus ipsa principia secundum se, postmodum intellegit ea in ipsa conclusione, quatenus assentit conclusioni propter principia. „Tunc dicitur aliquid ex aliquo cognosci, quando non est idem motus in utrumque, sed primo movetur intellectus in unum, et ex hoc movetur in aliud.“ [1]

Assensum in conclusionem certe praecedere debet assensus in praemissas et praemissarum intellectualis comparatio. Tempore quo fit actus conclusionis, requiritur coexsistentia mentalis praemissae utriusque. Satis est autem coexsistentia virtualis vel recordatio. Attamen per se nullum requiritur de bonitate consequentiae iudicium, quod ab ipso conclusionis actu diversum sit.

Diximus *per se* non requiri de hac consequentia iudicium. Fieri quidem potest, ut propter attentionis defectum vel discursus complicatam formam eiusmodi actus reflexionis requiratur. Hunc autem actum per se non requiri probatur inde, quod nulla eius actus ostendi potest necessitas. Ipso enim conclusionis actu bonitas consequentiae satis cognosci potest.

Neque apprehensio bonae consequentiae requiritur, quae *ante* actum conclusionis efficiatur per actum *distinctum* et praevium.

In concessis est, in ipso conclusionis actu „in signo quod aiunt priori“ bonitatem consequentiae apprehendendam esse. Intellectus enim cum conclusionem infert, non solum id cognoscit, quod infert, sed etiam id se recte inferre cognoscit. Negamus vero id fieri actu distincto et praevio. Nam conclusio non est iudicium de bonitate consequentiae sive de illatione, sed est ipsa illatio. Ergo satis est, ut intellectus cognoscat bonitatem consequentiae ipso conclusionis actu, i. e. inferendo conclusionem ex praemissis.

Si igitur ratiocinium adaequate consideratur, certe est actuum complexus. Si vero consideratur formaliter ut ipse actus illativus concludendi, *potest* (licet non semper debeat) unico actu compleri.

676. ***Coroll. 1.*** Ergo ratio interna, ob quam consequens ex antecedente vero recte deductum etiam ipsum verum esse debeat, in eo posita est, quod ex una parte consequens in antecedente virtualiter iam contentum est, et ex altera parte, cum antecedens verum sit, etiam id quod in antecedente sive actu sive virtute continetur, consequens verum esse debet. Secus enim idem simul verum esset et non verum.

Coroll. 2. Ergo certitudo ratiocinii ut sic seu ratione consequentiae est semper certitudo metaphysica; ratione certitudinis praemissarum *conclusio* peiorem sequitur partem.

[1] *S. Thom.*, De verit. q. 8, a. 15.

Nam nexus ille, quo conclusio ut sic cum praemissis coniungitur, est absolute necessarius. Quod etiam tum locum habet, cum conclusio veritatem contingentem continet. Conclusio generatim, quae ex ratiocinio formaliter et materialiter recto est deducta, semper certitudinem sequitur principiorum, qua materiam ratiocinii constituunt. Ita si quis ratiocinetur *in terram proiecta semina fruges producere, nunc autem semina in terram proici, haec ergo fruges productura esse*, conclusio formaliter spectata est certa metaphysice; materialiter autem certa est certitudine physica.

Coroll. 3. Ergo mens dum praemissas veras esse et consequentiam rectam agnoscit affirmatque, consequenti non assentiri non potest, sed ad illud admittendum naturali necessitate adducitur.

Nam ex una parte veritatem consequentis a se in praemissis clare admissam videt, et ex altera parte fieri non potest, ut admittantur contradictoria. Et contra naturam mentis est, ut a vero evidenti refugiat.

Coroll. 4. Falsa ergo est etiam illa *Platonis* sententia, qua ampliatio cognitionum nostrarum dicitur contineri quadam veritatum reminiscentia in mente delitescentium, non autem inventione veritatis prius ignotae. Id enim internae experientiae aperte repugnat.

677. ***Obi. 1.*** Ratiocinium non gignit certitudinem, nisi constet de legitima consequentia; *atqui* ad hoc praerequiritur notitia legum dialecticarum, et multa alia sciri debent, quae difficile certo cognoscuntur, et pleraque non sine novis ratiociniis; *ergo* vix aptum est ratiocinium ad certam cognitionem acquirendam.

Resp. Ratiocinium non est medium, quo primam cognitionem et prima principia cognoscamus. Haec autem cognitio sufficit ad ulteriorem securum progressum. Cum enim leges ratiocinii eo spectent, ut aperiatur, qua ratione processus ille dialecticus per singula peragatur, cognitio distincta harum legum utilis est, quo facilius ratiocinii recte peracti ratio reddi possit et in rebus difficilioribus ab omni errore caveatur. Non tamen cognitio legum requiritur, ut quis se recte ratiocinari sciat; nam rectitudo conclusionis cognitione directa immediate percipi potest, in qua perceptione cognitio illarum legum, quantum satis est, implicite continetur. — De cetero intellegendum est hoc loco voce ratiocinii non tam significari artificiosam dispositionem syllogisticam, quam potius ipsum actum mentis identitatem duarum rerum cum uno tertio percipientis et duarum istarum inter se identitatem concludentis.

Obi. 2. Ut ratiocinando acquiramus certitudinem, nos scire oportet ratiocinium esse legitimum et praemissas veras. *Atqui* id sciri non potest nisi ratiocinio novo, cuius tamen certitudo et veritas non minus ambigua est quam ratiocinii prioris.

Resp. *Conc. mai. et nego min.* Nam rectitudo consequentiae attento animo ex se immediate manifesta esse potest. Veritas autem praemissarum aut ex aliis fontibus veritatis aperta est, aut si per ratiocinium cognoscenda est, ad ultimum certe a veritatibus ex se evidentibus dependet.

Obi. 3. Qui ratiocinatur, memoriam adhibere debet; sed memoria fallax est; qui autem facultatem adhibet, quae errori est obnoxia, ad veritatem cum certitudine pervenire non potest.

Resp. Si ratiocinium spectatur perfectum, sive quod aiunt in facto esse, apprehensione nexus continetur, quo consequens cum praemissis coniungitur; in hac igitur parte memoria non opus est, ut praemissae iterum cogitentur, cum cogitatur consequens. Sin ratiocinium spectatur in fieri, saepe fit, ut ex principiis illationes proximae deducantur, ita ut mens ea, quae proxime inter se cohaerent, uno quasi intuitu comprehendat. Neque in hac igitur parte magnus memoriae locus relinquitur. Restat, ut in ratiociniis longioribus, quibus remota admodum a iudiciis immediatis illatio deducitur, mens memoria uti debeat.

Et memoria quidem fallax est, quatenus res, quae longiore temporis intervallo praecesserunt, omnes ab oblivione vindicare vix possumus, ita ut haud raro dubitationi locus aperiatur. At nullo modo in eo memoriae fallibilitas sita est, quod *per se* referat rem pro certa, quae dubia est, vel pro re percepta rem, quae numquam est cognita. Quod si quando contingat, fit *per accidens,* sive propter iudicandi temeritatem sive propter defectum considerationis debitae. Si igitur memoria non est in promptu, ratiocinatio omittatur, error corrigatur.

678. **Thesis 26.** **In ratiocinio ea inest vis, ut non solum veritates aliunde cognitas illustrare et confirmare possit, sed etiam novarum veritatum cognitionem efficere** [1].

Ad stat. quaest. 1. *Plato* Menonem disputantem facit, fieri non posse, ut homo discat nova; quod probare conatus est celebri illo: Quod quaeris, aut scis aut nescis; si scis, frustra quaeris; si nescis, etiam postquam repereris, non agnosces. Ex qua difficultate Plato in Socratis persona sese expedivit, arbitrans mentem humanam initio in corpus immigrantem omnium rerum ideas secum ferre; has ideas propter unionem mentis cum corpore esse oblitas, consopitas, oblivioni quasi traditas; revocari autem in memoriam perceptis rebus sensibilibus, in quibus radii quasi idearum illarum resplenderent. — Contra *epicurei* et *stoicorum* aliqui ideas rerum integras omnino ex rebus sensu perceptis hauriri dixerunt. — Aliam solutionem posuerat *Aristoteles,* cum diceret: „Nihil (puto) prohibet, quod quis discit, eum aliquo modo scire, aliquo modo ignorare.“ [2] Quae solutio scholasticis omnibus

[1] *Sylv. Maurus,* Quaest. philos. l. 1, q. 66. [2] Anal. post. 1, 1 (71 b 5).

probata est, scil. conclusionem nesciri quidem actu vel explicite, sciri tamen potentia vel implicite sive indistincte.

„Cognoscere aliquid indistincte, medium est inter puram potentiam et actum perfectum." [1] „Qui scit aliquid in universali, scit illud indistincte: tunc autem distinguitur eius cognitio, quando unumquodque eorum, quae continentur potentia, in universali actu cognoscuntur." [2]

Quemadmodum igitur effectus naturales in virtute causarum efficientium continentur, in quibus inexsistunt virtualiter et secundum quid, et postea virtute causae efficientis sive agentis educuntur quasi, ut exsistant actu et in se ipsis, ita arbitrati sunt illi philosophi, conclusionem contentam esse primo in principiis virtualiter et secundum quid, indeque virtute discursus *educi*, ut fiat aperta et expressa notitia. Atque id significabant, cum dicerent cognitionem discursivam fieri ex praeexsistente cognitione [3].

679. Inter recentes permulti ad ponendas notitias innatas sunt regressi. Ita *cartesiani*, atque etiam *leibniziani*. *Kantiani* iudicia posuerunt, quae ex sola mente formas omnes acciperent. Alii, inter quos *Reid*, *Cousin*, notitias sive iudicia sponte in animis exsurgere dixerunt. Alii primitivum intuitum absoluti aut Dei posuerunt, in quo mens intuitu immediato omnia conspiceret. Qui omnes philosophiae peripateticae adversarii in eo convenerunt, ut ratiocinium esse fontem cognitionis novae negarent, cum mens iam actu ea intueretur in praemissis, quae in conclusione exprimerentur; atque ita ratiociniis nostris ea tantum illustrari atque confirmari dixerunt, quae iam aliunde cognita haberemus. Id post *Kant* praecipue docuerunt *Fries*, *Herbart*, *Beneke*, *Schleiermacher*.

Syllogismo magnopere quoque diffisus est *Baco de Verulamio*.

Praeterea qui vocantur *traditionalistae* nihil plane a nobis sciri posse contendebant, nisi quae ex revelatione divina vel traditione vel consensu hominum hausta essent: haec ratiociniis illustrari quidem posse et confirmari, non vero demonstrari vel inveniri. Qui tamen posteriore tempore aliqua moderatione sunt usi.

680. 2. In thesi nostra non comprehendimus syllogismos illos, in quibus propositio maior *ex universalitate facti*, ab argumentante per singula et omnia perlustrati, orta sit, sive inde, quod aliquid *de facto* tantum in singulis individuis voce „omnes" comprehensis ab ipso argumentante inventum vel non inventum sit; velut cum argumentor: *Omnes habitantes in hac domo sunt myopes; atqui Iacobus habitat in hac domo; ergo myops est;* vel: *Nemo ex regis famulis est Aethiops; sed Petrus est famulus regis; Petrus ergo*

[1] *S. Thom.* in l. 1 phys. lect. 1. [2] Ibid.; cf. S. th. 1, q. 85, a. 3.
[3] Cf. *Alamannus*, Summa philos. 1, q. 21, a. 3.

non est Aethiops. Apparet enim in his syllogismis, a quibus abest universalitas *causae,* universalitatem *facti* propositione maiore statui non posse, quin ante conclusio cognita fuerit. Sed eos tantum syllogismos attendimus, in quorum praemissa maiore praeter universalitatem facti exprimitur universalitas *causae;* in quibus igitur notitia praemissae maioris non est nata ex enumeratione omnium singulorum voce „omnes" contentorum, sed ex deprehensa *causa,* cur praedicatum cum subiecto coniunctum esse debeat [1].

681. **Arg. 1** *(ex conceptu notitiae novae).* Nova cognitio sive notitia nova est, cum nunc cognosco hoc praedicatum convenire huic subiecto, quam convenientiam ante ignoraveram; *atqui* in syllogismi conclusione cognosco quoddam praedicatum convenire cuidam subiecto, quae convenientia ante a me erat ignorata; *ergo* in conclusione syllogismi acquiritur notitia nova.

Prob. min. a) *Ex natura syllogismi.* Convenientia praedicati et subiecti, quae edicitur in conclusione, eatenus iam ante cognita putari potest, quatenus in praemissa maiore cognosci debuit tantummodo virtualiter, implicite, secundum quid, non autem simpliciter, explicite, actualiter. Nam quod in maiore edicitur, non edicitur propter perlustrata singula in se ipsis cognita, sed propter cognitum aliquem nexum causalem, ob quem praedicatum cum subiecto universe coniungi debeat.

b) *Ex experientia.* In mathematicis res est apertissima, per processus syllogisticos plurima disci nova [2]. Vel quis putabit eum, qui prima mathesis principia cognoverit, nosse iam etiam pythagoraeum vel ptolemaeum vel pascalicum vel calculum differentialem? Atque etiam in disciplinis reliquis extra omne dubium est positum, quin plurima a nobis discantur, quae ante a nobis ignorata fuerint. Qui scit *calore* omnia corpora extendi, is eo ipso nondum scit calore effici, ut perpendiculum tardius oscilletur. Unde hoc modo scientiam novam acquirere poterit: *Calor omnia corpora extendit, ergo etiam perpendiculum; atqui perpendiculum si extenditur, tardius oscillatur; ergo calor efficit, ut perpendiculum tardius oscilletur.* Et similia in omni disciplinarum genere evenire videmus [3]. Neque minus in vitae usu cotidiano accidit, ut veritatem uni-

[1] „Was im Realen der Grund ist, das ist im Logischen der Mittelbegriff des Schlusses." *Trendelenburg,* Logische Untersuchungen II 388.

[2] Opinatur *Schleiermacher* in rebus mathematicis hauriri notitias novas non propter vim syllogisticam, sed propter constructiones linearum aspectabiles. Quem recte vituperat *Ueberweg,* System der Logik [5] 322.

[3] Ad rem *Ueberweg:* „Die ‚reale' erkenntnisschaffende Macht des Syllogismus läßt sich nicht nur auf dem mathematischen, sondern auch auf allen übrigen Gebieten des Wissens nachweisen. Jedes Ergreifen eines individuellen Faktums der Geschichte aus dem allgemeinen Gesetze geschieht notwendig in syllogistischer Gedankenform, obschon selten in syllogistischer Ausdrucksweise" (System der Logik [5] 325).

versalem teneamus nondum huic vel illi rei applicatam; postquam autem applicaverimus, nos novam notitiam acquisivisse videamus.

Arg. 2 *(ex consideratione ratiocinii puri, empirici, mixti).* In ratiocinio puro aperitur causa, ob quam praedicatum subiecto conveniat, manifestanturque relationes, quae inter conceptus intercedunt. In ratiocinio mixto notitiae experimentales subiciuntur principiis analyticis, manifestantur variae quibus res conectuntur relationes, aperiuntur facta particularia. In ratiocinio empirico facta particularia subiciuntur principiis experimentalibus.

682. ***Obi. 1.*** Videtur ratiocinio non tam acquiri nova scientia, quam prius scita in memoriam revocari. Nam si puer interrogatur de rebus, quas numquam diligenter perpendit, velut *faciantne quattuor et tria* septem, recte respondet; ergo scivit. Quodsi servum fugitivum quaeris, si eum non noveris ante, etiam si in illum incidas, non poteris cognoscere esse servum, quem quaeras.

Resp. Puer de re interrogatus, quam ante nesciebat, recte respondere potest, modo usum rationis ipse habeat, et res vim habeat manifestandi se ipsam, vel per congruentem interrogationem proponatur ut conexa cum re iam manifesta. Deinde servo fugitivo deest paritas cum occurrente veritate, ille enim non se manifestat; haec autem tum se ipsam ex se manifestat, tum alias veritates secum conexas.

Obi. 2. Ut in aliquo syllogismo propositio maior cum veritate affirmari possit, conclusio iam scita esse debet; v. g. quis cum veritate potest affirmare *omnem virtutem esse laudandam,* nisi iam sciat *pietatem* esse laudandam?

Resp. Duplici ratione aliquid dici potest esse praecognitum. Uno modo actu, simpliciter et in se; et quod est sic praecognitum, non addiscitur de novo, sed per deductionem aliquam rationis in memoriam reducitur. Alio modo in potentia sive virtute, vel secundum quid et in alio; et quod est sic praecognitum, addiscitur de novo; et hoc modo est praecognita conclusio in principiis, antequam simpliciter addiscatur per demonstrationem.

Obi. 3. Cognoscere aliquid in universali est cognoscere perfectiore modo, quam cognoscere in particulari; *atqui* conclusio praecognita in praemissis praecognoscitur in universali; *ergo* perfectius cognoscitur quam per demonstrationem, atque ita non magis addiscitur de novo quam antea [1].

Resp. Duplici ratione fieri potest, ut aliquid cognoscatur in universali. Uno modo, ut referatur ad cognitionem ex parte medii, quo cognoscitur; et sic cognoscere aliquid in universali, i. e. per medium universale, potest esse perfectius, si cognitio usque ad propria sive

[1] *S. Thom.,* S. th. 1, q. 55, a. 3 ad 2.

singularia reducatur[1]. Alio modo, ut referatur ad cognitionem ex parte cogniti; et sic cognoscere in universali aut est cognoscere solum universalem naturam rei, ignorata eius differentia (velut cum quis de *homine* solum cognoscat, quod sit animal), aut cognoscere rem in virtute et in alio tamquam in causa tantum (velut cum *conclusio* cognoscitur in praemissis). Et hoc modo cognoscere rem aliquam in universali est cognoscere illam modo imperfectiore, quam si cognoscatur in particulari et in se ipsa.

Obi. 4. Qui ratiocinio aliquid inquirit, aut iam scit illud quod quaerit, aut non scit. Si scit, non opus est, ut inquirat; si nescit, frustra quaerit, cum etiam si in illud incurrat, adhuc se invenisse ignorabit. (Dilemma *Platonis* in Menone[2].)

Resp. Haud raro conclusio invenitur, quae nullo modo quaesita fuerit. Si autem fuerit quaesita, non oportet, ut fuerit cognita formaliter ut vera. Quod ut in partes omnes facilius percipiatur, distinguendum imprimis est inter cognitionem, qua consequentis veritas cognoscitur, et cognitionem, qua solum apprehenditur consequentis subiectum et praedicatum. Distinguendum quoque est inter ratiocinium, quod post quandam quaestionem, quae determinata sit, patefacit quaesitam veritatem, et ratiocinium, quo invenitur veritas, quae quaesita non est. Distinguendum tandem est inter finem, quem determinatum intendimus, et finem, qui intendatur sub ratione generica vel confusa. Quippe enim aliud est, cum hanc propositionem veram esse me demonstrare velle dico; aliud, cum veritatem, quae sit in quaestione, inquirere volo et cognoscere, utrum affirmandum sit id quod quaeritur, an negandum. Et consimiliter de usu mediorum dicendum est. Est enim diversitas, si quis adhibet media, quae media certa et determinata cognoscit; aliud est, si quis adhibet ea quae sunt media, neque tamen ea media esse ab adhibente cognoscitur. Quibus ex rebus perspicue apparet in eo ratiocinio, quo veritas, quae non est quaesita, detegitur, neque conclusionem ante cognosci explicite, neque finem intentum esse, neque praemissas adhiberi tamquam media ad certum finem determinata. In eo autem ratiocinio, quo veritas, quae est quaesita, aperitur, ante quidem cognoscitur explicite, quod subiectum conclusionis futurum sit et praedicatum, non autem prius cognoscitur, sitne conclusio vera an falsa; finis vero intentus est notitia veritatis dumtaxat. Neque oportet, ut certae praemissae adhibeantur, quas iam constet esse media certo ad finem conducentia; sed satis est, ut harum vel illarum fiat periculum, quo tandem appareant eae, quibus veritas aut falsitas consequentis manifestetur.

---

[1] „Cognitio perfecta non habetur per medium universale, quia non est efficax ad cognitionem omnium propriorum: si autem per medium universale omnia propria efficaciter cognoscerentur, esset perfectissima cognitio, quia quanto aliquid est magis unum et simplex, tanto est virtuosius et nobilius." *S. Thom.* 2 dist. 3, q. 3, a. 2 ad 3.

[2] Vide *Arist.*, Anal. post. 1, 1 (71 a 29).

683. ***Scholion 1.*** Sex facultates sive potestates syllogismorum simplicium tradit *Aristoteles*[1]. Sunt vero hae virtutes: 1. plura concludendi (τὸ πλείω συλλογίζεσθαι); 2. vera ex falsis colligendi (τὸ ἐκ ψευδῶν ἀληθές); 3. circulariter ratiocinandi (τὸ κύκλῳ δείκνυσθαι); 4. conversione ratiocinandi (τὸ δι' ἀντιστροφῆς); 5. ratiocinandi per impossibile (τὸ διὰ τοῦ ἀδυνάτου); 6. ratiocinandi ex oppositis (τὸ ἐξ ἀντικειμένων προτάσεων). Virtus enim syllogismi est ea, ut unum inferatur ex alio. Sed est in syllogismo quaedam virtus, quae est eius essentia, et quaedam virtus, quae essentiae superadditur in modum accidentis vel proprietatis. Virtus essentialis est illa, quam habet quilibet modus syllogisticus ad conclusionem sibi immediate proportionatam, quam ipsum nomen modi syllogistici indicat: velut modus Baroco habet potestatem essentialem, ut inferat illam conclusionem, quam nomen modi indicat. Praeter hanc vim essentialem inveniuntur in syllogismis sex illae potestates accidentales. Hae vero potestates syllogismo conveniunt aliae ratione praemissarum, aliae ratione conclusionis. Iterum aliae attenduntur secundum ipsas tres enuntiationes, quae constituunt syllogismum, aliae secundum opposita harum enuntiationum, aliae secundum defectum veritatis in propositionibus syllogismi. Et sic patet virtutes syllogismi esse bis trinas vel sex. Nam secundum ipsas enuntiationes constituentes invenitur virtus plura colligendi ratione praemissarum, et virtus circulariter ratiocinandi ratione conclusionis. Secundum opposita enuntiationum invenitur virtus ratiocinandi ex oppositis ratione praemissarum, et virtus conversione ratiocinandi ratione conclusionis. Secundum defectum veritatis invenitur potestas vera ex falsis colligendi ratione praemissarum, et virtus ratiocinandi per impossibile ratione conclusionis.

Scholion 2. Tres indicat *Aristoteles*[2] condiciones necessarias propositionum, ex quibus demonstratio ducatur: videlicet ut sint *de omni*, ut sint *per se*, ut sint de praedicato *quatenus ipsum* sive *secundum quod ipsum*. — Propositio *de omni* est, ad cuius subiecta pertinet signum universalitatis. Quod si propositioni praefigitur, propositio dicitur de omni prioristice: ut: *omnis homo ambulat*; dicitur autem de omni posterioristice, si post prolatam propositionem quivis intellegit praedicatum convenire omni subiecto, ut: *homo est animal*. Manifestum est autem, praemissas demonstrationis esse debere de omni posterioristice, secus enim necessariae non essent: parum autem refert, sintne etiam de omni prioristice. — Propositio est *per se*, cum praedicatum est de essentia subiecti, velut cum definitio vel definitionis pars praedicatur de definito: vel cum subiectum est de essentia praedicati, velut cum divisio praedicatur de genere vel proprietas de subiecto. Et uno ex his duobus modis praemissae demonstrationis per se esse debent, ut ea necessitate imbutae sint, quae ad demonstrandum requiritur. — Propositio est *de praedicato quatenus ipsum* vel *secundum quod ipsum*, cum de definito praedicatur definitio vel etiam proprietas de subiecto immediato, quocum

[1] Anal. prior. 2, 1—15. [2] Anal. post. 1, 4.

quasi est reciproca. Sed manifestum est id desiderari tantum ad praemissas demonstrationis potissimae (n. 280). Harum autem trium condicionum posterior quaeque priores includit et supponit. Unde non est vituperandus *Aristoteles,* cum condicionem tertiam definit: „Universale dico, quod dicitur de omni et per se et quatenus ipsum."

§ 2. De inductione (incompleta sed perfecta).

684. Inductionis usus instinctivus et rationalis. Ex iis quae alio loco (n. 293 sq et n. 338 sq) de inductione dicta sunt, manifestum est vitam humanam abundare inductionibus, si ea vox accipiatur sensu latissimo.

Ad vitam enim degendam necesse est cognoscere alimentorum vim ad nutritionem, plantarum ad sanationem morborum. Nisi enim perspectum haberemus *pane* sedari famem, *aqua* sitim restingui, *calore ignis* frigida recreari membra, his plantis *salubrem vim* inesse, istis autem *nocivam,* iam vitae nostrae vel nullam vel non aequam necessitatibus curam agere possemus. Experientia autem haec aliaque id genus nos non edocet, nisi illi inductionis vim addas, cuius ope certum est proprietates in variis rebus observatas illis naturales esse, iisque certas rerum leges manifestari. — Et disciplinae naturales fere totae nituntur inductionibus. Quae per inductionem non solum rerum corporearum phaenomena, sed etiam proprietates et leges universales investigant et definiunt.

Utilis quoque vel necessaria est inductio, quae mores inclinationesve hominis spectat. Quae per probabilitatem haud exiguam nobis praenuntiat, quid homines in hac vel illa rerum circumstantia acturi sint; ex quo suam quique agendi rationem homines ad prudentiae regulas accommodare possunt, tum quoad se tum quoad alios. Omissa inductione morali nulla liberorum educatio, nulla societatis civilis moderatio, nullum inter homines cum ordine commercium [1].

Verum magnopere in his rebus distinguere oportet inter inductionem instinctivam et rationalem.

Quia enim tanta est inductionis necessitas, ideo homini iam a natura provisum esse videmus, ita ut homo quilibet sola duce natura secundum vim cuiusdam inductionis agere videatur. Quae vis inest in omnibus. Ipsos videmus infantulos, quinimmo beluas aliquo inductionis sensu praeditos. Puerulus, si admota ad fornacem manu dolorem expertus fuerit, in futurum cavebit; et animalia sponte appetunt, quae aliquotiens iucunda experta sunt, horrent ea, quibus dolor inflictus sit. Itaque inductionis quoddam initium vel quaedam quasi umbra in vita humana usum omnem rationis antevertit, quinimmo ut ea quam vocant „exspectatio casuum similium" in ipsa brutorum animalium vita reperi-

[1] *Vallet,* Praelect. philos., Log. 66.

tur. Cum autem homines cuiuscumque indolis, sive docti sive indocti, cotidie totam agendi cogitandique rationem secundum principia inductionis componant, neminem reperies, qui naturalem illam firmitatem, qua inductioni fidat, ex mente, quantumvis conetur, evellere possit, velut putare incipiat *ignem* in alia terrae parte ante mille annos non ussisse, vel perendie apud nos iam non usturum esse. Et haec est inductio naturalis sive instinctiva, de qua hoc loco non agitur. Solam enim attendimus *inductionem rationalem*, quae est actus rationis humanae ratiocinantis.

685. Inductionis rationalis fundamentum diximus esse hoc: Quidquid valet de singulis, valet de omnibus. *Principium* autem inductionis hoc esse vidimus: Id quod universe et constanter in observatis multis individuis alicuius speciei reperitur, ex natura harum rerum oritur; quod autem ad aliquam naturam pertinet, convenit individuis omnibus illius naturae.

Cum autem de certitudine huic principio tribuenda diversae sint apud philosophos sententiae, hac de re hoc loco apertius quaerendum esse videtur.

Simul atque intellectum maiore cum attentione ad phaenomena per experientiam comperta advertimus, eventuum conformitas, quae in certis rebus itidem conspicitur, percellit animum. Et quia eosdem a certis rebus effectus constanter et uniformiter prodire videmus, easdemque qualitates ipsis constanter et uniformiter convenire, iam ratione ducti concludimus *hanc quae sit in effectibus constantiam et uniformitatem a causa constanti et communi repetendam esse*, quae hos effectus edere possit vel has qualitates requirat[1]. Hanc autem causam ipsis rebus non ut his individuis, sed ut talem naturam habent, attribuere solemus, quem ad finem conceptus formamus, quibus essentias rerum exprimamus; et hos conceptus adhibentes, *ignem generatim urere* dicimus, *aqua sedari sitim posse, plumbum omne in aqua immergi*, sescenta alia. Itaque ex individuis notis ratione duce universaliter concludimus etiam ceteras res individuas, in quibus eadem natura reperiatur, eosdem effectus producere easdemque habere qualitates.

Id igitur ex consideratis factis ut compertum habetur, rebus inesse certam et determinatam naturam, quae, etsi ad producendos certos et determinatos effectus certas condiciones externas et adventicias supponat, quae per se contingentes sint, tamen ex se constantem et uniformem agendi modum habet, ex quo pro

[1] Cf. *J. St. Mill*, Log. 3, 21.

circumstantia condicionum ordinaria et consueta certi et determinati effectus exspectari possint.

Atque ita evenit, ut plurima per inductionem formentur iudicia universalia, non per idearum analysim, sed per synthesim ope experientiae. Cuius generis sunt: *Corpora omnia inter se attrahunt ratione directa massarum et ratione inversa quadratae distantiae,* vel: *Pluribus intentus minor est ad singula sensus,* vel: *Parentes omnes liberos amant,* vel: *Sol cotidie nobis oritur.*

Si quis autem huius ordinis naturalis causam ultimam et altissimam cogitando penetrare velit, is ad exsistentiam Dei creatoris et gubernatoris concludet, qui rebus certas naturas sive essentias secundum ideas divina mente conceptas indiderit, secundum quas certis positis condicionibus ferrea quadam necessitate effectus certos producant; qui sub rerum initiis maxima cum sapientia in hoc mundo posuerit eam condicionum congeriem, quae ad adducendum huius mundi ordinem fuerit necessaria, qui res omnes conservet et res omnes ad agendum secundum naturam coadiuvet, qui ordinem a se in mundo procreatum constantem velit, hinc non turbet nec ut turbetur permittat[1].

Atque haec hausta ex ordine legibusque naturae de Deo sapienti ac providenti notitia notitiam ordinis et legum naturae, quae ex sola consideratione ipsius naturae ope inductionis acquisita erat, ex sua parte iterum illustrat atque confirmat. Videmus enim Deum optimum maximum ex sapientia sua ad id necessario adduci, ut huic mundo ex libero voluntatis arbitrio creato ordinem certum imponat certasque leges indat. Et quantumvis perspicuum sit in Deo summo rerum domino manere potestatem, ut per exceptionem legi alicui naturali in re particulari ob finem altiorem deroget, tamen manifestum quoque est sapienti provisori cavendum esse, ut ordo illaesus perduret neve exceptio cedat in regulam, et ut homines in iudiciis suis syntheticis universalibus eam habeant certitudinem, quae ad vitam recte instituendam requiritur.

686. **Diversae sententiae de valore inductionis.** Cum *Aristoteles* ad inductionem convertisset animum, illico perspectum habuit inductioni vim universalem ex sola experientia habita simplicique enumeratione esse non posse. Et probe intellexerunt peripatetici in usu inductionis post factam experientiam multiplicem inquirendum esse et distinguendum, quid ex natura sive essentia rerum eveniret, quid autem naturae solum accideret: „Quod accidit alicui naturae, non invenitur universaliter in natura illa; sicut *habere alas,* quia non est de ratione animalis, non convenit omni animali.“[2] Vel ut rem ponamus enucleatius, perspectum illi habuerunt ex factis multis constantibus et uniformibus observatis

[1] Cf. *Ptolemaeus,* Philosophia mentis et sensuum, Romae 1702, 194.
[2] *S. Thom.,* S. th. 1, q. 51, a. 1.

adhibito causalitatis sive rationis proportionatae (sufficientis) principio ad causam constantem et uniformem concludendum esse, hanc autem causam constantem et uniformem aliam esse non posse nisi ipsam rerum naturam sive essentiam, hanc cognitam rerum essentiam fontem esse, ex quo iudicia synthetica vim universalem haurire possent.

Postquam *Aristoteles* primus inductionis notionem magna cum diligentia est interpretatus [1], hoc argumentandi genus apud philosophos graecos oblivioni quasi traditum esse videtur. Apud stoicos et epicureos vix invenies, quae de inductione memoratu digna sunt. Et in omnibus philosophorum sectis praeter aristotelicam tota philosophandi ratio sola deductione comprehendebatur. A mediae aetatis peripateticis ipsa vis et structura inductionis secundum Aristotelis principia satis est explorata et constituta, quamvis illo tempore praeclarum hoc sciendi instrumentum ad investigandas naturae vires, quae ad exornandam hanc vitam terrestrem essent idoneae, vix sit adhibitum.

Cum inter recentiores primus *Baco de Verulamio* maiore cum diligentia de inductione diceret, is naturam et vim logicam vix tetigit, sed totus erat in constituendis praeceptis, quae in usu inductionis utilia esse possent (cf. infra obi. 1). Et magis etiam ab illis qui Baconem in cultu rerum terrestrium secuti sunt empiristis in hac re peccatum est. Cum enim omnia principia rationalia sive analytica, quippe quae non redolerent experientiam sensilem, summopere horrerent, ad id omnem suam operam contulerunt, ut ostenderent, quo pacto omissis omnibus principiis analyticis per solam experientiam et quandam enumerationem certitudo universalis comparari posset. Et ab aliis etiam philosophis haec quaestio vehementer agitata est; quorum aliqui, de certitudine desperantes, aut ad scepticismum pervenerunt, aut certitudinem ad solam probabilitatem reduxerunt. Inter quos praecipuus est *David Hume*, qui iudiciorum omnium universalium principium posuit *praeterito futurum fore simile*. Quod principium cum neque experientia fulciri videret neque interno conceptuum nexu, in sola persuasione subiectiva subsistere dixit; internam hanc animi persuasionem oriri ex more et consuetudine [2].

Thomas Reid, cum Humii scepticismum vitare vellet, in auxilium vocavit naturae instinctum, qui iam in beluarum et infantulorum vita summopere celebraretur. Principium autem inductionis statuit, phaenomena futura sub similibus circumstantiis fore similia. Hoc principium nobis a natura inditum esse ait, nam nos eo indigere ad experientiam, priusquam illud ratiocinando cognoscere possimus: neque vero illud ratione ulla vinci posse, sed magis magisque confirmari [3].

[1] Vide inter locos alios Topic. 1, 12 18; Ethic. 1, 9 et 2, 5; Polit. 2, 8.

[2] Ita praecipue in libro: Enquiry concerning the human understanding, London 1748.

[3] Essays on the intellectual powers of the human mind, London 1827, Essay VI, ch. 5, n. 12.

Kant, ut vitaret scepticismum ab Hume introductum, non caecum instinctum adhibuit, sed iudicia synthetica, quae ante omnem experientiam in mente nostra insculpta a natura finxit.

Et ab aliis aliud quiddam, quod pure subiectivum esset, confictum est, quod experientiis singularibus vim universalem largiretur. Inter quos praecipue *Apelt*, *Royer-Collard*, *Th. Jouffroy*, *Gratry*, *J. M. Cosh*.

Pascalis Galluppi se nullius fulcri praeter solam experientiam indigere dixit, ut universalem vim inductionis sustineret; similitudinem inter futurum et praeteritum propter solam experientiam certam esse, atque ita effatum illud: *futurum simile praeterito*, veritatem esse empiricam [1]. Quod hac ratione persuadere est conatus: Longissimum tempus praeteritum, quamvis nunc praeteritum sit, tamen initio rerum erat futurum. Ergo cum in toto eius decursu similitudinem eventuum mens deprehenderit, similitudo inter futurum et praeteritum experientiae obnoxia erat. — Verum hac in audacia Galluppi vix ullos nactus est discipulos. Etsi enim experientia transacta hactenus aliquam inter aliqua praeterita et aliqua futura similitudinem ostenderit, tamen nullo modo ex se sola ostendit eam similitudinem etiam in posterum, i. e. in iis quae nunc nondum evenerunt, permansuram esse.

Nos igitur insistentes doctrinae peripateticae, per inductionem etiam incompletam iudicia universalia omnino certa comparari posse dicemus, eo quod iure merito ad experientiam asciscuntur principia analytica, quorum praecipuum est principium causalitatis, et principium rationis necessariae sive proportionatae (sufficientis), quibus principiis cognoscimus ipsas rerum essentias ut causas effectibus omnibus proportionatas.

687. **Thesis 27.** **Adhaesio, qua multa iudicia synthetica universalia inductione incompleta comparata admittimus, nititur cognitione factorum empirica et cognitione rationali principiorum analyticorum, qua cognitione ad percipiendas rerum essentias adducimur. Unde inductione incompleta acquirere possumus eius generis iudicia, quae certa sunt certitudine physica.**

Ad stat. quaest. 1. Indicatum est suo loco, inductionem aliam vocari posse completam, aliam incompletam; incompletam iterum aliam perfectam esse, aliam a perfectione certitudinis deficere (n. 298).

Inductio completa etsi a syllogismo deductivo diversa est (n. 294), tamen propter vim concludendi syllogismo omnino est aequiparanda (n. 296). Sed de inductione incompleta quaerendum est, utrum ea umquam certitudinem proprie dictam parere possit necne. Et ea est vis nostrae thesis, ut dicamus revera esse posse inductionem incompletam, ex qua veram hauriamus certitudinem.

[1] Lezioni di Logica e di Metafisica, Neap. 1832—1836.

2. In priore parte thesis inquirimus, unde haec nascatur inhaesio, qua homines eiusmodi inductionem ut fidam et certam et veram admittere solent. In altera deinde parte quaerendum erit, an vera sit hoc modo parta certitudo et firma.

Exemplum inductionis, de qua quaeritur, sit hocce: *Plumbum, lignum, animal, lapis sunt impenetrabilia et uni loco totali praesentia* (id quod *unilocata* vocant): *atqui plumbum, lignum, animal, lapis sunt corpora; ergo corpora sunt impenetrabilia et unilocata.* Cuius inductionis ut pateant principia, haec sit resolutio: *Omnia quae homines, quantum scio omnes, sensu experti sunt corpora, ea inter se sunt impenetrabilia et uni loco totali indiviso praesentia.* 1. *Atqui factum tam constans debet habere rationem sibi proportionatam. Ergo est causa aliqua proportionata, cur corpora per experientiam adhuc cognita omnia esse impenetrabilia et unilocata repertum est.* 2. *Atqui causa huic effectui proportionata alia esse non potest nisi ipsa natura corporum. Ergo corpora omnia hactenus repertum est esse ideo inter se impenetrabilia et unilocata, quia haec est natura corporum.* 3. *Atqui natura corporum omnibus corporibus communis est. Ergo corpora omnino omnia, etiam illa quae nemo adhuc homo expertus est, sunt unilocata et inter se impenetrabilia*[1].

3. Non tamen de inhaesione illa naturali et „exspectatione casuum similium" vel generalizatione *instinctiva* agitur, quae in omni natura animali a nativitate est insita, et quae per experientiam augetur et excolitur, sed de generalizatione *rationali* et *scientifica,* quae eius sit indoles logica.

Non igitur de huius quaeritur origine *psychologica*, i. e. qua mentis vel organismi vivi indole fiat, ut homines ad iudicia illa universalia formanda adigantur. Id si quaeratur, fatendum est homines a natura per inclinationem, vel nisum, vel instinctum propter necessitatem vitae ad illa iudicia propendere. Sed in quaestione versatur natura *logica* illorum iudiciorum, ita ut quaeramus, ob quam rationem homines in ordine cognitionis id, quod perceperint de aliquibus, saepenumero sine ulla mentis haesitatione affirment de rebus illius generis absolute omnibus.

Alii dicunt id fieri ex caeco impulsu ad solam experientiam accedente. Alii intervenire principium universale fatentur, in quo tamen explicando in varias sententias abeunt. — Nos interventum principiorum universalium defendimus, sed insuper adversus *J. St. Mill* tenemus haec aliud fundamentum habere non posse nisi perceptas a nobis ipsas rerum essentias sive naturas.

4. In altera thesis parte illa omnino *certa* esse volumus.

Qua in re adversarios habemus: 1. *Wolff,* qui iudiciis illis verbo quidem certitudinem relativam tribuendam esse docet, revera autem pro-

[1] Hunc sumptionum ordinem in polysyllogismo adhibemus claritatis gratia, quo planius fluat conclusionum series. Pro syllogismi natura ordo minorum propositionum et maiorum invertendus erat.

babilitatem tantum attribuit. Indubia illa esse dicit, si ad res iam exploratas restringantur, sed probabilia tantum, si ad res extendantur, quarum experientia nondum facta sit.

2. *Hume*, cum principii a se statuti (futurum praeterito erit simile) nulla in rebus fundamenta solida invenisset, necessaria consecutione ductus, iudiciis illis probabilitatem tantum attribuit, immo sibi constans posteriore tempore in scepticismum est lapsus, ex quo *Kant* (iudiciis syntheticis, quae menti ante omnem experientiam insita essent, adhibitis) Humium eruere frustra conatus est.

688. Pars I. Inductio completur ex observatione coniuncta cum principiis analyticis.

Argumentum *(ex natura iudiciorum universalium).* Experientia teste iudiciis universalibus inhaeremus in ordine cognitionis, non quia caeca quadam necessitate subiectiva acti sumus, sed propter motiva cognita et propter obiectivas rationes perceptas; *atqui* haec motiva vel rationes aliunde hausta esse non possunt nisi ex factis per experientiam cognitis et ex principiis analyticis, quibus ad percipiendum ipsas rerum essentias physicas adducti simus; *ergo* id verum est, quod in priore thesis parte affirmavimus.

Prob. min. Requiri factorum notitiam empiricam res manifestior est, quam quae ab homine negata sit. Sed inter motiva debent esse etiam ea, quae iudiciis syntheticis veram largiantur universalitatem et necessitatem. Id autem nulla notitia empirica fieri potest (quippe quae usque singularis sit et semper ad numerum aliquem individuorum coartetur). Requiruntur igitur principia analytica, cuius generis est principium causalitatis sive rationis proportionatae. His autem principiis effici nihil potest, nisi iis intervenientibus cognoscatur inesse in rebus causas, quibuscum effectus constantes et uniformes constanter et uniformiter coniuncti sint, sive inesse in rebus aliquid, quo omnino necessario determinatae sint, ut sic agant et sint, et non aliter. Id autem nihil aliud esse potest praeter ipsas rerum essentias sive naturas. Essentia enim definitur id, quo res in sua specie constituitur et a diversis distinguitur; et ideo est aliquid primum in re et radix omnium proprietatum ipsius.

Confirmatur (ex exsistentia verae in his rebus certitudinis illorum iudiciorum a plurimis adversariis admissa). Admittunt reapse plurimi ex adversariis, nos veram habere in iudiciis multis syntheticis universalibus certitudinem; et riderent profecto eum, qui certo constare negaret corpora omnia esse ex natura impenetrabilia, sub legibus gravitatis plumbum omne e manu emissum ad terram moveri. Atqui non est alia via ad certitudinem hanc perveniendi nisi ea, quae in argumento est indicata.

689. **Pars II. Inductio praebet certitudinem.**

Argumentum *(ex reductione inductionis ad processum syllogisticum)*. Conclusio, quae per formam syllogisticam recte institutam colligitur ex praemissis, quae partim per experientiam certo constant, partim sunt principia analytica, est omnino certa (certitudine saltem physica); *atqui* iudicia synthetica per inductionem incompletam quidem, sed perfectam comparata eandem vim habent, ac si concludantur syllogistice ex factis per experientiam notis et ex principiis analyticis; *ergo* haec iudicia omnino certa sunt (certitudine saltem physica).

Ad min. In praemissis inest 1° experientia, qua nobis constat non solum accidere facta singularia, sed etiam eventuum identitas et constantia et uniformitas, quae certis positis condicionibus contingere solet; unde in nobis oritur magna iudiciorum particularium collectio, de quorum veritate nobis certo constat (certitudine saltem physica). Atque ita per experientiam percipimus, eandem rem in iisdem condicionibus positam constanter et uniformiter eosdem edere effectus.

Insunt 2° haec principia analytica: a) Eventus illi constantes et uniformes a causa constanti et uniformi repetendi sunt: quod nihil aliud est quam applicatio principii rationis necessariae. b) Haec causa non est aliquid, quod rei tantum, de qua agitur, accidat, sed quod ipsi rei sit insitum, i. e. ipsa rei natura sive essentia. Manifestum est enim nihil praeter ipsam rei essentiam ita cum re necessario coniunctum esse, ut nulla mutata condicionum circumstantia a re separari possit. Exigit igitur iterum principium rationis proportionatae, ut eventuum constantiam et uniformitatem iudicemus esse ipsius essentiae effectum. c) Natura aliquorum individuorum, cum sit omnibus individuis communis, in omnibus individuis etiam eosdem effectus producere debet.

Confirmatur 1° (ex necessitate illorum iudiciorum ad vitam humano modo instituendam). Iudicia illa falsa esse non possunt, ad quae formanda ipsa natura homines nisu invincibili impellit, quibus homo omnis suam agendi rationem conformare debet, ut vitam suam humano modo degere possit. Id enim, quod generatim ad bene vivendum necessario requiritur, verum esse debet. Atqui id dicendum de iudiciis syntheticis universalibus, quae formare solemus, quotiens est condicionum identitas et numerus individuorum observatorum, qui satis sit, ut ad eorum naturam sive essentiam concludamus. Reiecta horum iudiciorum certitudine iam nulla nobis prodest rerum praeteritarum experientia, neque futuris eventibus providere quisquam potest.

Confirmatur 2° (ex consideratione divinae bonitatis et sapientiae). Ex una parte Deum bonum et sapientem decet, ut rebus creatis imponat

certum causarum et legum ordinem, quo praesentia cum praeteritis et futura cum praesentibus certo modo conectantur. Et ex altera parte Deus bonus et sapiens velle non potest, ut homines careant iis notitiis, quae ipsis ad vivendum sunt necessariae.

Confirmitur 3° (ex salvanda humana scientia). Nulla est de rebus naturalibus vel humanis scientia, quae non sit plena iudiciorum, in quibus efficiendis inductio intervenit incompleta; neque sine his iudiciis illae disciplinae esse possunt. Si igitur inductione incompleta non possumus comparare iudicia, quae vere certa sunt, illae scientiae disciplinae omnino vanae sunt et inanes.

690. ***Coroll. 1.*** Ergo inductio, de qua loquimur, ad genus demonstrationis a posteriori reducitur. Et est ratiocinium mixtum, quia in experientia et in principiis analyticis fundamenta habet.

Coroll. 2. Ergo similitudo inter futurum et praeteritum non fundatur in persuasione tantum subiectiva, sive haec dicitur orta 1° psychologice ex consuetudine (id quod *Hume* placuit), sive 2° ex caeco naturae instinctu (eo modo, quem *Reid* proposuit), sive 3° ex iudiciis syntheticis naturae insitis (qualia *Kant* effinxit), sed fundamenta habet in percepta realitate obiectiva principii causalitatis sive rationis necessariae, et in perceptis rerum naturis sive essentiis physicis.

1. *Hume* putavit, id quod ad singularum rerum experientiam in excultiore homine accedat ad efficiendam „persuasionem scientificam“, nihil aliud esse nisi quandam impressionum associationem. Cum enim principia illa experimentalia experientiae soli inniti non posse videret, diligenter monuit per multiplicis experientiae repetitionem oriri in nobis insciis opinionem illam, qua futurum simile fore praeterito putemus.

Resp. Nemo umquam hominum dubitavit, quin reapse in rebus multis futurum simile fore praeterito arbitremur. Sed errat Hume, cum id semper per solam opinionem et ut probabile quid a nobis teneri affirmat. Errat, hanc persuasionem arbitrans sola experientiae repetitione niti. Errat, cum docet effatum a se statutum: *futurum praeterito simile erit,* esse posse inductivae demonstrationis principium. Nam illud certe non potest esse demonstrationis principium, cuius vis ex facta demonstratione consequitur. Est autem factae demonstrationis consequens, ut, si individua cetera iisdem proprietatibus instructa sint, idem etiam de individuis futuris tenendum sit, atque ita putandum futurum praeterito simile fore.

2. Instinctum seu caecum aliquem nisum praepotentem et universalem, quo homines ad generalizandum impelluntur, ex quo

oriatur fides aliqua primitiva, qua constantiam et generalitatem eventuum admittamus, statuit *Reid,* et similiter philosophatus est *Jacobi.* Alii, quibus non placet instinctus, recurrunt ad idealizationem quandam, qua notitia ex experientia hausta ad universalitatem suppleatur. Hanc docuit *Dugald Steward,* ad eamque accessit *Ueberweg*[1]. Quae idealizatio vim suam inde haurit, quod supponimus in rebus nexus causales inesse, quibus eventus certis legibus regantur; neque tamen ullo modo id cognoscimus, sed ex caeco quodam et firmo internae conscientiae *sensu* certae et evidentes illae conclusiones universales gignuntur. Qui sensus ab aliis alio nomine insignitus est. *Gratry* eum vocat divinum, docetque intellectum humanum ideo a rerum singularium aliqua enumeratione ad conclusionem vere universalem venire, quod in natura intueatur splendorem infinitudinis divinae.

Instinctum vel impulsum, quo ad iudicia synthetica universalia formanda feramur, minime negamus, sed negamus instinctum caecum. Inest animo, ut sapienter observat *Liberatore,* naturalis ad recte et secundum veritatem iudicandum determinatio, quae instinctus dici potest. Haec tamen est tantum condicio subiectiva sive psychologica, non fundamentum, cui mens in iudiciis proferendis innititur. Secus enim iudicia mentis essent caeca, ratione destituta, et repugnarent naturae intellectus, qui semper percepto motivo obiectivo ad assentiendum adduci debet[2].

Qui de „idealizatione" dicunt, ut *Dugald Steward,* loquuntur ambigue. Si enim idealizationem in eo consistere putant, quod formemus ideas sive conceptus universales, qui fundamento in rebus externis careant, „idealizatio" ad errorem nominalismi iam alibi refutatum reducitur. Sin post habitam singularium experientiam ideas sive conceptus universales formari arbitrantur, quibus ipsae rerum *essentiae* exhibentur, recte sentiunt.

3. *Kantii* iudicia synthetica a priori nulla esse iam ostendimus. *W. Whewell* putat nobis a nativitate inditas esse ideas vel iudicia synthetica, quae vim universalem habeant[3]. In hac igitur causa Whewell cum Kantii doctrina convenit, quod per processus inductivos nobis afferri tantum *materiam, formas* accedere ex mente nostra docet. Fieri arbitratur, ut non sine vi plastica mentis (some formative power of the mind) perceptis rebus ideae indantur et informentur (informs) quasi universales. Ita cognitionibus nostris per sensus receptis novum quoddam

[1] System der Logik[5] § 129. [2] Log. part. 2, n. 142.

[3] The philosophy of inductive sciences, founded upon their history, London 1840.

elementum spirituale additur (superinduced), quo fit, ut primo praesto sint ideae fundamentales, ex quibus deinde nascantur conceptiones intellectuales reliquae. Haec doctrina haeret in falso subiectivismo iam refutato. Etenim certum est, id quod de rebus externis per iudicia universalia cum veritate affirmamus, in ipsis rebus fundamenta habere. Necessitas enim iudicandi *omnia corpora esse impenetrabilia,* non a solo subiecto provenit, sed inde quod ita extra nos esse cognoscimus.

691. ***Coroll. 3.*** Ergo etiam doctrina omnis mere empiristica de inductione falsa est, quod clarissime elucet in *J. St. Mill,* qui vi syllogismi et deductionis negata et haerens in sensualismo, certitudinem scientificam via inductionis eo salvari censet, quod putet propter enumerationem simplicem persuasionem oriri legum universalium vel saltem unius legis universalis: *iisdem positis condicionibus eosdem usque eventus accidere;* quae persuasio certe ea sit potestate, ut inductionem omnem complere possit ad vim universalem.

Non negamus posse hominem post evolutam rationem et longiorem consuetudinem brevi hoc modo cum certitudine concludere: *Omnis ignis, quem expertus sum hactenus, comburit stuppam siccam.* Atqui *praeterito simile erit futurum,* vel: *natura semper eodem modo operatur,* vel: *iisdem positis condicionibus, iidem eventus accidunt,* vel: *principium causalitatis vim habet universalem.* Ergo *etiam futuro tempore ignis stuppam immissam comburet.* Cum enim principia eius generis sescenties in vita et in scientia adhibenda sint, ea proxime cogitanti menti praesto sunt et in consuetudinem alteramque abeunt naturam. Sed ipsa haec principia a reflectente ratione humana non admittuntur ut certa, nisi quia ante in multis rebus constantiam et uniformitatem eventuum experti sumus, et inde per quandam ratiocinationem penetrando rerum essentiam ex multis rebus expertis ad res universas concludendum esse vidimus. Ea autem ratiocinatio innititur in principiis primis universalibus, quae ex ipsa primorum conceptuum obiectivorum analysi immediate ut certa cognoscuntur. Empirismus nullius veritatis universalis umquam certus esse potest [1].

692. ***Coroll. 4.*** Ergo per inductionem incompletam etiam ad percipienda ea pervenimus, quae certis et determinatis rebus sunt

[1] Hac de re monet *Sigwart:* „Der allgemeine Obersatz kann das induktive Verfahren nicht erklären, denn er ist selbst durch Induktion gewonnen. . . . Die Ausführungen Mills zeigen . . . die Hilflosigkeit des reinen Empirismus, die Unmöglichkeit, auf dem Sandhaufen loser und vereinzelter Tatsachen oder genauer Sinneswahrnehmungen ein Gebäude aus allgemeinen Sätzen zu errichten; es heißt den Bock melken, wenn man aus einer Summe von Tatsachen irgend eine Notwendigkeit herauspressen will“ (Logik II ² 417 421).

essentialia. Quapropter errant empiristae illi (inter quos praecipuus *J. St. Mill*), qui nos putant habere posse iudicia experimentalia, vere universalia, non percepta ipsa rerum *essentia*.

Non affirmamus nos adaequate et distincte et comprehensive cognoscere omnes notas cuiuslibet essentiae; sed multarum rerum essentias secundum tot et tales notas constitutivas certo cognoscere valemus, quot et quales sufficiunt ad notitiam claram, qua res ab aliis essentialiter differre et ex qua rite quam plurima concludere possumus.

Coroll. 5. Ergo duplex est legum vel iudiciorum genus, quae per inductionem incompletam statuuntur. Alia enim ad solas exprimendas notas essentiales alicuius rei referuntur, alia facta indicant, quae in natura ex statutis semel condicionibus in rebus evenire solent.

Coroll. 6. Ergo argumentum inductivum, quo ex ordine physico ad ordinem metaphysicum transimus, vim habet obiectivam. Id ex thesi patet.

Praeterea contra adversarios confirmari potest. Hi enim omnes, quamquam praeter cognitionem inductivam nullam cognitionem esse ponunt, tamen liberrime dicunt de „infinito", „axiomatis aeternis", „de principiis immutabilibus", quibus regatur mathesis et natura, „de proprietatibus immanentibus", quibus innitatur biologia, sociologia; fatentur hypotheses, quae in scientia saepenumero adhiberi soleant, haud raro ad principia adducere, quae vim *generalem* habeant: ipsum principium causalitatis agnoscunt; neque facta illa remota omittunt, quae numquam nos oculis immediate percipimus, sed solis argumentis inductivis cognoscere possumus[1]. Ergo adversarii ipsi secum pugnant.

693. ***Scholion 1.*** Difficultatem aliqui in eo patiuntur, quod putent, ut tandem ex inductione certitudinem hauriamus de naturae legibus et certis rerum effectibus, numerum phaenomenorum tantum esse debere, qui numquam determinari possit.

Fatendum est numerum phaenomenorum, qui ad legem statuendam certo requiratur, generatim secundum mathesim accurate determinari non posse. Fatendum quoque est numerum illum varium esse pro varietate eventuum condicionumque, de quibus agitur. Fatendum tandem est nos in multis rebus propter insufficientem numerum haerere ancipites et dubios. Inde tamen minime sequitur nos in nullis rebus numerum eventuum determinare posse, qui satis sit, ut clare videamus hos vel illos

[1] Ita passim *A. Comte, H. Taine, E. Littré.* Cf. *Brin,* De intellectualismo I 115.

eventus cum rerum essentiis cohaerere. Quis accuratione mathematica definire possit, quot numero homines observationi subiciendi sint, ut statuatur homines omnes ex natura morti obnoxios esse? Et quis dubitet numerum, qui satis sit, hactenus observatum esse, ut sine ulla erroris formidine etiam nos ipsos mortales esse putemus? Neque enim ex solo numero, sed magis etiam ex natura observationum vis argumenti pendet. Non solum v. g. quam maximam constantiam mortis observamus, sed videmus eam constantiam servari sub condicionibus etiam diversissimis internis et externis, etiam iis quae vitae conservandae maxime favent; atque ita recte concludimus mortalitatem habere causam naturae animalis internam, et ulteriore inquisitione eam causam vel causas, si fuerint complures, accuratius detegere possumus.

Scholion 2. Ea quae de legibus physicis per inductionem detegendis sunt statuta, etiam de legibus *moralibus* dicenda sunt.

Sed in hac re experientia tantum docet, quid homines ut *plurimum* agere soleant. Quoniam igitur harum legum observatio haud raro a libero hominum arbitrio pendet, eae futuris eventibus non necessitatem imponunt, sed inclinationem tantum subiciunt.

694. ***Scholion 3.*** Iudicia illa universalia certa esse diximus certitudine saltem *physica,* quae nitatur in legum constantia. Sed haec certitudo alias absoluta, alias est condicionalis.

Si iudicia sive leges illis iudiciis exhibitae accipiantur in sua universalitate et ut applicatae eventibus ex ordine et consuetudine accidentibus, certe sunt *absoluta.* Nam unica ratio, ob quam habendae essent ut hypothetice tantum certae, in eo reperiretur, quod Deus eas leges suspendere vel communiter iis derogare posset. At quominus leges suspendantur vel per modum regulae iis derogetur, impedit Dei sapientia et providentia. Si autem leges physicae considerentur ut applicatae ad unamquamque rem singularem, per se sunt hypothetice tantum certae.

Leges morales quod attinet, non necesse est, ut Deus ad ponendam exceptionem interveniat, sed id per liberam hominum voluntatem fieri potest. Quando igitur de futuro eventu particulari agitur, ad hunc per leges morales non certo, sed solum cum probabilitate concludi potest. — Si autem leges morales generatim spectentur ut leges, ne Deus quidem has leges delere potest. Impedit divina bonitas, sanctitas, sapientia, ne Deus efficiat, ut homines generatim honestate et utilitate propria non afficiantur, ut naturaliter non ament veritatem atque ita maximo numero ad fingendum mendacium noxium vel inutile conspirent.

Scholion 4. Errant qui docent nullam esse iudiciorum syntheticorum certitudinem ante probatam argumentis explicitis Dei exsistentiam.

Nam omissa etiam hac praevia de Dei sapientis exsistentia, videmus in natura modos multos constantes et uniformes mirabili ordine dispositos. Videmus quoque fieri non posse, ut „praestantissimus effectus, qui semper posita una re sive causa videtur de novo exsistere et produci, et ita visus est ab omnibus in omni loco et tempore, in qualibet regione et aetate mundi, ut hic, inquam, effectus non sit a natura et essentia illius rei, et quod illa res non habeat virtutem naturaliter productivam illius effectus, sed tantum procedat ex alia re incognita et accidentaliter associata illi primae rei“ [1]. E contrario igitur ex harum certarum legum exsistentia horumque iudiciorum certitudine et veritate, quibus homines omnes natura impellente fidere debent, ad exsistentiam Dei creantis et sapienter ordinantis logica necessitate *concludendum* est tamquam ex effectu ad causam.

§ 3. De analogia.

695. **Thesis 28.** **Analogia sive argumentum ab analogo probabilitatem quidem efficere potest, non tamen certitudinem.**

Ad stat. quaest. 1. Analogia sive argumentum *a simili* est inductio quaedam incompleta et imperfecta; procedit a consideratione alicuius similitudinis, quae tamen non est *essentialis,* vel saltem non ut essentialis cognoscitur. Unde similitudo, ad quam concluditur, non putatur esse essentialiter necessaria. Definitur processus mentis, quo id quod de uno individuo vel specie notum est, infertur de alio individuo vel alia specie propter solam similitudinem quandam minus perfectam vel propter perspectum nexum causalem non quidem necessarium, sed probabilem.

Argumentum *(ex reductione analogiae ad processum syllogisticum).* Argumentum ab analogo, si accuratae analysi subiciatur, ad syllogismum vel polysyllogismum resolvitur, in quo una saltem sumptio erit probabilis tantum. Sed huius processus conclusio ultima non erit certa; erit tamen probabilis.

Similium similes sunt actiones. Ita ex similitudine, quae est inter organa diversorum animalium, concluditur ad similia munera, quibus fungendis destinentur. Hac concludendi ratione regitur ea quae dicitur anatomia (et physiologia) comparativa; eaque est maximae utilitatis ad accuratius et melius cognoscendas functiones organorum hominis, cum non liceat in ipso quasi in vili materia experimentum capere.

[1] *Ptolemaeus,* Philos. mentis et sensuum dissert. 36, sect. 2, n. 13.

Similium similes sunt causae. Ex similitudine fulguris cum scintilla electrica conclusit *Franklin* in atmosphaera electricitatem adesse et esse causam fulguris.

Similia similibus reguntur legibus. Ex similitudine, quae intercedit inter physica phaenomena quae sonum, lucem, calorem comitantur, concludunt physici iisdem ea regi undulationum legibus.

In duobus autem deficit analogia a perfectione argumenti per inductionem perfectam, scil. 1° principia generalia, quibus analogiae argumentum innititur, non habent nisi probabilitatem; 2° facta, ex quibus concluditur, non eam exhibent similitudinem, quae certo dici possit similitudo essentialis[1].

696. ***Obi. 1.*** Videtur analogia nihil prorsus valere. Nam plurima ex analogia concluduntur, quae aperte falsa sunt; cuiusmodi sunt: *Anima equi morte interit. Homo equo in multis similis est. Ergo etiam anima hominis morte interit. — Petrus est iracundus. Ergo Paulus, eius frater, etiam iracundus est. — In terra nostra homines vitam agunt. Ergo etiam in luna homines reperientur.*

Resp. Plurima sunt, quae ex analogia concluduntur, quae probabiliter vera esse nemo negabit quispiam. In quo genere sunt haec: *Pars inferior huius domus munda est. Ergo pars superior, quae curae eiusdem hominis commissa est, ut plurimum munda erit. — Calor comitem habet motum mechanicum. Ergo etiam lux.* Quodsi incautis aliquando accidit, ut per analogias in errorem adducti fuerint, id non analogiae vitio vertendum est. Neque negamus magnam in hac re cautionem adhibendam esse, cum plurimae occurrant in rebus similitudines, quae nihil nisi debilem suspicionem movere possint; plurimae etiam, quae cum nullo interno nexu coniungantur, nullam plane vim habeant; possunt enim ex diversis causis in rebus distinctis oriri similitudines.

Obi. 2. Sed *contra* analogia certitudinem perfectam gignere videtur. Nititur enim analogia principio, de similibus similia, de dissimilibus dissimilia affirmanda esse. Sed hoc principium est absolute certum.

Resp. Si agitur de similitudine essentiali, iam non de analogia loqui solent, in qua non agitur de similitudine, quae ut essentialis ab argumentante cognoscitur.

Obi. 3. Analogiae analysis ostendit analogiam omnem aequivalere syllogismo. Sed syllogismo gignitur certitudo. Unde plurimae ex analogia ducuntur conclusiones, quae aperte certae sunt: *Hesternum diem secuta est nox. Ergo etiam hodiernum sequetur nox. — Globulus mollis celeriter motus in polis effectus est planior. Terra est globus celeriter motus et in polis effecta est planior. Ergo aliquando mollis erat.*

Resp. Analogia non est tertium argumentandi genus, quod a deductione et inductione omnino diversum est. Sed diversitas tantum in

[1] Cf. *Lahr,* Cours de philosophie I 473 sq.

externa specie cernitur. Quodsi analogia secundum rem accipiatur, est inductionis initium et ad deductionem reduci potest. Neque tamen inde sequitur, ex analogia oriri per se certitudinem; id quod ex supra dictis satis liquet.

§ 4. De sensu naturae communi.

697. Quid hac voce intellegatur. Sensus naturae communis hoc loco non intellegitur sensus ille internus vitae sensitivae proprius, ex quo ut a communi radice sensus externi enascuntur, et ad quem ut ad commune centrum omnia, quae sensibus externis percepta sunt, referuntur. Sed intellegitur aliquid, quod ad vitam rationalem spectat. Nec intellegitur ipsa communis hominum consensio, qua omnes in affirmandis quibusdam rebus conveniunt. Sed intellegitur aliquid, quod naturae rationalis uniuscuiusque hominis est proprium, et cuiusdam consensionis radix est et ratio.

Aristotelem si consulas, is multis locis naturam uniuscuiusque rei in appetitu sive in inclinatione apparere docuit, qua res ad finem sibi convenientem ferretur[1]. Itaque apud aristotelicos sensus naturae communis nihil aliud est quam inclinatio illa naturalis naturae rationali insita, qua homines ad cognoscendas illas veritates feruntur, quae ad vitam rationalem ducendam vel saltem incohandam sunt necessariae. Sicut igitur vitae sensitivae per instinctum proprie dictum provisum est, ita vitae rationali impulsu quodam, qui animali instinctui analogus est, quantum est satis providetur. Qui impulsus dici potest „sensus", quia post formata eo impellente iudicia omnes perculsi evidentia horum iudiciorum, per specialem delectationem intellectualem quodammodo *sentiunt*, quantopere ea naturae rationali conveniunt[2]. Dicitur „sensus

[1] „Appetitus naturalis est inclinatio cuiuslibet rei in aliquid ex natura sua. Unde naturali appetitu quaelibet potentia desiderat sibi conveniens" (*S. Thom.*, S. th. 1, q. 78, a. 1 ad 3). „Unaquaeque potentia animae est quaedam forma seu natura et habet naturalem inclinationem in aliquid. Unde unaquaeque appetit obiectum sibi conveniens naturali appetitu" (ibid. q. 80, a. 1 ad 3).

[2] Natura enim omnis per appetitum sibi inditum non solum ad finem assequendum impellitur, sed etiam in fine obtento perfecte et terminative quiescit. Consimiliter non solum ad capessenda media, quae naturalem ad finem necessitudinem habent, tendit, sed in his mediis etiam quiescit imperfecte et vialiter. Neque in vita cognoscitiva fieri potest, quin haec quies appetitus in obtento bono a mente percipiatur. Qui igitur recogitavit, quantum momentum pro homine habeant illa iudicia ad obtinendum finem, is facile intellegit iis, si ab homine rationem sequente habeantur, naturalem quendam delectationis „sensum" admisceri. „Sicut enim in naturalibus est quaedam quies naturalis, quae scilicet est in eo, quod convenit naturae . . ., ita et in moralibus est quaedam delectatio bona, secundum quod appetitus superior aut inferior requiescit in eo,

naturae", ut significetur non agi hic de inclinatione cognoscitiva, i. e. de appetitu, qui cognitionem ab ipso appetente elicitam consequatur, sed de appetitu quasi innato, qui iam antecedat omnem actualem cognitionem in ipso appetente[1]. Et dicitur „communis", cum omnibus insit, in quibus natura reperitur, tum quia fertur ad formanda iudicia, in quibus homines omnes conveniunt; eaque „iudicia communia" vocari solent.

Heraclitus, cum sensus externos fallaces veritatis „testes" haberet, sensum communem (λόγον) duxit divinum veritatis „iudicem", quem omnino sequi oporteret.

Apud *stoicos* hic sensus naturalis ut προλήψεις vel κοιναὶ ἔννοιαι magnopere celebratus est. Nobis insciis formari paulatim in mente nostra „sententias communes", a scientia per industriam comparanda quidem diversas, quibus tamen tuto fidere possimus. „Multum dare solemus praesumptioni (προλήψει) omnium hominum", inquit *Seneca*; „apud nos veritatis argumentum est, aliquid omnibus videri; tamquam deos esse inter alia sic colligimus, quod omnibus de diis opinio insita est, nec ulla gens usquam est adeo extra leges moresque proiecta, ut non aliquos deos credat. Cum de animorum aeternitate disserimus, non leve momentum apud nos habet consensus hominum aut timentium inferos aut colentium."[2]

Sed stoici ambitum horum „iudiciorum communium" non accurate definierunt. Haud raro enim hoc nomine significasse videntur communem illam popularemque sanae mentis existimationem, qua homo sine reflexione approbat ea, quae cum veritate conveniunt, ea respuit, quae absurda sunt. Et hodie etiam a nonnullis ea vox sensus communis ita intellegitur. Nos sensum communem ea latitudine acceptum non negamus, sed omittimus. Et ea tantum iudicia attendimus fundamentalia, quae ad vitam humanam recta ratione agendam vel incohandam sunt necessaria. Saltem haec iudicia, si diuturna, constantia, apud omnes homines universalia sunt et, si in sua universalitate spectentur, ex aliis causis tota et omni ratione explicari non possunt, ea a sensu naturae communi repetenda esse censemus.

698. Et sane quidem is qui illa, quae inter homines magna cum consensione circumferuntur, iudicia perpendere velit accuratius, multa inveniet, quae ex illa naturali rationis inclinatione orta esse videantur.

quod convenit rationi" (*S. Thom.*, S. th. 1, 2, q. 34, a. 1). Quod etiam de intellectualibus est intellegendum.

[1] „Inclinatio appetitus naturalis non consequitur apprehensionem (sive cognitionem) ipsius appetentis sed alterius" (i. e. eius qui naturam instituit). *S. Thom.*, S. th. 1, 2, q. 35, a. 1.

[2] Epist. 117 n. 6.

Cuiusmodi iudicia sunt: *Omni effectui causa proportionata subest. Numquam ex concursu plurimarum partium fortuito oriri potest totum, quod ordinatum sit et constantes ordinatosque motus edat. Est distinctio inter actiones moraliter bonas et malas; illae laude dignae, hae omni opera vitandae sunt. Existit Deus vindex malorum, ita ut praemia iustis, poenae malis in vita futura retribuantur. Suum cuique tribuendum est; nec generatim alii cuiquam faciendum est id, quod sibi quisque fieri non velit. Mendacium semper illicitum est. Parentes colendi sunt.*

Haec exempla sunt. Consensus uniformis, universalis, constans circa veritatem vitae humanae, ordini sociali, morali vel religioso necessariam omnino signum est, iudicium illud cum inclinatione naturali sive sensu naturae communi ab hominibus proferri.

699. Indoles iudiciorum communium ab aliis alio modo explicata.

1. Sunt qui post amissam regiam antiquae philosophiae viam, cum de certitudine facultatum cognoscitivarum desperatum esset, in instinctu rationali spem unicam posuerint, quo a scepticismi pernicie salvarentur.

Qui dixerunt naturae rationali inesse praeter facultates omnes perceptivas vim quandam necessariam, immediatam, caecam, qua homo sine ulla motivi perceptione ad iudicia quaedam pro certis habenda adigeretur. Hunc instinctum rationem internam esse, ob quam omnes veritates affirmarentur ab hominibus. Qui igitur sensum communem ut criterium summum, immo unicum omnis veritatis habent [1]. Et in hac sua sententia ideo confirmari se dicunt, quod vident homines ratiocinii incapaces et ipsos pueros illas veritates sponte percipere, neque tamen homines in his iudiciis ferendis ullius percepti motivi obiectivi sunt conscii.

Verum haec sententia errore ducitur. Nam experientia teste nulla ex nostris cognitionibus certis a nobis admittitur nisi ob perceptum a nobis motivum obiectivum, sive id est rei iudicatae internum sive externum. Nec quisquam dubitare potest, quin iudicia sensus communis eadem ratione admittantur atque cetera omnia.

Si praeterea ea iudicia accurate considerentur, videbuntur faciliora esse, quam putantur, et captui etiam rudium accommodata. Rudes enim eo ipso, quod ratione utuntur, iudicia illa ex communibus rationis prin-

[1] Ita claris et apertis verbis duce *Thoma Reid* docuit *schola scotica*. Sed huius erroris vestigia invenies apud *Cartesium, Locke, Leibniz;* qui omnes ultimam rationem certitudinis non in evidentia obiectiva, sed in aliquo momento sive impulsu *subiectivo* vel *subiecti* dispositione reposuerunt. Ex quo factum est, ut multi ex schola leibniziana sensum naturae communem ut speciale motivum certitudinis statuerint; donec tandem de certitudine omni est desperatum, quae non in affectione aliqua pure subiectiva fundamenta haberet.

cipiis inferunt prona ratiocinatione, licet vulgari imperfectaque. Et re quidem vera, quae difficultas tanta, ut captum cuiusvis hominis ratione utentis omnino superet, in hoc cerni possit, quod Dei exsistentia ex ornatu mundi et conscientiae dictamine, quod animi immortalitas ex beatitudinis desiderio, quod futura post mortem retributio ex improborum prosperitate et bonorum hominum aerumnis praesentibus deducatur? Nec obstat, quod rudes ut plurimum eius generis ratiocinia diserte explicare verbis non possunt. Multa enim etiam in doctis hominibus contingunt, quae si verbis vestienda sint, maximas creant difficultates. Aliud enim est cogitare, aliud cogitata exprimere [1].

Rectissime igitur monitum est sedulo eorum opinionem fugiendam esse, qui nomine sensus naturae communis nescio quam ab intellegentia et ratiocinatione vim diversam ponant, qua homines in iudicia quaedam prorumpant, quae nec sint per se immediate evidentia, nec per experientiam constent, nec ullo ratiocinio deducta sint.

Haec opinio, ut recte observat *Liberatore,* reidianum commentum restaurat, quo suggestio quaedam et inspiratio caeca naturae inducitur, indeque nos compelli et cogi statuitur ad aliqua affirmanda et pro certis habenda, quae nec immediata nec mediata evidentia nitantur. Quae iudicia instinctive et sine percepta ratione prolata fundamenta esse dicuntur et principia totius cognitionis humanae. Qua sententia nihil est perniciosius scientiae nec magis quidquam dignitati mentis contrarium. Iudicia illa essent prorsus irrationalia et tamen rationi consentanea. In ipsis nulla cognita ratio, sed ad summum fides quaedam erga nostram naturam contineretur. At ante cognoscere debemus naturam fide dignam esse. Unde in nobis huiusmodi cognitio vel confisio? Ex ipso communi naturae sensu? Eodem evolvimur, et in circulo vitioso versamur. Hac igitur adstructa opinione in eosdem scopulos impingimur, quos supra contra scepticos disputantes evitandos curavimus, ut certitudinis et veritatis iura illaesa servarentur.

700. 2. Ab hac quam reiecimus sententia vix differt eorum opinatio, qui sensum naturae communem non esse aliam a ratione distinctam facultatem dicunt, sed esse rationem ipsam, quae veritatem, i. e. conexionem subiecti et praedicati, in illis iudiciis percipiat, non tamen percipiat motiva nisi forte perceptione confusa, implicita, incompleta, quem defectum impulsus ipse naturalis mentis suppleat [2].

[1] Ita fere *Liberatore,* Log. part. 2, n. 197.

[2] Hanc sententiam recentiores multi ex schola *Leibnizii* et *Wolffii* secuti sunt. Qui sensum naturae communem non quidem statuunt esse criterium universale veritatis, tamen esse motivum speciale certitudinis a reliquis motivis diversum.

Quae sententia ideo est improbanda, quia veritas iudicii non magis et efficacius percipi potest, quam percipitur motivum. Et ne illud quidem fieri potest, ut impulsio caeca fiat vel *pars* rationis internae, ob quam iudicii veritas affirmetur. Id quod ex supra constitutis satis elucet.

3. Alii, cum doctrinam de sensu naturae communi hoc modo depravatam difficilem habere explicatum viderent, omnem etiam inclinationem rationis naturalem omiserunt, atque omnia illa iudicia aut ex revelatione aliqua primitiva, aut ex consensu et auctoritate hominum, aut ex evidentia, aut ex causis accidentalibus explicari satis posse docuerunt.

4. Nos igitur ad veterum sententiam regressi, sensum naturae communem agnoscimus esse inclinationem illam naturae rationalis, qua omnes qui usum habent rationis, ad iudicia formanda impelluntur, quae ad fundamenta vitae humanae, ordinis religiosi, moralis, socialis spectant. Negamus autem hoc pacto speciale motivum certitudinis constitui. Nihilo tamen secius ex consideratione sensus naturae communis ratiocinium fieri posse affirmamus, quo veritas iudiciorum ex illo sensu prolatorum praeclare confirmari possit.

701. **Thesis 29.** **Inest in rationali hominis natura inclinatio quaedam, qua ad illas cognoscendas veritates ducitur, quibuscum bonum essentiale humanae naturae artius coniunctum est. Ex hac inclinatione, qua homines omnes ad certa illa iudicia ferri videmus, ad comprobandam horum iudiciorum veritatem argumentum solidum peti potest.**

Ad stat. quaest. 1. Cum thesis ex duabus partibus constituatur, in priore sensum naturae communem revera exsistere dicimus.

Quem sensum naturae non intellegimus ipsam iudiciorum formationem, sed impulsum naturalem, quo mens ad *attendendum* quibusdam veritatibus inclinetur atque ita ad formanda quaedam iudicia feratur; quae iudicia cum formantur, in se habeant *evidentiam* de convenientia subiecti et praedicati.

2. In altera parte docetur, quatenus sensus ille communis ut fons certitudinis adhiberi possit. Ex supra dictis intellegi debet sensum naturae communem, cum inclinatio sit seu impulsus, neque rationem *internam* esse, ob quam iudicia illa ab eo qui ipsa ferat, affirmentur, neque in hanc rationem internam ut partem complentem ingredi posse, sed esse rationem *externam*, ob quam, contemplans huius sensus in omnibus hominibus exsistentiam, intellegat iudicia illa falsa esse non posse.

Ex quo consequitur sensum illum sive impulsum non esse unicuique homini necessarium, ut veritates illas intellegat et ratas illas certasque habeat. Sunt enim hae unicuique, qui illas amplectitur, certissimae propter eam quae omnibus affulget evidentiam; et possunt, si opus sit, ratiociniis demonstrari atque illustrari. Requiritur tamen sensus ille pro toto genere humano, quo homines promptius, facilius, certius, tutius ad illa iudicia adigantur, quae vitae humanae fundamenta sunt necessaria, atque etiam illa iudicia, postquam formata sint, in tot tantarumque difficultatum et distractionum turba constituti firmius et constantius teneant, quae praesertim naturae rationali tantopere convenire sentiant.

Homini autem philosopho ius vindicamus, ut ex sensus naturae communis consideratione argumentum petat, quo veritates illae praeclare confirmari possint.

702. Pars I. Ratio naturaliter inclinatur ad cognoscendas veritates valde necessarias.

Argumentum *(a posteriori petitum).* Iudicia, quae supra (n. 698) indicavimus, consensu tam uniformi, constanti, universali inter homines proferri non possent nisi impellente ad ea sensu naturae communi sive inclinatione naturali rationis humanae. *Ergo* eius generis inclinatio naturalis inest in unoquoque homine.

Prob. antec. Causa integra iudiciorum illorum repeteretur aut 1° ex *causa aliqua accidentali* passim inter homines occurrente, ut sunt vana praeiudicia, fraus legislatorum, educatio, metus inanis, illusio aliqua, pravitas hominum; aut 2° ex *revelatione* primitiva humano generi olim facta; aut 3° ex omnium *consensione* sive testimonio uniformi hominum; aut 4° ex *evidentia,* qua veritates illis iudiciis contentae ab homine quolibet ad eas attendente facile percipi possunt. *Atqui* ex his momentis causa integra illius in iudicando consensus repeti non potest, sive illa momenta sumuntur separatim sive simul collecta. *Ergo* nihil aliud relinquitur, nisi ut ponamus in ratione humana inesse inclinationem naturalem, qua homines ad cognoscendas illas veritates ducantur.

Prob. min. per partes. 1. Ex *nulla accidentali causa* ille consensus deduci potest. Nam eius generis causae non sunt constantes, universales, uniformes; has tamen dotes habere debent, ut sint effectuum constantium, universalium, uniformium causae.

Unde reicitur a) *educatio,* quae varia est apud varias gentes, variis temporibus, variis positis condicionibus. Si autem in hac apparet aliqua apud varios homines conformitas, iudicia illa quod attinet, haec explicari non potest nisi posito sensu communi. Reicitur b) *praeiudiciorum vis,* quae, cum numquam universalia sint et constantia, in his praesertim rebus,

quae cupiditatibus adversantur, mobilia sunt admodum. Reicitur c) *fraus legumlatorum* vel aliorum hominum pravitas, quae id certe non effecisset, ut homines tanto consensu in veris illis et humanae perversitati saepissime oppositis iudiciis convenissent. Reicitur d) *metus inanis*, qui ex natura sua varius est et ad varia fingenda obiecta levem quemque et timidum hominem impellere quidem potest, non tamen ad ponendum illud uniforme obiectum, quod illis iudiciis enuntiatur. Neque tamen diffitendum est, positis illis iudiciis etiam metum rationabilem apud prudentem quemque cordatumque hominem oriri.

703. 2. *Neque ex revelatione primitiva*[1]. Etsi a traditione aliqua iudicia illa accepta et propagata sunt, certum tamen est per solam traditionem generi humano provideri satis non potuisse, nisi ponatur singulos a natura sua ad formanda iudicia, de quibus diximus, vehementius inclinatos fuisse. Per solam enim naturalem inclinationem aequipondium quasi paratur, quod inclinationibus inferiori parti hominum insitis atque etiam pravis exemplis par sit, et hominibus distractis conceptum atque retentum iudiciorum illorum satis facilem reddat.

Neque ex ista sola revelatione et per traditionem propagatione satis intellegitur, cur iudicia etiam in iis nata sint, qui rudem vitam agunt neque umquam quidpiam de tradita doctrina parentum primorum audiverint. Et antequam pueri nostri in scholis excolantur vel a parentibus sint instituti, haud raro iam signis manifestant se inter actiones iustas et iniustas, inter actiones bonas et malas aliquo modo distinguere. Quae res certe explicatur facilius, si in iis inclinationem specialem ad has distinctiones faciendas inesse ponatur.

3. *Neque ex consensu vel testimonio hominum.* Namque iudicia illa apud singulos prius iam esse debent, quam consensus omnium et resultans inde testimonium hominum oriri potuerit. Sensus naturae communis iudicia antecedit, consensus ea subsequitur. Ergo iudicia ex consensu gigni non potuerunt.

Cum consensus nihil aliud sit quam iudiciorum singulorum collectio, singulos iam ad iudicandum adductos fuisse necesse est, antequam omnes in iudicando convenerint. Neque tamen negamus etiam consensui ipsi vim suam inesse ad confirmandas veritates aptissimam, quae tamen a vi sensus naturae communis diversa est.

704. 4. *Neque ex sola evidentia.* Etsi enim evidentia tota ratio interna esse potest, ob quam iudicia a iudicantibus cum certitu-

[1] De exsistentia eius generis traditionis hoc loco non est quaerendum. Eam ponimus fuisse eiusque vestigia apud populos etiam maxime perversos conservata esse.

ferantur, praeter vel potius ante eam adesse aliquid debet, quo mentes singulorum ad formanda illa iudicia inclinentur.

Neque esse potest sola habendae evidentiae facilitas. Fatendum quidem est veritates illas, velut Dei exsistentiam, facile cognosci „in aliquo communi sub quadam confusione", quatenus videlicet Deus est hominis beatitudo et auctor legis moralis et causa prima mundi. „Sed hoc non est simpliciter cognoscere Deum esse, sicut cognoscere venientem non est cognoscere Petrum, quamvis sit Petrus veniens." [1] Ad hoc cognoscendum requiritur discursus, qui quidem etiam, hominibus praesertim bonae voluntatis, est facilis et pervius. Quia tamen res plurimae sunt, quae sic communiter sub simili confusione agnoscuntur mentemque distrahunt, et quia plurima sunt, quae homines propter sensitivam eorum naturam ab illis veritatibus absterrent, requiritur specialis quaedam ad illas capessendas veritates inclinatio. Quoniam autem videmus, generatim rebus a natura provisum esse non solum in iis, quae absolute sunt necessaria, sed in iis etiam, quae magnopere sunt utilia, illam specialem inclinationem, quae evidentiam antecedat et comitetur, in ratione humana inesse, rationabiliter ponitur. Nec nisi hac posita inclinatione ex omni parte ratio illorum iudiciorum communium reddi posse videtur.

Confirmatur ratione a priori petita (ex consideratione divinae bonitatis, qua res in esse productae sunt). „Cum enim optimi sit optima producere, non convenit summae Dei bonitati, quod res productas ad perfectum non perducat. Ultima autem perfectio uniuscuiusque est in consecutione finis. Unde ad divinam bonitatem pertinet, ut sicut produxit res in esse, ita etiam eas ad finem perducat." [2] — „Inest enim primo inclinatio homini ad bonum secundum naturam, in qua communicat cum omnibus substantiis, prout scilicet quaelibet substantia appetit conservationem sui esse secundum suam naturam. . . . Secundo inest homini inclinatio ad aliqua magis specialia secundum naturam, in qua communicat cum ceteris animalibus. . . . Tertio modo inest homini inclinatio ad bonum secundum naturam rationis, quae est sibi propria: sicut homo habet naturalem inclinationem ad hoc, quod veritatem cognoscat de Deo, et ad hoc, quod in societate vivat . . ." [3]

705. Pars II. Ista inclinatio iudiciorum veritatem comprobat.

Argumentum *(ex natura facultatum cognoscitivarum).* Si quae sunt hominum persuasiones communes, constantes, perpetuae, quas non ex alia causa quam ex solo rationis fonte evenisse constat, nemini dubium esse potest, quin his iudiciis exprimantur certissimae veritates. Esse enim non potest, ut ipsi humanae rationi insit interna erroris causa, qua per pondus quoddam naturale feramur ad complectendum errorem.

---

[1] *S. Thom.*, S. th. 1, q. 2, a. 1 ad 1.
[2] Ibid. q. 103, a. 1. [3] Ibid. 1, 2, q. 94, a. 2.

Vel sic: Facultates cognoscitivae pro sua natura totae ad veritatem assequendam ita coaptatae sunt, ut per se in errorem adducere non possint. *Atqui* sensus naturae communis non solum ad facultatem rationalem utcumque pertinet, sed est ipsa inclinatio naturalis, qua ratio ad quaedam iudicia ducitur. *Ergo* sensus naturae communis per se hominem in errorem adducere non potest, sed argumentum solidum ad comprobandam horum iudiciorum veritatem praebet.

Confirmatur 1° (ex Dei veracitate). Quod naturae nostrae insitum est, a Deo ut ab auctore naturae est repetendum. Sed Deus, qui sit ipsa veritas, per naturales inclinationes intellectui creato inditas hunc ad errandum adigere non potest. Recte igitur ad rem, de qua dicitur, trahi illud potest, quod praeclare est apud *Tertullianum:* „Haec testimonia animae quanto vera, tanto simplicia; quanto simplicia, tanto vulgaria; quanto vulgaria, tanto communia; quanto communia, tanto naturalia; quanto naturalia, tanto divina." [1]

Confirmatur 2° (ex iudiciorum illorum constantia, diuturnitate, universalitate). Id enim, quod iudiciis illis continetur, procedente cum tempore et crescente litterarum morumque cultura, roboratum est ampliusque inter homines diffusum. Nec inscite *Tullius:* „Quod nisi cognitum comprehensumque animis haberemus, non tam stabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec una cum saeculis aetatibusque hominum inveterare potuisset. Etenim videmus ceteras opiniones fictas atque vanas diuturnitate extabuisse: quis enim hippocentaurum fuisse aut chimaeram putat? Opinionum enim commenta delet dies, naturae iudicia confirmat." [2]

706. ***Obi. 1.*** Videntur nulla esse iudicia communia, constantia, uniformia, quae ad sensum quendam naturae referantur. Nam si ulla eius generis iudicia reperirentur, ea essent, quae Dei exsistentiam et prima moralitatis principia spectant. At ne haec quidem sunt apud omnes homines communia, constantia, uniformia.

Resp. Negandum est nulla exsistere de Dei exsistentia [3] et primis moralitatis principiis iudicia, quae sint apud omnes homines communia. Istas veritates et praesertim summa praecepta legis naturalis semper et ubique fuisse notas, solide et accurate quoad omnes fere populos tum cultos tum incultos testimoniis ethnographicis probavit *Victor Cathrein* [4]. Observandum autem hoc loco est, agi de hominibus, ex norma humanae naturae quales esse solent. Per exceptionem reperiuntur homines, qui ob cerebri morbum usum rationis omnino amiserunt; sed ex mente captis indolem humanae naturae diiudicare non licet. Per exceptionem reperiuntur quoque, qui ob perversum abusum libertatis lumen

[1] De testimonio animae c. 5; cf. Apolog. c. 17.

[2] De nat. deor. 2, 2.

[3] De notitia Dei cf. *W. Schmidt* S. V. D., Der Ursprung der Gottesidee, Münster 1912.

[4] Die Einheit des sittlichen Bewußtseins der Menschheit, 3 vol., Freiburg 1914.

rationis a natura insitum adeo exstinxerunt, ut ipse sensus naturae communis in iis corruptus sit. Quis autem ex his iudicare velit, quid naturae humanae conveniat? His igitur exceptionis gratia omissis iudicia illa apud omnes homines ratione utentes reperies. „Multi", inquit *Tullius*, „de diis prava sentiunt, id enim vitioso more effici solet; omnes tamen esse vim et naturam divinam arbitrantur." [1] Et prima moralitatis principia quod spectat, fatendum est complures populos contra ea principia egisse. Quis autem inde opinabitur eos haec prima principia ignorasse? Qua de re recte *Fournier:* „Scelera . . . non probant prima moralitatis principia populis ignota fuisse; tum quia huiusmodi scelera plerumque oriebantur ex mala applicatione notionis generalis ad rem particularem, tum quia impulsus naturae rationalis ad haec iudicia ferenda respicit intellectum, et voluntas, quae libera semper remanens, potest a dictamine intellectus recedendo ad nefandissima crimina hominem pertrahere, praesertim corruptione morum et pravis aliorum exemplis subsidium ferentibus." [2]

Praeterea ad rem, de qua dicitur, sapienter observat *Zigliara,* quotiens agatur de iudiciis sensus communis, caute eorum, ut sic dixerim, substantiam a modo accidentali, quo substantia illa vestita sit, distinguendam esse. Si ad iudicium de Dei exsistentia regredi liceat, „exsistentia supremi cuiusdam numinis est *substantia* iudicii sensus naturae communis; sed unitas vel pluralitas eiusdem numinis est *modus* eiusdem iudicii. Et ratio est, quia sensus naturae communis de perviis veritatibus est, quae studium et reflexionem antevertunt. Quod vero Deus sit unus, non difficili quidem ratiocinatione determinatur; sed quae vel passionibus vel praeiudiciis, quibus homines passim subiciuntur, impediri potest" [3].

707. ***Obi. 2.*** Iudicia, quae sensus communis esse dicuntur, tantum vera sunt, quantum generatim consensus universalis, constans perpetuusque ut infallibile certitudinis motivum semper et indiscriminatim assumi potest. At id fieri non posse res est ex experientia conspicua. Etenim sententiae illae de vi siderum in ortum metallorum vel rerum viventium, de motu solis circum terram fixam, de impossibilitate antipodum, sescentae aliae animos hominum occupatos tenuerunt. Si quae porro causae sint, quae homines singulos in errorem adducere possunt, cur non possint omnium animos constanter movere? Quemadmodum igitur vis harum causarum universalis esse potest, ita quoque error universalis effici potest. Sicut fieri potest, ut homines omnes eodem tempore aegroti sint, ita neque pugnantia amplectitur, qui censet universum genus humanum in aliquo errore versari posse.

Resp. Sit, illa iudicia de reali motu solis et de rebus similibus fuisse iudicia in consensu hominum communi fundata, certe nulla ratione sensu naturae communi fulciebantur. Non enim erant de rebus fundamentalibus ad vitam humanam, socialem, ethicam, religiosam necessariis.

---

[1] Tuscul. quaest. 1, 13.

[2] Instit. philos., Paris. 1854, 162.

[3] Summa philos. I n. 59.

neque ea ex certa veritatis cognitione, sed ex levi cogitandi genere nata erant. Unde extra controversiam vagatur ista dubitatio. Consensum autem illum quod attinet, etsi ille ut infallibile certitudinis motivum semper accipi non potest, tamen nemo non videt communes totius humani generis constantesque sententias magna auctoritate excellere, a quibus sine necessitate non recedendum sit.

Obi. 3. Eccur inclinatio sive appetitus naturalis rationi insitus non posset per se erroribus irretire mentem? Nam non minor esse potest inclinatio intellectus in falsum quam inclinatio voluntatis in malum. At magna est voluntatis in malum inclinatio. Sicut igitur homo probus pugnare debet et opprimere hanc, ita etiam illam.

Resp. Non repugnat esse in homine inclinationem, ex qua, si affectio accidentalis accedat, mens ad iudicia falsa disponatur. Sed esse non potest, ut sit inclinatio naturalis, quae per se hominem ad iudicia falsa adducat: id quod supra constitutum est satis. Neque est in humana voluntate inclinatio naturalis, quae malum ut malum respiciat, sed semper fertur in id, quod cum aliquo bono coniunctum esse potest.

CAPUT III.

De fide et auctoritate testimonii (fonte tertio).

708. *Praenotanda.* Postquam de veritate experientiae atque intellegentiae vidimus, restat ut tertium cognitionis humanae fontem, quem in fide et aliena auctoritate situm esse diximus, in quaestionem vocemus. Solent homines in rebus plurimis iisque gravissimis experientiae alienae et aliorum intellegentiae fidere aliisque fidem adhibere. Quae fides tuto adhiberi posse videtur, ubi primum de testis auctoritate nobis constat. Si enim, facta verace testis locutione, cognovero, quid testis ille revera de re iudicet, simulque propter manifestam mihi eiusdem scientiam cognovero eum nonnisi sapienter et prudenter certa iudicia ferre, nihil iam requiri posse videtur, ut quod ille iudicaverit, propter ipsius auctoritatem verum esse affirmem.

709. I. **Quae sit vocis fidei significatio.** Sicut voces plurimae in scientia adhibitae initio ambiguae erant, ita nomen fidei vel credere multiplici ratione adhibebatur.

1. Si vox sensu latissimo accipiatur, non raro cum nomine scientiae confundebatur. Sicut nomen scientiae non solum id significabat, quod ex firmis rationis momentis novimus, sed id quoque, quod ex testium auctoritate tenemus[1], ita nomine fidei saepe omnis

[1] Hoc modo *Augustinus:* „Scire non incongruenter dicimur etiam illud, quod certissimum credimus“ (De videndo Deo liber seu epist. 147, c. 3, n. 8: *Migne* 33, 600).

cogitatio cum assensu coniuncta significabatur vel ipse assensus, quem homo veritati praestat. „Credere", ut est apud *S. Augustinum*, „est cogitare cum assensione." [1] Saepius autem vocem fidei ad illam opinionem significandam usurpatam videmus, quae, cum plurimis argumentis probabilibus nitatur, scientiae est proxima. Hoc modo *Albertus Magnus:* „Fides, inquit, est perfecta persuasio unius partis per multa probabilia." [2]

2. Sed arctior est et usitatior huius vocis vis, qua assensum intellectualem significat, ut is est a voluntate imperatus. Nam id quod assensui ut verum accipiendum proponitur, et in se ipso possidet praeter rationem veritatis etiam rationem bonitatis allicientis voluntatem, et bonitatem multiplicis generis adiunctam habere potest, qua voluntas moveri possit, ut assensum imperet.

3. Et magis etiam sententia *stricta* est et in usu posita, ex qua fides sive credere idem est atque *cum assensione cogitare* aliquid, *quod ab aliquo teste sciente et veraci affirmetur.* Quod *S. Augustinus* in mente habuit, cum diceret: „Quod intellegimus, debemus rationi, quod credimus, auctoritati." [3] Et *S. Thomas:* „Fides proprie dicitur ex hoc, quod aliquis assentit iis, quae non videt. Hoc autem contingit dupliciter: uno modo, secundum quod homo inducitur per rationem humanam, et sic dicitur fides opinio vehemens.... Alio modo, secundum quod homo inducitur per rationem divinam." [4] Haec fides definitur: adhaesio intellectus alicui rei, quam quis non videt, sed alteri dicenti credit; quod aliis verbis dicitur: *cognitio obscura et fundata in testimonio dicentis* [5]; obscura dicitur, quia per se intrinsecus obiectum ipsum, quo ut motivo nitatur assentiens, non manifestat. Definiri etiam potest: *assensus in rem aliquam propter auctoritatem testantis.*

710. II. **Differentia fidei et scientiae.** Fides a scientia eo potissimum differt, quod in fide mens non a ratione rei intrinseca vel saltem cum re intrinsece conexa ad assensum movetur, sed ex motivo rei extrinseco, scil. alterius (testis) auctoritate. In *scientia* intellectus ab evidentia (sive mediata sive saltem immediata) — „oportet enim, quaecumque sunt scita, aliquo modo esse visa" [6] — plene movetur et quodammodo ad assentiendum cogitur. Id in negotio *fidei* fieri non potest, sed intellectus credentis, cum non videat obiectum, ab hoc plene moveri non potest; unde necesse

---

[1] De praedest. sanctorum 2, 5. [2] De homine q. 53, a. 1.
[3] De utilitate credendi 11, 25.
[4] 3 dist. 23 (ad finem), Expositio textus; cf. S. th. 1, 2, q. 67, a. 3.
[5] *Suarez,* De fide parte 1, disp. 1 prooem. n. 11.
[6] *S. Thom.,* S. th. 2, 2, q. 1, a. 5; cf. 3 dist. 24, q. 1, a. 2, sol. 1.

est, ut moveatur a voluntate. „Credere non habet assensum nisi ex imperio voluntatis, unde secundum id quod est a voluntate, pendet.“ [1]

Si quis igitur scientiam, fidem, opinionem inter se comparare velit, „de ratione opinionis est, quod accipiatur unum cum formidine alterius oppositi, unde non habet firmam inhaesionem. De ratione vero scientiae est, quod habeat firmam inhaesionem cum visione intellectiva; habet enim certitudinem procedentem ex intellectu principiorum. Fides autem medio modo se habet; excedit enim opinionem in hoc, quod habet firmam inhaesionem; deficit vero a scientia in eo, quod non habet visionem“ [2].

Accuratius *Bainvel* [3] secutus card. Billiot, cuius verba de hac re affert in appendice B [4], distinguit fidem *pure dictam* et fidem *scientificam*, ita ut fides pure dicta sit assensus, qui nitatur (auctoritati seu) testimonio formaliter sumpto, sive quatenus praecise habeat rationem testimonii; contra fides scientifica nitatur non pure testimonio ut tali, sed „quatenus est evidens signum veritatis ipsius“ testificatae.

Conveniunt et differunt ita:

Conveniunt in duobus, scil. 1° in utroque casu *vis* motiva testimonii intrinsecus consistit in sua conexione cum rei testificatae veritate; 2° in utroque casu actui ultimo assensus praecedere debet cognitio testimonii ut legitimi.

Differunt autem modo, quo haec cognitio praevia in ipsum ultimum assensum influat.

Si quis construit hunc syllogismum: Quod testis legitimus dicit, verum est; *atqui* testis legitimus hoc dicit; *ergo* hoc verum est, assensus in hoc consequens *potest* dici fides scientifica, sed hunc assensum praemissae ingrediuntur ut motivum assensus, et consequenter gradus firmitatis assensus proportionatur gradui cognitionis praemissarum. Non est *fides pure* dicta, quia non *soli* auctoritati testis ut tali innititur.

In actu fidei pure dictae cognitio praevia non est *motivum* ultimi assensus, sed mera *condicio praevia;* propterea etiam firmitas assensus proportionatur per se dignitati et valori auctoritatis. Qui vi syllogismi supra statuti assentitur, per se non firmius assentitur veritati consequentis quam veritati praemissarum.

---

[1] *S. Thom.*, De verit. q. 14, a. 3. Et alio loco de fide divina disputans: „Credere, inquit, est actus intellectus assentientis veritati divinae ex imperio voluntatis a Deo motae per gratiam“ (S. th. 2, 2, q. 2, a. 9).

[2] *S. Thom.*, S. th. 1, 2, q. 67, a. 3; cf. De verit. q. 14, a. 1 ad 5

[3] La foi et l'acte de foi [2], Paris 1908, 32 sq.

[4] Ibid. 205 sq.

Qui vero stricte credit et aliunde cognovit scientiam et veracitatem testis esse sua propria maiorem, rationabiliter agit, adhaerendo veritati sic testificatae firmius, quam si ipse eam invenisset. Etiam huic actui potest praeconstrui syllogismus, sed alius, scil.: Quod testis legitimus dicit, est verum; *atqui* testis legitimus hoc dicit; *ergo* rationabiliter tam firmiter tenetur, quantum meretur testis dignitas. Hic assensus firmitatem assensus in mere logicam conclusionem superat, et si agitur de Deo, proportionatur *infinitae* Dei auctoritati.

711. III. **Auctoritas testantis.** Testis est, qui suam cognitionem cum altero communicat; ipsa autem cognitionis communicatio *testimonium* appellatur.

Vox *auctoritatis* hoc loco non significat ius vel potestatem praecipiendi, sed vim quandam moralem, vel generatim id, propter quod testis fide dignus est. Auctoritas igitur scientia (veritate intellectuali) et veracitate (veritate morali) testis continetur. Si enim cognosco testem id quod testetur scire, eumque id quod ipse de re iudicet, cum veritate mihi enuntiare velle, ipsi fidem habere soleo, atque id quod affirmat, affirmo et ego propter ipsius auctoritátem.

Itaque duplex est in fide tendentia: una ad obiectum, *quod* creditur, altera ad testimonium, *cui* creditur; prior habitudinem fidei ad suum obiectum *materiale* significat, altera ad rationem obiecti *formalem* refertur[1].

712. IV. **Credendi principia** sive illa principia, ex quibus de scientia et veracitate testis iudicium ferimus, ipsae leges naturae sunt, quibus homines ratione et libertate praediti in cognoscenda et manifestanda veritate regi solent. Quo autem modo testis in re quaque singulari his legibus obsecutus fuerit, generatim ex concretis hominum, rerum, locorum, temporum condicionibus determinandum est.

Si testimonia non actu proferuntur ore, nec ab ipso teste interveniente traditione orali excipiuntur, sed scriptis vel impressis libris, monumentis, aliis eius generis documentis consignata sunt, iam praeter historiarum, antiquitatum, aliarum rerum multarum notitiam etiam sana et diligenti interpretatione opus est atque etiam arte critica, qua vis harum rerum genuina eruatur. Quorum quasi subsidiorum applicatio multiplex est et pro diversitate testimoniorum, de quibus agitur, diversis methodis determinanda.

[1] *S. Thom.*, S. th. 2, 2, q. 2, a. 2.

Ex legibus naturae huc pertinet imprimis illud *Aristotelis: Omnes homines natura sua cognoscendi sunt cupidi*[1]; quapropter natura duce inclinantur ad cognoscendas veritates, quae facile attinguntur, quae ipsis utilitatem vel honorem aliquem afferunt. Neque non spectat ad hunc locum alterum illud: *Nemo gratis mendax.* Cum enim natura veritati adhaereamus, nemo qui sanus sit, veritatem cognitam sive verbis sive scriptis negabit, nisi forte mendacium sibi propter studium partium aliudve emolumentum aliquam saltem speciem bonitatis et excusationis prae se ferre videat.

713. V. **Certitudo ex fide oriunda.** Certitudo illa (naturalis), quae generatim fide efficitur, a certitudine pendet, qua credenti de scientia et veracitate testium persuasum esse potest. Et illud quidem testimonium hominum, quod in vitae usu cotidiano adhiberi solet, in multis quidem rebus probabilitatem efficit, rarius certitudinem proprie dictam. Nihil enim obstat, ne aliorum testimonium certis condicionibus positum hanc certitudinem praebeat. Si enim testes plures inter se studiis differentes referunt de re admodum conspicua, quae vehementer in oculos hominum incurrere debet, certo nobis constare potest illos quoad substantiam facti neque deceptos esse neque nos velle decipere. Quinimmo unius testis auctoritas, modo noverimus eum esse hominem probum et prudentem, sub secunda rerum circumstantia satis esse potest, ut omnis formido falsitatis tollatur.

714. Si autem de fide *Deo* praestanda agitur, certum est testimonium quodlibet divinum, postquam certo constat Deum locutum esse, habere auctoritatem ipsius Dei; et quoniam haec est maxima, sane necesse est, eam quae a testimonio divino ducatur certitudinem esse maximam. Namque in se aperte repugnat magis, falsum esse id quod testimonio divino nititur, quam id omne, quod lumine intellectus humani constat. In hac igitur re distinctio praesto esse debet, cuius mentionem supra (n. 710) fecimus. Ut enim est apud *S. Bonaventuram*, „est certitudo speculationis et est certitudo adhaesionis. Et prima quidem respicit intellectum, secunda vero respicit ipsum affectum. Si loquamur de certitudine [adhaesionis], sic maior est certitudo in ipsa fide, quam sit in habitu scientiae, pro eo, quod vera fides magis facit adhaerere ipsum credentem veritati creditae quam aliqua scientia alicui rei scitae". Addit vero sanctus Doctor: „Si loquamur de certitudine

[1] *Πάντες ἄνθρωποι τοῦ εἰδέναι ὀρέγονται φύσει· σημεῖον δ' ἡ τῶν αἰσθήσεων ἀγάπησις· καὶ γὰρ χωρὶς τῆς χρείας ἀγαπῶνται δι' αὐτάς* (Met. 1, 1 [980 a 22]).

speculationis, quae quidem respicit ipsum intellectum, sic concedi potest, quod est maior certitudo in aliqua scientia quam in fide, pro eo quod aliquis potest aliquid per scientiam ita certitudinaliter nosse, quod nullo modo potest de eo dubitare, nec aliquo modo discredere, nec in suo corde ullo modo contradicere, sicut patet in cognitione dignitatum et primorum principiorum." [1] Nihilominus fides, si firmitatem adhaesionis spectes, „est certior omni intellectu et scientia, quia prima veritas, quae causat fidei assensum, est fortior causa quam lumen rationis, quod causat assensum intellectus vel scientiae" [2]. Et „locus ab auctoritate, qui fundatur super revelatione divina, est efficacissimus" [3].

Et maior etiam certitudo huic actui inde oritur, quod intellectus ad actum fidei eliciendum supernaturali lumine a Deo collustratur, ad eumque imperandum voluntas divini adiutorii viribus elevatur. Quodsi hoc fidei divinum principium attenditur, assensus huius fidei assensu omni naturali intensior est. Assensus naturalis quantumvis firmus sola vi luminis efficitur accedente fortassis aliqua volitione boni finiti. Assensus autem fidei divinae propter Deum efficitur a facultate humana gratiae viribus adiuta. Haec autem gratia et intellectum illuminat lumine, quod est excellentius omni lumine creato, et voluntatem confortat, ut efficacius intellectum ad assentiendum moveat, quam in aliis rebus fieri possit. Sed haec theologorum sunt.

§ 1. De fidei necessitate et utilitate.

715. **Thesis 30.** **Fides humana in rebus cum historicis tum scientificis est omnibus utilis et saepe necessaria.**

Ad stat. quaest. 1. Fidem diximus esse assensum mentis rebus ex testimonio acceptis propter auctoritatem testantis (n. 709).

Testis est, qui aliquid a se cognitum aliis manifestat. Testis est *immediatus* (vel oculatus), qui, quod testatur, non ab aliis accepit, sed suis ipse sensibus vel intellegentia cognovit. *Mediatus* vel auritus est ille, qui, quod testimonio suo refert, ab aliis accepit, non ipse per se cognovit. — Testimonium est actus ipse, quo testis rem a se cognitam alteri manifestat.

Testimonium (testificatio, locutio, revelatio) ratione testantis dividitur in *divinum* et *humanum;* ratione rei manifestatae in

[1] In l. 3 sent. dist. 23, a. 1, q. 4.

[2] *S. Thom.*, De verit. q. 14, a. 1 ad 7. Et alio loco: „In his, quae per fidem credimus, ratio voluntatem inclinans est ipsa veritas prima sive Deus, cui creditur, quae habet maiorem firmitatem quam lumen intellectus, in quo conspiciuntur principia, vel quam ratio humana, secundum quam conclusiones in principia resolvuntur" (3 dist. 23, q. 2, a. 2, sol. 3).

[3] *S. Thom.*, S. th. 1, q. 1, a. 8 ad 2.

historicum et *dogmaticum*, prout eo aut factum aliquod sensibile aut doctrina aliqua intellectu comparata continetur. *Obiectum* testimonii *historici* sunt facta *sensibilia*, quae visu vel alio sensu percipi possunt, eaque *individua*, quae sensibus percipiuntur; facta enim universalia, i. e. leges physicae, factorum causae, fines atque in hoc genere alia, non testimonio historico, sed argumentis rationis vel testimonio dogmatico cognoscuntur. Huiusmodi facta historica modo simplici narratione, modo scriptis libris aliisve documentis referuntur et posteritati transmittuntur. Obiectum vero testimonii *dogmatici* sunt *veritates* theoreticae vel practicae, quas testis propria intellegentia immediata vel mediata cognovit atque certas vel probabiles vel falsas esse iudicavit.

Auctoritas testis, cui fidimus, generatim est idoneitas ad fidem sibi conciliandam; vi vocis strictiore est ius vel dignitas fidem imponendi; illa definitio magis respicit auctoritatem, cui credere possumus, haec magis auctoritatem, cui credere debemus (n. 711).

2. Fidem humanam non solum utilem, sed in multis rebus necessariam esse dicimus, ut vitam humano modo instituere possimus. Utile hoc loco id intellegitur, sine quo finis obtineri quidem potest, non tamen ita bene. Necessarium est, sine quo finis nullo modo obtineri potest. Quae fidei necessitas in primis vitae rationalis initiis manifesta est.

716. Pars I. Necessitas fidei in rebus historicis.

Argumentum *(ex artis et experientiae propriae limitibus).* Facta locorum saltem distantium et praeteritorum temporum, quibus non adfuimus, sola auctoritate humana cognoscere possumus. *Atqui* plurima eiusmodi facta novisse pro vita cotidiana et spirituali omnino utile atque adeo necessarium est; quod nemo cogitans in dubium vocabit.

In multis etiam, quae aliquo modo ipsi experiri possumus, ultima certitudinis ratio pro nobis consistit in testimonio aliorum. Ita *liberi*, etsi ex amoris sinceritate et formae similitudine parentes ab aliis aliquo modo distinguere possunt, certitudinem tamen huius rei haud raro nisi fidendo aliorum auctoritati non acquirunt. Similiter hanc esse *urbem natalem*, hanc *Romam*, hunc nativitatis *diem* et sescenta eiusmodi credendo aliis cognoscere possumus atque debemus.

Ad rem accommodate *S. Augustinus:* „Quaero enim, si, quod nescitur, credendum non est, quomodo serviant parentibus liberi eosque mutua pietate diligant, quos parentes suos esse non credant. Non enim ratione ullo pacto sciri potest, sed interposita matris auctoritate de patre creditur; de ipsa vero matre plerumque nec matri, sed obstetricibus, nutri-

cibus, famulis. Nam cui furari filius potest aliusque supponi, nonne potest decepta decipere? Credimus tamen, et sine ulla dubitatione credimus, quod scire non posse confitemur. Quis enim non videat pietatem, nisi ita sit, sanctissimum generis humani vinculum, superbissimo scelere violari? Nam quis vel insanus eum culpandum putet, qui iis officia debita impenderit, quos parentes esse crediderit, etiamsi non essent? Quis contra non exterminandum iudicaverit, qui veros fortasse parentes minime dilexerit, dum, ne falsos diligat, metuit? Multa possunt afferri, quibus ostendatur nihil omnino humanae societatis incolume remanere, si nihil credere statuerimus, quod non possumus tenere perceptum." [1]

Et doctis etiam ad res scientificas velut *leges naturae* definiendas saepissime aliorum testimonium historicum, cui fidant, utile et necessarium est. Leges enim eiusmodi nonnisi legitima inductione ex observatis factis singularibus plurimis duci solent. At fieri non potest, ut unusquisque doctor ad stabiliendum firmum ex inductione argumentum facta, quibus indigeat, per semet ipsum experiatur, scrutetur, colligat.

717. Pars II. Utilitas fidei in rebus scientificis.

Argumentum. Pueri nascimur cognitione omni actuali vacui, et facultate sciendi praediti, quae et propria industria et magistrorum disciplina paulatim evolvenda et ad usum perfectum excolenda est; *atqui* illo etiam tempore multarum rerum scientia iam necesse est uti; *ergo* eiusmodi res ex auctoritate aliorum interim saltem cognoscere, donec ipsi illas intellegamus, utile et necessarium est. Et aetate etiam provecta ne praestantissimus quidem ingenio omnes illas veritates per semet ipsum intellegere et scire poterit, quae ad vitam homine rationali dignam necessariae atque utiles sunt. Vitae enim brevitas, mediorum inopia, aliarum occupationum sollicitudo omnino huiusmodi scientiam universalem impediunt. At deficiente rerum ipsarum intellegentia non remanet nisi fides testimoniis aliorum praestanda.

Ipsi denique in aliqua scientia singulari eruditi non raro de iis, quae ex rationibus scientificis multo cum labore et studio intellexerunt vel certo intellexisse sibi videntur, non omnino securi erunt, nisi ex aliorum auctoritate, qui eadem statuerunt, de ratiocinationis suae rectitudine confirmentur et ab omni erroris formidine liberentur. Ergo sapientissimis quibusque etiam aliorum auctoritas utilis saepe atque necessaria est.

---

[1] De utilit. credendi c. 12. „Quamdiu intellegere sincera non possumus, auctoritate quidem decipi miserum est; sed certe miserius non moveri" (ibid. c. 16).

Dices, in illis quaestionibus, de quibus sit testimonium dogmaticum, hominem quantumvis magno ingenio instructum errori usque obnoxium esse. Atque id non de uno tantum, sed de pluribus quoque doctoribus valere, qui omnes simul vel materiae difficultate et subtilitate, vel communi aliquo praeiudicio aut animi passione in errorem communem adduci possint; id quod revera haud raro factum sit. Inde sequi, testimonium eiusmodi generatim certitudinem efficere non posse; eius igitur utilitatem esse nullam. — Sed *respondendum* est inde id tantum sequi, in adhibenda fide illi testimonio cautione opus esse. Imprimis multa sunt, in quibus illo testimonio efficitur vera certitudo, ut sunt res physicae et mathematicae, in quibus calculo vel experimento veritas aperte comprobari potest; vel res historicae a plurimis cognitae; quibus in rebus etiam imprudentior et levior diligenter cavebit, ne ab aliis erroris vel mendacii convincatur. Etsi autem saepe condiciones omnes ad pariendam certitudinem necessariae non adsunt, tamen testimonio humano efficitur probabilitas. Ea enim est natura hominum, ut potius non decipi neque decipere velint, quam temere credant vel mentiantur. Et ea est vitae humanae condicio, ut in plurimis rebus satis facile cum probabilitate perspici possit, utrum testes decepti fuerint vel decipere voluerint necne. Et in plurimis vitae condicionibus homines indigent etiam his probabilitatibus, ut vitam suam modo naturae congruo instituere possint.

§ 2. De testimonii certitudine.

718. **Thesis 31.** **Testimonium humanum historicum tum immediatum tum mediatum veram certitudinem gignere potest.**

Ad stat. quaest. 1. Historicum dicitur testimonium, quo factum aliquod sensibile et individuum refertur. Eiusmodi porro factum aut est testibus et auditoribus coaevum aut praeteritum; utrumque vel verbis vel scriptis vel artefactis monumentis et similibus documentis contineri et transmitti potest. Ut res, de qua agitur, sit manifestior, facta *coaeva* et facta *praeterita viva vocis traditione* relata distinguimus.

Narratio per se potest esse certa et incerta; quamdiu est incerta, vocatur *rumor* vel *fama.* Narratio quatenus ab antecedentibus transmittitur in posteros, vocatur *traditio;* quae oralis esse potest atque etiam scripta. De *orali* tantum traditione hac thesi agimus (parte altera). Traditio igitur est facti narratio per testium continuatam seriem a tempore facti ad nos usque transmissa.

2. Certitudo, quam in thesi intellegimus, *per se* est tantum *moralis,* sed sensu stricto, quae falsitatem et omnem prudentem dubitationem actu excludit. Non enim acquiritur nisi interveniente testium veracitate.

Constare ergo debet testes, etsi positis adiunctis determinatis absolute immo et physice contra legem agere sive mentiri in actu primo possint, de facto tamen certo non mentiri in actu secundo.

Aliquando autem et quasi *per accidens* certitudo ex testimonio humano potest esse *physica;* cum constat nullum esse omnino bonum, quo testes ad mentiendum moveri potuerint, magnas causas potius esse, quibus eos a mendacio deterreri necesse fuerit. Tum enim mendacium est physice impossibile. cum naturae voluntatis rationalis repugnet, ut quis agat ne specie quidem boni proposita. Immo certitudo accedere potest *metaphysica,* quotiens in concretis adiunctis supposito mendacio metaphysica aliqua veritas tollitur. Ita si testes plurimi, inter se non dependentes, condicione, ingenio, studiis maxime diversi, inter quos conspiratio facta ne cogitari quidem possit, in unum idemque consentiant, eiusmodi testimonium certitudine metaphysica vestitum erit. Etenim his positis condicionibus de mendacii impossibilitate vel obiter dubitare idem esset atque effectum sine proportionata causa ponere et ordinem moralem simpliciter negare. Utrumque autem metaphysice repugnat.

3. Non in omnibus rebus historico testimonio veram certitudinem gigni dicimus. Saepe enim non praesto sunt testimonia, quae rem revera esse factam cum certitudine evincant. In quibus rebus satis esse debet, ut probabilitatem statuant vel certitudinem relativam, i. e. ut conentur cum certitudine constituere, quae in fontibus, qui praesto sint, contineantur.

719. Pars I. De testimonio quoad factum coaevum.

Argumentum. Testimonium historicum circa factum coaevum sive verbis sive scriptis propositum praebet assensus certi fundamenta, quamprimum de testium scientia et veracitate certo constat[1]; *atqui* consideratis testimonii determinati adiunctis ex parte *facti,* ex parte *testium,* ex parte *ipsius narrationis vel relationis* saepe de scientia et veracitate testium certo constare potest; *ergo* impletis illis condicionibus, testimonium historicum certam fidem facere potest.

Prob. min. per partes.

I. Consideranda adiuncta *ex parte facti.*

1. Videndum, sitne factum omnino hic et nunc in se possibile. Impossibile enim est etiam incredibile.

Quare a) quod est vere *metaphysice* impossibile et, facta etiam diligentissima inquisitione, adhibitis certis principiis, vera in se continet contradictoria, nulla auctoritate credibile fieri potest. – b) Quod est

[1] „Quod alicui non credatur, ex duobus contingit, aut quia est vel reputatur ignorans, aut quia est vel reputatur mendax" (*S. Thom.* in lib. de div. nom. c. 1, lect. 1).

solum *physice* impossibile, non est simpliciter impossibile; potest enim sapienti Dei providentia per exceptionem ordini naturae consueto derogari miraculo [1]. — c) Quod est nonnisi *moraliter* impossibile sive legi morali, i. e. moribus hominum repugnans, minus etiam est impossibile simpliciter. Licet huiusmodi lex universaliter tolli vel negari non possit, potest tamen a libera creatura in re singulari violari, et de facto non raro violatur. Quapropter si, quod moraliter repugnat, de multitudine aliqua referatur, testimonium evidenter erit reiciendum; si autem de paucis tantum narretur, eo maior adhibenda erit in explorando diligentia, quo maior a lege morali exceptio admittenda. Immo praesumptio semper est pro lege morali observata, hinc omnis violatio pro gravitate rei explicite probanda erit.

2. Attendendum est ad varias facti quasi proprietates, quarum una fidei faciendae magis prodesse, altera magis obesse poterit.

Ita a) si factum refertur *publicum atque clarissimum*, quod facillime a plurimis percipi potuit, vel etiam a caecis videri et a surdis audiri debuit, testimonium raro non certam fidem faciet; contrarium autem est, si factum narratur privatum, occultum. — b) Si fuit *grave et illustre*, quod cognovisse omnium interesse debuit, aliis ob effectus laetos, utiles, honorificos, aliis ob effectus contrarios, non modo sensibus, sed animis etiam alte impressum; huiusmodi facti relatio maximae est auctoritatis; minoris vel minimae autem per se erit, ceteris paribus, narratio facti alicuius nullius fere momenti.

720. II. Consideranda adiuncta *ex parte testium*.

1. Inquirenda est testium *scientia*, ut constet eos quae referant verum percepisse.

Hac in re cum agatur de factis sensibilibus, a) supponendum est, hominum sensus recte fuisse dispositos, nisi de impedimento positivum obiciatur dubium; recta enim sensuum dispositio et expedita ad agendum aptitudo naturalis est; impedimentum autem et vitium per se est exceptio. Hinc si multi sunt testes, de eorum apta dispositione sensuum dubitare absurdum est; si pauciores sunt, diligentius est attendendum et inquirendum. — b) Testes sensibus etiam recte usos fuisse, ex naturali sciendi cupiditate, curiositate, prudentia atque sollertia facilius constare potest. Licet hominibus, qui natura praecipites, neglegentes, nimis rudes et simplices, creduli cognoscuntur, vix tuto credatur, hominibus tamen cautis, prudentibus, tranquillis, ingeniosis, qui nec facile decipiantur nec vehementius excitentur, sed bene observent, clare distinguant, accurate examinent, raro ob scientiam dubiam certa fides denegari poterit.

[1] Eventus eius generis non prae se fert speciem apertae repugnantiae. Hinc testimonium de huiusmodi eventu non est a priori et sine rerum examinatione spernendum, sed maiore diligentia expendendum. Et si plena est auctoritatis vis, qua omne prudens dubium excludatur, etiam eiusmodi eventus tuto assensu admitti potest, immo rationabiliter admitti debet.

2. Exploranda est testium *veracitas*, quo certi reddamur eos, quae viderint, audierint vel alio modo acceperint, fideliter proposuisse.

Unde admisso naturali veracitatis amore, a) videndum, fueritne fortasse aliquod motivum, quo testes ad mendacium committendum adducti sint. Ita homines, vel semel mendaces, praeiudiciis imbuti, garruli, partium studiosi, vana spe et levi metu facile commoti, ad exaggerandum mala consuetudine proni vix non semper, deficiente etiam claro argumento, aliquam mendacii suspicionem et prudens de veracitate dubium ingerent, testes autem contrariae indolis omni fide digni sunt, cum maxima polleant veracitatis auctoritate. — b) Colligendae positivae pro veracitate testium rationes. Si testes natione, aetate, educatione, ingenio, studiis, moribus, vitae exterioris condicionibus differunt, et tamen in re testanda consentiunt, maximum praebent veracitatis suae argumentum; illis enim in adiunctis nullo modo fieri potest, ut omnes uno eodemque bono, vel alii hoc, alii illo bono ad idem mendacium inducantur, omnes etiam de mendacio actu proferendo turpiter conspiraverint, omnes denum in mentiendo impudentem simulationem calleant eamque exerceant, neque ullo pudoris vestigio sese prodant. — Similiter cum testes verum esse affirment, quod suis ceteroquin opinionibus, desideriis, studiis contrarium est, quod ipsis neque commoda, neque gloriam, neque voluptatem vel utilitatem aliam, sed detrimentum et ignominiam et vexationes et persecutiones ad mortem usque afferre potest, omnem de veracitate formidinem inanem et dubitationem imprudentem esse intellegetur.

721. III. Consideranda adiuncta *ex parte ipsius narrationis et relationis*, ut sunt narrationis modus, tempus, locus.

1. *Modum* relationis quod attinet, dicendi genus simplex, lucidum, sobrietatem sapiens multum commendat auctoritatem dicentium; stilus autem, qui nimiam elegantiam, novitatis laudem sectatur, qui partium studium, odium, adulationem et eiusmodi affectus prae se fert, qui artificiosis locutionibus, obscuris calumniis vel suspiciosis excusationibus non caret, qui perspicuitatem fugit, oratorum declamationes imitatur, res scenica descriptione exhibere solet, is inquam stilus testem exaggerationis, maioris minorisve veritatis detruncationis, immo ipsius mendacii suspectum reddit. Generatim veritas natura sua historicam quaerit dicendi simplicitatem; excessus affectuum sive bonorum sive malorum rhetorico delectatur sermone; imaginatio poeticos amat dicendi flores.

2. *Tempus* etiam relationis attendi potest. Quodsi testimonia statim post rem factam a multis testibus proferuntur, si iterum atque iterum eodem constanti modo repetuntur, neque ulla narrationis mutatio interveniat, signum est veritatis. Item, si res accurate secundum singula sua momenta, claro ordine, indicatis determinatis temporibus singularum partium exhibentur, facilius fide dignae sunt.

3. *Locum* denique narrationis minime neglegendum esse patet. Quamdiu enim narrationis vel potius rumoris aut famae cuiusdam origo deter-

minari non potest, omnino suspecta est huiusmodi relatio. Et quo diligentius initio tenebris sese testis aliquis involverat, eo difficilius testimonium, cognito etiam auctore, fide dignum est. At si res publice refertur coram iis quoque, qui eam cognoverunt, qui mendacium testis corrigere possint et certe corrigerent, immo, ne ipsi infamarentur vel damno afficerentur, corrigere deberent, parum erit de veritate testium formidandum, qui mentiri ne possent quidem, etsi vellent fortasse.

Consideratis his adiunctis et similibus, per sanum iudicium certo compertum erit, utrum momenta ad prudens dubium excludendum satis sint necne. Si sunt satis, testimonium veram gignet certitudinem, si non, probabilitatem tantum efficere potest.

722. Pars II, quoad factum praeteritum traditione relatum.

Argumentum. Traditionem, quae legitima censeatur, ponitur esse illustrem et publicam, perpetuam et constantem et amplam; *atqui* eiusmodi traditioni falsitas subesse non potest; *ergo* factum praeteritum legitima traditione relatum certo credi potest.

Ad mai. Dotes igitur legitimae traditionis indicari solent, ut sit: 1. *Publica* atque illustris, quatenus versatur in facto aliquo insigni, quod suo tempore multis innotescere debuerit, et in quo mendacium circumferri non potuerit. — 2. *Perpetua* et constans, i. e. ea, ut totam eius seriem recolentes, eam semper eandem, saltem quod facti substantiam attinet incorruptam neque immutatam inveniamus, et in testibus immediatis factoque coaevis demum eius fontem genuinum detegamus. — 3. *Ampla,* ut singulis quasi generationibus multae eaeque distinctae ab origine variorum testium series quasi rivuli separati traditionem contineant atque conservent.

Legitimae traditioni novum robur additur, si tota natio vel etiam plures populi scriptis, ludis, festis diebus eius memoriam custodiant, et si traditioni orali varii generis monumenta concordent.

Prob. min. Eiusmodi traditioni falsitas subesse non potest, si testes primi et omnes subsequentes neque decipi neque decipere potuerunt. Atqui utrumque positis adiunctis putandum est. Nam non potuerunt *decipi,* quia in facto tam publico et quasi palpabili tot testes diversi ut errent fieri non potest. Primi quidem non potuerunt ob ipsius facti immediatam evidentiam; subsequentes non potuerunt, quia verum a prioribus acceperunt, ut ex notione legitimae traditionis constat; id quod erit confirmatius, quia generationes singulae non subito et abrupte inter se sequuntur, sed paulatim succrescunt ita, ut prioris generationis quasi vestigia semper videri possint.

Neque potuerunt *decipere,* nam primae testium series sicut et sequentes ita erant ex suppositione numerosae, ut mendacii possibilitas circa traditionis saltem substantiam prorsus exclusa sit. Et sane, qui fieri potuisset, ut tot testes diversi generis, indolis in unum idemque mendacium conspirarent, et si conspirare potuissent, a sequentibus falsitatis accusati non essent?

Ergo impletis condicionibus supra indicatis, testes mediati eodem modo atque testes immediati plena fide digni sunt circa traditionis partes principales.

Confirmatur id, quod statuimus, experientia hominum. Si quis, ut scite advertit *Storchenau* [1], ad ea quae in se experitur, animum advertat sincerusque esse velit, fateri cogitur se tam procul ab omni de exsistentia urbis Romae dubitatione abesse, quam parum de exsistentia solis supra horizontem, dum eum suis intuetur oculis, ambigere potest. Et sicut fieri non potest, ut serio iudicem omnes alicuius typographiae characteres fortuito casu proiectos ita apte convenire posse, ut inde oratio quaepiam Ciceronis aut Vergilii Aeneis prodeat, ita neque serio iudicare possum homines plurimos, cum Romam exsistere affirment vel Caesarem fuisse referant, simul falli aut in id, ut me fallant, convenire.

723. ***Scholion 1.*** Fieri potest, ut vel *unius* testis relatio veram efficiat de re relata certitudinem, cum ex adiunctis omnibus certo colligitur eum et verum dicere potuisse et voluisse. Id tamen nemo non videt rarius tantum fieri posse.

Scholion 2. Cum de „consensu" sermo est, quo homines omnes in re aliqua conveniant, triplicis generis consensio distinguitur. Prima est, quae in inclinatione illa naturali, quam vocant sensum naturae communem, fundamenta habet; qua de re ante diximus.

Qui sensus communis, quatenus secundum se consideratur, ad locum auctoritatis, de qua hic disputamus, non pertinet; quatenus vero attendimus eius effectum, qui est omnium hominum rationalium in certo iudicandi genere consensio, sensus ille speciem auctoritatis induere potest, ex qua ad originem naturalem quorundam iudiciorum concludere licet. Quod enim naturale, illud commune est. Quidquid omnes homines quasi instinctu iudicant, id naturaliter „iustum vel iniustum est, etiamsi nulla inter ipsos societas fuerit aut pactio" [2]. Quod ipsum enuntiare voluit *Tullius,* cum diceret: „Omni in re consensio omnium gentium lex naturae putanda est." [3]

Altera est consensio, quae in diligenti et circumspecto usu rationis fundamenta habet; quem quidem ab omnibus adhibitum

[1] Instit. log. n. 183. [2] *Arist.,* Rhet. 1, 13 (1373 b 8).
[3] Tuscul. 1, 13.

esse putandum est, quotiens de re gravi vel ad vitam humanam utilissima agitur.

Cum enim in ratiociniis difficilioribus contingere possit „error per accidens", is error omnino excluditur, cum constat rationem a plurimis cum diligentia adhibitam esse. De hac consensione *Seneca:* „Apud nos veritatis argumentum est, aliquid omnibus videri." [1]

Tertia esse potest multorum hominum consensio in rebus, quae pro vitae usu mediocre tantum momentum habent, ad penitus autem intellegendum difficiliores sunt.

Homines, cum harum rerum parum sollicitudinis gerant, id pro vero habere solent, quod primo intuitu verum esse videtur. Ex quo intellegi debet consensui, qui sit in hoc genere, exiguam vel nullam auctoritatem inesse.

724. ***Obi. 1.*** Homo natura sua impellitur, ut omnia per experientiam propriam et intellegentiam noscat, neque in verba magistri iurandum est; et tantum valet auctoritas, quantum valet ratio; *ergo* auctoritas non est fons tertius.

Resp. Testimonia hominum, qui sunt fons primarius et necessarius cognoscendarum rerum *historicarum,* res *scientificas* sive dogmaticas quod spectat, sunt fons secundarius. Sed hic fons etiam necessarius est. Res enim sunt plurimae, quas ne doctissimus quidem per se solum cognoscere potest, in quibus igitur alienis testimoniis fidere debet. Unde axioma est, peritis in aliqua arte credendum esse. Quam ob rem homo a natura sua vix minore vi ad credendum impellitur quam ad intellegendum. „Naturae quidem ordo", ut est apud *S. Augustinum*, „sic se habet, ut, cum aliquid discimus, rationem praecedat auctoritas; nam infirma ratio videri potest, quae, cum reddita fuerit, auctoritatem postea, per quam firmetur, assumit. Sed quia caligantes hominum mentes consuetudine tenebrarum, quibus in nocte peccatorum vitiorumque velantur, perspicuitati sinceritatique rationis aspectum idoneum intendere nequeunt, saluberrime comparatum est, ut in lucem veritatis aciem titubantem opacata inducat auctoritas." [2]

Obi. 2. Testimonium non fit certum nisi per ratiocinium; *ergo* non est novus fons.

Resp. Est quidem ratiocinium *condicio,* quae necessario praerequiritur, ut auctoritas certa sit et vim suam exercere possit; non tamen est auctoritatis *elementum.* Auctoritas vim suam scientificam per aliquod ratiocinium nanciscitur; sed ratiocinium eiusmodi non est *fons* respectu veritatis ex auctoritate haustae.

Obi. 3. Homo est fallibilis ac fallax; *ergo* eius auctoritas incerta.

Resp. Esse fallibilem et fallacem, si consideretur, ut sic dixerim, in actu primo, potest putari homini esse essentiale, quatenus cum im-

[1] Epist. 117, 6.

[2] De moribus eccles. catholicae 2, 3 (*Migne* 32, 1311).

perfectione humanae naturae coniunctum est. Si autem accipiatur in actu secundo, non convenit homini per essentiam, sed per accidens tantum. Nam falli aut fallere non evenit nisi positis quibusdam condicionibus, ex quibus sequitur hominem decipi vel mentiri. Inde igitur, quod singuli distributive sumpti falli possunt vel fallere, non sequitur etiam omnes collective falli aut fallere posse. Recte *Cicero:* „Neminem fefellerunt omnes, et nemo umquam omnes fefellit."

Obi. 4. *Unus* testis non gignit certitudinem; *atqui* ex additione fallibilium non oritur infallibile; *ergo* testimonium numquam certum est.

Resp. Homines singuli separatim accepti possunt quidem errare, si sensibus utantur non rite dispositis et applicatis. Errare autem non possunt, si sensus rite sunt dispositi et applicati. Unusquisque igitur saltem nobis praebet probabilitatem. Non tamen *consensus* testium est mera additio. Nam 1° quoad *scientiam* licet in singulari aliquo homine stulto vel perdito natura per accidens deficere possit, nobis id non animadvertentibus, id tamen in multis et plurimis simul fieri non potest; secus natura nostra per se non ad veritatem, sed ad errorem et mendacium nata esset, quod absurdum est. 2° Quoad *veracitatem* rationes impellentes ad veritatem vel mendacium non erunt eaedem in multis diversis hominibus; neque asserimus *semper* obtineri certitudinem.

725. ***Obi. 5.*** Recte docuisse videtur *Locke,* universim cuiusvis testimonii probabilitatem ea proportione minui, qua a primo fonte recedatur. „Vir fide dignus, inquit, cum rem quampiam sibi esse notam testatur, firmum affert argumentum; verum cum secundus aeque fide dignus nixus testimonio prioris idem testatur, testimonium hoc iam evadit debilius, et testimonium tertii, qui ex ore praecedentium loquitur, est iterum minus attentione dignum, ita ut in veritatibus, quae nobis per viam solum traditionis patefiunt, quivis gradus remotionis a fonte vim argumenti infringat." [1]

Resp. Ponitur testimonia vera de re gravi et publica a testibus primis fide dignis per alios quam plurimos sibi ordine succedentes aequaliter fide dignos transmissa esse. Huius autem vim longa annorum serie non minui, vel inde patet, quod ea ipsa, quae ad fidem primis testimoniis habendam moverunt, eandem vim habeant pro quocumque alio. Quando igitur de factis agitur, ut scite dicit *Fournier* [2], quae ut publica et maximi momenti per saecula narratione authentica, verace, integra sive traditione constanti et uniformi traduntur, eadem manet credendi ratio; numquam enim deceptio fieri potest, unde labente tempore certitudo facti non minuitur, modo testes intermedios constet esse veraces.

Sed dices: Per experientiam constat vim traditionis tantum minui, quantum ab eius origine recedamus.

Respondeo: Constet id de traditione aliqua solitaria et tenui, qualis esse solet de eventibus minoris momenti, qui quidem haud raro, dum

[1] Essay philos. conc. l'entend. hum. l. 4, ch. 16, § 10.
[2] Instit. philos. n. 123.

migrant per ora hominum, mirum quantum mutantur. Non vero constat de ampla illa circa res graves et publicas traditione, quae permultis quasi filis ad nos pervenit. In hac enim traditione unaquaeque generatio hominum ad sequentem transmittit integram suam certitudinem, quia haec non ex indole alicuius hominis, sed ex adiunctis trahitur, propter quae certo nobis constat nullum errori vel conspirationi ad decipiendum locum esse.

Neque audiendi sunt, qui timent, ne testis auritus minus fide dignus sit quam ocularis, quippe qui eventu non tam vivide afficiatur. Etsi enim fortassis affectio *sensus* maior est in visu quam in auditu, affectio tamen *persuasionis,* quae habetur propter auditum, aequalis esse potest ei, quae habetur propter visum. Vel cui non est eadem persuasio de exsistentia imperii sinensis quam regionis, in qua ipse vitam degit?

Sunt quoque, qui eventus antiquos comparent rebus, quae eo obscurius videntur, quo plura sunt vitra interposita. Quibus respondendum est vitra ex natura sua radios luminis ex parte intercipere; intermediis vero testimoniis, modo adsint condiciones, de quibus diximus, minime minui certitudinem rerum traditarum.

726. Thesis 32. Etiam testimonio historico scripto vera certitudo obtineri potest.

Ad stat. quaest. 1. Testimonium scriptum *per se* ab orali non differt nisi ex medio adhibito; quare si constat, quis quid scripto testatus sit, hoc testimonium aequivalet eius testis testimonio orali, atque in hoc nititur plena fiducia in commercio epistulari inter homines fide dignos. Differentia in eo tantum est, quod etiam speciatim constare debet testimonii scripti *genuinitas* et *integritas;* atque praesertim in libro vel scripto remotiore a nostro tempore pro linguae variabilitate et vocabulorum usu mutato etiam *sensus* testimonii recta interpretatio non semper facilis et certa est.

2. Testimonium historicum scriptum sensu stricto intellegitur scripta alicuius facti (vel factorum) narratio. Sunt praeterea alia testimonia, quibus notitia rerum praeteritarum ad posteros transmitti potest, ut sunt documenta, monumenta, ornamenta, arma, alia residua (quae distinguuntur historica et praehistorica).

Documenta ea vocantur scripta, quae ad comparandam sibi auctoritatem certis formalitatibus instructa sunt; ea vocantur *instrumenta,* si sint causa alicuius iuris vel alicuius iuris signum formale.

Monumentum est rei gestae testimonium aliquo artis opere expressum ex materia, quae diutius sit duratura.

727. 3. Testimonia alia sunt *formalia,* alia tantum *materialia.* Priora sunt ea, quae in hunc finem facta sunt, ut sint sive aequa-

libus sive posteris rerum gestarum signa, ita narratio scripta, statua, mausoleum, inscriptio, columna, porta triumphalis. *Materialia* ea sunt, quae sunt quidem testimonia, quamquam ad id destinata non erant, v. g. computi acceptorum et expensorum ad usum tantum proprium facti, et eiusmodi. In thesi attendimus testimonia formalia, et quidem solum documenta scripta, quae sunt annales, chronicae, memorialia, biographiae, historiae, quaelibet denique rerum gestarum narrationes. Reliqua in scholiis addemus.

4. Certis indiciis in re particulari iudicandum est, utrum media ad efficiendam certitudinem sufficiant. Haec indicia nos docet *ars critica* seu ars, quae regulas docet, ex quibus iudicetur de variis hominum operibus intellectualibus. Applicata rebus historicis ars critica ea est, quae normas tradit, ut de pondere usuque testimoniorum historicorum, quaecumque illa sunt, rectum feratur iudicium [1].

Hac igitur arte critica intenduntur tria: 1° ut cognoscatur, sitne scriptum integrum et qui sit alicuius scripti sensus; 2° sitne scriptum authenticum, i. e. revera illius auctoris, cui ascribatur; 3° quae sit scriptoris scientia, veracitas vel auctoritas.

Artis criticae pars habetur *ars hermeneutica,* qua statuuntur regulae interpretandi sensum, quem auctoris verba continent, qui fortasse obscurior sit. Ad quem locum spectat etiam *philologia,* quae linguam attendit et grammaticam.

728. **Argumentum.** Testimonium historicum scriptum certitudinem gignit, si constat I. de *testimonii authentia* et *integritate* et eius *vero sensu* (*quis quid* scripto sit testatus), et II. de *testis auctoritate; atqui* utrumque constare potest; *ergo* testimonium historicum scriptum certum esse potest.

Prob. min. pars I. Testimonii authentia, integritas, verus sensus.

A. *Quis scripserit, sive de authentia et integritate testimonii.*

Ut documentis fidere possimus, scire debemus, 1° ea non esse supposita et spuria, sed *authentica,* i. e. illius auctoris illiusque temporis, cui ascribuntur; 2° ea non esse corrupta (i. e. nihil quod alicuius momenti sit, esse in iis mutatum, nihil detractum.

[1] Haec ars critica iam ab *Herodoto, Thucydide,* a scriptoribus christianae aetatis (ut ex plurimis paucissima: videsis *S. Thom.,* S. th. 3, q. 36, a. 4 ad 3; q. 43, a. 3 ad 1; q. 45, a. 3 ad 2; De spirit. creat. q. un., a. 3 ad 9) diligenter est exercita; non tamen eius regulae proponebantur nisi sparsim occasione data. Ea ut specialis disciplina coli coepta est a tempore *F. A. Wolf* (1795), *B. G. Niebuhr* (1811), *L. Ranke* (1824), qui quidem in ea re multa bene scripserunt, plura tamen male egerunt. Praeclare his de rebus scripsit *De Smedt,* Principes de la critique historique, Liège 1883.

nihil per interpolationem adiectum), sed esse *integra*. Haec autem ut certo cognoscamus, indicia in promptu sunt tum interna tum externa.

De quibus haec fere praecipi solent a logicis [1]:

Indicia interna ex natura sua negativa potius sunt: 1. Vocabula et modi loquendi, quae certo constat posteriore tantum aevo in usu fuisse, quam sit aetas, ad quam documentum refertur, vel quae scriptorem ea aetate recentiorem aut documentum interpolatum fuisse ostendunt.

2. Si stilus sit diversus a noto scriptoris, cui tribuitur, aut saeculi, quo ille fuit, suspicio debet oboriri de libri authentia; suspicio, inquam, non iudicium certum. Et suspicio quoque cessabit, si ratione materiae aut finis aut aliorum adiunctorum legitima mutationis causa afferri possit.

3. Liber, in quo memorantur homines, facta, mores, artes, controversiae, quae auctore, de quo quaeritur, certo posteriores sunt, aut spurius est aut interpolatus. Idem putandum de libro, in quo recentioris scriptoris non dubia imitatio deprehendatur.

4. Liber ineptiis refertus vel fabellis scatens viro gravi, prudenti, erudito aut ex toto aut saltem ex parte abiudicandus est, etsi eius nomen in codicibus praefert.

5. Liber, qui sententias continet iis certo oppositas, quas scriptorem, cuius nomen praefert, docuisse constat, valde suspectus est.

729. De *indiciis* autem *externis* haec attendenda sunt:

1. Si codex est *autographus* (ab ipso auctore conscriptus), quaestio de eius authentia erit dirempta. Si codices sint *apographi* (exemplaria ab autographo transcripta), ex iis inter se comparatis multa criticus deducere poterit. a) Si in omnibus exemplaribus, etiam in iis quae auctori viciniora sunt, uni eidemque auctori opus tribuitur, huic tribuendum est. b) Si in vetustis codicibus nomen unius auctoris opus praefert, in recentioribus alterius, per se vetustis fides habenda. c) Si in recentioribus codicibus reperitur, quod in antiquioribus deest, hoc interpolati documenti indicium est; si contrarium deprehenditur, mutilati.

2. Si scriptores, qui auctoris sunt coaevi vel suppares, aut etiam traditio constans, eidem auctori librum adiudicent, non erit de auctore dubitandum. Et etiam per invitam criticorum confessionem authenticitas alicuius libri confirmari potest. Traditionis autem testimonium eo magis habebit ponderis, si nationem universam vadem habeat, multoque magis, si liber aut annales aut leges aut religiosa dogmata nationis contineat: vel etiam, cum liber receptus fuerit a multis hominibus inter se adversariis; praecipue vero, cum a probis hominibus magna cura religiose servatus fuerit.

[1] *Tongiorgi*, Log. n. 649; *Liberatore*, Log. Append. de arte crit.; *Zigliara*, Log. crit. l. 2, c. 3, art. 4, n. 61; *Zeph. Gonzalez*, Philos. elem. I, Matriti 1877, 172.

3. E contrario liber, qui antiqui auctoris nomine inscribitur, si alicuius momenti sit neque ulla eius mentio apud veteres occurrat, suspectus habendus est, nisi potiora argumenta eum probent esse genuinum.

4. Documenta, quae ab antiquioribus reiecta sunt ut spuria vel in dubium revocata, vix fieri potest, ut propter recentiorum auctoritatem admittantur, nisi rationes hi afferant gravissimas.

5. Si ex aliquo libro loci a veteribus citati sint, iique modo in libro eiusdem auctoris et tituli reperiantur, hoc argumento esse poterit ad librum existimandum genuinum et integrum; si non reperiantur, aut liber est suppositus pro vetere deperdito, aut mutilus est; si immutati legantur, liber est corruptus.

6. Si alicuius libri multa iam a principio exemplaria exscripta et variis in locis vulgata, lecta, in pretio habita fuisse constat, hic liber adulterari non potuit. Non enim effici potuit omnium conspiratio, et si qua fraus fuisset deprehensa, omnes reclamassent.

Haec igitur etiam indicia sunt, quibus certum est aliquem librum esse authenticum et *integrum*, neque quidquam interpolatum esse.

730. B. *Quid scripserit, sive de vero sensu testimonii.*

Ad sensum textus difficilioris certo eruendum requiritur a) cognitio accurata linguae, qua usus est scriptor, i. e. talis cognitio, qua etiam significatio vocum diversis temporibus diversa probe distinguatur; b) cognitio consuetudinum, morum, legum, opinionum eius temporis et loci, ad quae liber pertinet. *Atqui* ad haec cognoscenda scientiae diversae, scil. historia, philologia, palaeographia, scientia epigraphica, diplomatica, scientia historica de bibliothecis, manuscriptis etc., media necessaria magis magisque suppeditant.

Et graviter a logicis monitum legimus in huiusmodi rebus non unumquodque indicium separatim pro se solum considerandum esse, sed oportere, ut ad omnem alicuius fontis indolem vertatur animus.

731. Prob. min. pars II. Auctoritas scriptoris.

1. Certa erit auctoris *scientia*, si res gesta fuerit sensibilis, publica, illustris, si ipse auctor fuerit coaevus vel traditionis legitimae organum, vel si ex certis documentis vel monumentis notitiam rei accipere potuerit.

2. Certa etiam erit *veracitas*, si auctores, inter se studiis vel aliis rebus diversi, tamen quoad substantiam facti inter se conveniant. Quinimmo unius historici tanta esse potest auctoritas, ut tuto ei fidere possimus. Id tum praesertim obtinet, cum in iis quae etiam aliunde certo diiudicari possunt, se proderit ut bene instructum et fidelem et accuratum in referendis rebus (n. 723).

732. ***Scholion 1.*** Est praeterea etiam *argumentum negativum*[1], quod vocant, quod a silentio historicorum trahitur; in quo tamen adhibendo magna cautione opus est. Etenim istud argumentum negativum ad factum aliquod denegandum tum solum valet, si aequivalet testis legitimi positivo testimonio, quo testis ille declaret *se scire rem factam non esse.* Aliis verbis: tum solum valet illud argumentum, cum consideratis condicionibus omnibus loci, temporis aliisque vel ad factum vel ad testem spectantibus omnino apparet, tum a) factum eiusmodi esse, ut ab eo teste ignorari non potuisset, tum b) eum testem de facto illo locuturum fuisse, si illud cognovisset. Quae constare possunt v. g. de scriptore, quem omnia ad rem aliquam defendendam vel impugnandam diligenter conquisivisse et rettulisse constat.

733. ***Scholion 2.*** *De monumentis.* Quae veram de rebus certitudinem efficient, si fuerint authentica, si fuerint rebus de quibus quaeritur contemporanea, si convenerint cum traditione legitima[2]. Quodsi de his rebus constat, non est dubium, quin monumenta efficere possint certitudinem.

Monumentorum authentia diiudicari potest criteriis *internis* et *externis.* Ad interna refertur materiae natura, stilus etc., externa consistunt potissimum testimoniis. Auctoritas similiter diiudicatur ut in aliis testimoniis. Exempla inscriptionum fallacium affert *Lahr*[3], v. g. adulationis in arcu Titi: „Urbem Hierosolymam omnino intentatam delevit" — sane „tentata" erat a Pompeio.

Nam nemo certe tanta esset audacia, ut monumentum publicum poneret in memoriam facti ex natura sua publici, cuius falsitas in omnium oculos incurreret. Quodsi reperiretur insanus, qui id faceret, certe simul cum monumento perseveraret fama tantae insaniae.

Si autem longo tempore post eventum aliquem gravem et publicum aliquod monumentum erectum fuerit nemine aequalium reclamante, certe constat apud hos aequales factum, de quo agitur, habitum esse pro vero et certo; si igitur praeterea constat hos aequales, qui fuerint tempore erectionis monumenti, et potuisse et voluisse tueri veritatem, iam etiam certo constare poterit factum illud revera evenisse secundum monumenti attestationem.

---

[1] *Tongiorgi,* Log. n. 656—659. *De Smedt,* Principes de la critique historique ch. 13: De l'argument négatif. Théories de Baronius, de Lannoy, de Mabillon, de Noël Alexandre et de J. B. Thiers.

[2] Ad quae diiudicanda ingens apparatus disciplinarum archaeologicarum hodie in promptu est, ut sunt *numismatica, diplomatica, palaeographica, epigraphica, philologia, chronologia, historia, politica, artium,* aliarum rerum, quae ad „culturam" gentium spectant, historia rituum religiosorum, civilium.

[3] Cours de Philosophie 501.

734. ***Scholion 3.*** *Historia est scientia proprie dicta,* 1° quatenus rerum historicarum cognitio dirigitur legibus et regulis generalibus; 2° quatenus versatur in detegendis rerum gestarum causis, atque ita ducit ad statuendas leges, secundum quas homines agere soleant; 3° quatenus subicitur principiis metaphysicis et ad principia metaphysica melius cognoscenda adducit.

I. Historia *methodum docet,* secundum quam in factis accurate inquirendis et ad veritatem accommodate narrandis procedendum sit.

Historia et obiective accipi potest et subiective. Si accipitur *obiective,* aut intellegitur sensu particulari, et est alicuius facti particularis memoria scripto consignata (hoc modo numero plurali narrari dicuntur „historiae" vel „acta"); aut intellegitur sensu magis universali, et est memoria factorum memorabilium, quae in aliqua gente vel genere humano contigerunt, scripto consignata. Olim „historiam" ab „annalibus" quidem eo differre putarunt, quod, cum utrumque sit rerum gestarum narratio, earum tamen rerum proprie esset historia, quibus ipse interfuisset is qui narraret [1].

Ad historiam obiective intellectam pertinere possunt ea omnia, quae, cum tempore praeterito inter homines contigerint, propter nexum, quo inter se coniunguntur, pro nobis non sine momento sunt, sive sunt res ab hominibus gestae, sive sunt eventus, opera, status atque conditiones gentium.

Ad historiam *subiective* acceptam primo loco pertinet illarum rerum certa cognitio et earum cum aliis vera communicatio. Unde in historia haec curante duae partes distingui solent: *historiomathia,* quae docet, quomodo inquirendum sit; et *historiographia,* quae docet, quomodo exponendum sit. Atque in his tradendis methodis historia a regulis generalibus vel principiis universalibus abstinere non potest; id quod ad rationem scientiae requiritur et satis est. Quae regulae et principia nihil aliud sunt quam praeceptiones logicae ad res historicas applicatae; velut cum logica doceat nihil esse posse simul et non esse, historicus praecipiet: Distingue tempora, et concordabunt iura. Cum logicus praecipiat, distinguendum esse inter necessitatem metaphysicam et physicam, numquam licebit historico negare eventum per testes certo comprobatum ob eam solam rationem, quod sit „miraculum" [2].

---

[1] Ita *Aul. Gellius,* Noct. Attic. 5, 18. Simili ratione *Lessing:* „Nur der Schreiber der Zeitgeschichte ist als eigentlicher Historiker zu betrachten." (Contra quem *Gervinus,* Historik 77.) *Baronius* in scribendis suis „Annalibus ecclesiasticis" hanc sibi regulam posuit: Illi tibi auctores legendi sunt, qui suorum temporum res gestas scripsere; qui si desint, proximiores saltem habeas; iunioribus autem credas, quantum antiquiorum nituntur auctoritate.

[2] Hoc modo confessus est *Rénan:* „Si le miracle a quelque réalité, mon livre n'est qu'un tissu d'erreurs . . ., notre methode est détestable" (Vie de ésus [16], Préface p. v et ix).

735. II. Postquam facta cognita sunt, inquirit historia in factorum *causas,* factaque colligit ad statuenda per inductionem principia saltem moraliter certa de eventibus in vita cum hominum singularium tum gentium contingentibus.

Cum enim homines non sint praediti libertate arbitrii omnino absoluta, in multis rebus pendent a condicionibus inclinantibus, quibus etsi semper resistere possunt, reapse tamen ut plurimum cedere solent. In hoc genere sunt condiciones regionum, temporum, caeli status, aëris temperies, victus et quaestus qualitas, valetudo corporis, degendae vitae ratio, status artium et scientiae, educatio, occupationum varietas, domesticae convictiones, mores et consuetudines, instituta publica, rationes civiles. His accedunt proprietates ingenii et animi, quae vocantur psychologicae, ex quibus magna copia legum moralium trahi potest; sescenta alia.

736. III. Universos eventus subicit historia *altissimis* illis philosophiae *principiis,* quae versantur circa rerum causam primam et ultimum finem, ad quae melius cognoscenda mentem humanam recte dispositam adducit, et ex quibus aliunde cognitis praeclaram ad interpretanda singula addit lucem.

Hac de re magna est diversitas sententiarum, quae omnes ad duas methodos reduci possunt. Qui sequuntur methodum empiristicam, quam alii „naturalem" vocant[1], negant ullam in historia rationem haberi posse veritatis, vel legis, vel finis, vel principii, quod non intra limites ipsius mundi phaenomenalis, i. e. sensibilitatis, contineatur. Inter hos eminent *A. N. Condorcet* (1743—1794)[2], *Aug. Comte, L. A. I. Quételet* (1796—1874), *H. Th. Buckle*[3], *Fr. Hellwald, E. du Bois-Reymond.* Qui omnes nihil discriminis ponunt inter historiam hominum, historiam bestiarum, historiam lapidum. Quodsi finem permittunt studiis historicis promovendum, is in voluptate tantum vitae animalis pro societate humana situs est; quapropter haec methodus etiam socialistica est vocata. Inter hos tamen historicos vix ullum reperies, qui non ex ignoratione veritatis metaphysicae in eiusdem negationem lapsus sit, ita ut omnes profiteantur fatalismum, materialismum[4].

Altera est methodus philosophica vel metaphysica, quae tamen apud diversos diversa est. Alia est enim apud idealistas, inter quos *Kant*[5], *Fr. Christoph. Schlosser* (1776—1861); alia apud pantheistas, inter quos

[1] Sozialistisch-naturwissenschaftliche Richtung.

[2] Esquisse d'un tableau historique des progrès de l'esprit humain (1793).

[3] History of civilisation in England (1858).

[4] De methodo materialistica historiae apud socialistas modernos democraticos cf. *H. Pesch* S. J., Nationalökonomie I n. 114, et *Cathrein* S. J., Der Sozialismus [10] (1910) 170 sqq.

[5] Ideen zu einer allgemeinen Geschichte in weltbürgerlicher Hinsicht (1784): VIII 15.

Fichte, Schelling, Hegel, H. Lotze; alia apud deistas, inter quos *Herbart, L. Ranke;* alia apud eos, qui exsistentiam Dei et providentiam agnoscunt, inter quos *S. Augustinus, Orosius, Dante, Bossuet, Baronius, Petavius, Mabillon, Tillemont, Muratori, Giambattista Vico, Ioannes v. Müller, Friedrich Schlegel, Ios. Görres.* Qui omnes non solum in eo conveniunt, quod facta historica praetermissis omnibus rationibus metaphysicis intellegi satis non possint, sed etiam in eo, quod illa facta cum necessitate cogitantem mentem impellant, ut ascendat ad rationes metaphysicas [1].

737. Vix opus est dicere hanc alteram methodum philosophicam omnino tenendam esse, et praetermisso omni errorum metaphysicorum genere, soli *methodo theisticae* inhaerendum.

Hoc igitur modo historia habet rationem scientiae; id quod declaratur argumento *negativo.*

Ideo enim negant historiam subiectam rationibus metaphysicis esse scientiam, quod historia penitus corrumpatur additis illis opinationibus subiectivis scribentium, sive sint pantheisticae, sive deisticae, sive christianae. Atqui haec ratio nulla est. Primo enim non agitur de inquisitionibus historicis in se alterandis, sed subsumendis sub principiis altioribus. Neque deinde agitur de addendis opinationibus subiectivis, sed de attendendis veritatibus metaphysicis, quae per rationem humanam recte adhibitam et per revelationem divinam certo constant.

Secundo probatur id quod diximus argumento *positivo.*

Natura enim veritatis, cuius singulae quasi partes in singulis disciplinis coluntur, omnino exigit, ut, non contenti aliqua parte, progrediamur ad cognoscendum totum, neve ulli in inquirendis rerum causis limites humano ingenio ponantur. Quod si ita est, nobis cognitione causarum empiricarum non licet esse contentis.

Atque his tribus rebus, quae primariae sunt, absolutis, illud non est praetermittendum silentio, historiam omni scientiae praeclarum inveniendae veritatis instrumentum esse. Unde ad rem accommodate a *Baronio* (post *S. Gregorium Naz.*) dictum est: „Praeclarum est mentem historiarum cognitione instructam et refertam habere. Historia enim conglobata quaedam et coacervata sapientia est, hominumque multorum mens in unum collecta."

738. ***Coroll. 1.*** Ergo scientia illa, quam hodie historiam nuncupant, ex iis variarum scientiarum partibus coalescit, quae eventus praeteritos in vita hominum publica spectant. Unitatem suam haec trahit scientia non ex obiecto formali, sed ex obiecto materiali. Unde non inscite illi, qui non de scientia historica, sed de scientiis historicis dicunt.

[1] Cf. Histor.-polit. Blätter 96 (1885).

Coroll. 2. Sicut scientia, quae versatur in rebus naturalibus, duas quasi contignationes habet: alteram inferiorem, quae est scientia naturalis vi vocis restrictiore, superiorem alteram, quae est philosophia naturalis, ita etiam scientia, quae est de rebus historicis, altera est inferior, quae nomen historiae retinet, quae factis inquirendis et narrandis absolvitur, altera superior, quae res considerat secundum ideas haustas ex philosophia prima[1].

Neque mirum esse potest hanc nobiliorem partem apud populos christianos prius maiore cum doctrinae apparatu excultam esse quam illam inferiorem[2].

Coroll. 3. Ergo quattuor historico sunt proposita: 1° ut diligenter ex fontibus colligat, quae rem narrandam spectant; 2° ut accurate per artem criticam separet vera et certa a probabilibus, dubiis, aperte falsis; 3° ut nexum causalem, qui est inter eventus, acri ingenio investiget; 4° ut omnia ad veritatem exponat et narret.

739. ***Obi. 1.*** Videtur historia nullo modo habere rationem scientiae. Nam cognitio universe accepta dividitur in scientiam et notitiam historicam. Historiae id propositum est, ut narrentur eventus, qui olim acciderint, oratione soluta eo fere modo, quo id fit a poetis carmine. Et poetica legibus per scientiam stabilitis regitur, quibus historia vacua est. Quam ob rem *Aristotoles* in poetica reperiri potiorem rationem scientiae dixit quam in historia[3].

Resp. Non agitur causa illius historiae, quae facta narrat ex ore hominum atque describit[4], sed de illa, quae est organum inquisitionis ordinatae, quae igitur principia statuit, secundum quae de factis tem-

[1] Methodi inquisitionis historicae ab *Hegel* distinctae sunt tres: primitiva, reflectens, speculativa (die naive, reflektierende, spekulative Geschichtsbetrachtung). Sed melius distinguuntur empirica, critica, philosophica. Ex quibus empirica accurate narrat facta; critica in veritatem fontium historicorum inquirit; philosophica nexus factorum causales detegere studet et de vi et ratione factorum fert iudicium.

[2] „Artem ipsam historiae philosophicam magnus ecclesiae doctor *Augustinus* princeps omnium excogitavit, perfecit." *Leo XIII* in epist. data d. 18 m. Aug. 1883 (Leonis XIII Allocutiones, Epistolae, Constitutiones aliaque acta praecipua II, Brugis 1887, 27).

[3] Poet. c. 9 (1451 b 5).

[4] Occurrunt narrationes, in quibus non attenditur narrati eventus veritas, sed aptitudo tantum ad illustrandam veritatem aliunde certam: quae quidem non ad scientiam historicam spectant, „legendae" tamen sunt. „Una in his saluberrima regula retinenda est, ut, quae non sunt contra fidem neque contra bonos mores, et habent aliquid ad exhortationem vitae melioris, ubicumque institui videmus vel instituta agnoscimus, non solum non improbemus, sed etiam laudando et imitando sectemur, si aliquorum infirmitas non ita impedit, ut amplius detrimentum sit" (*Aug.*, Epist. 55 [119], 18, 34).

poris praeteriti inquirendum est, vel secundum quae haec facta ita sunt proponenda, ut non laedatur veritas; quae deinde his principiis utens facta particularia inquirit, et quae invenerit, lectoribus sive auditoribus proponit. Historicus igitur, modo munere suo recte fungi velit, non addit fictiones per phantasiam — id quod poetis relinquitur —, sed iudicia per rationem recte adhibitam [1].

Obi. 2. Scientia est cognitio certa et evidens. Sed inquisitioni historicae desunt media, quibus rerum historicarum veritas cum certitudine demonstrari possit. Accedit, ut paucissima ex iis quae eveniunt, attentionem hominum cieant. Si omnia recte et ex ordine apud homines aguntur, tacent, quiescunt; sin evenit calamitas, flagitium, omnes clamant, scriptitant. Si sescenti recte agunt, sepeliuntur silentio; si unus perverse, et dicto et scripto celebratur.

Resp. Vidimus historica instrumenta praesto esse, quibus effici possit, ut historia in iis versetur, quae revera evenerunt. Neque ad perfectionem historiae requiritur, ut sciantur omnia, quae utcumque ab hominibus tempore praeterito facta sunt. — Neque tamen sumus ii, qui negemus scientiam historiae esse imperfectam. Plurima sane, quae ad notitiam perfectam rerum historicarum requiruntur, nulla ratione nobis sunt tradita. Et verum est, inter ea quae contingunt, potius ea quae male perpetrantur, scripto consignari, quam quae sunt laudabilia. Quarum rerum omnium et similium prudens quisque historicus debitam rationem habebit.

740. ***Obi. 3.*** Vix ullum est factum temporis praeteriti, de quo tanta exstat testimoniorum copia, quanta ad certitudinem historicam requiritur.

Resp. Distinguere primo oportet inter certitudinem *absolutam* et *relativam*. De permultis quidem rebus historicis acquiri potest certitudo absoluta, cum numerus testimoniorum exstet, quae ad efficiendam certitudinem satis sint. Quis enim dubitet de exsistentia antiquae Graeciae vel Caesaris, sescentis aliis, quae per historiam ita certa sunt, ut accusaretur insaniae, qui de iis dubitare velit? Illud deinde meminisse iuvat, saepenumero accidere posse, ut propter multa argumenta probabilia, quae separata de re aliqua opinionem probabilem tantum efficiunt, nascatur argumentum certum, quo rem evenisse evidenter declaretur. Sed concedendum est, de permultis eventibus, quae narrantur in libris historicis, nos non posse habere nisi vel probabilitatem vel certitudinem relativam, i. e. certitudinem de convenientia inter narrationes praesentes et narrationes antiquas.

741. ***Obi. 4.*** Qui libros scriptos proferunt tamquam fontes certos notitiarum historicarum, meminerint his narrationibus non exhiberi res obiectivas, sed impressiones subiectivas. Narratio enim rei non est res

[1] Cf. *W. v. Humboldt*, Sprachphilos. Werke, ed. *Steinthal*, Berlin 1883, 121 sqq: Über die Aufgabe des Geschichtschreibers.

ipsa. Neque umquam fieri potest, ut quis rem gestam ita accurata narratione referat, sicut facta est. Praeterea veritatem historicam strangulat ut plurimum fabularum rumorumque laeta seges. Cum deinde historia nihil aliud esse debeat quam veritatis imago et rerum gestarum veluti tabula, quae in clarissima populi luce omnibus ad iudicandum proponitur, profecto praeiudicium historicorum plurimum de rebus gestis detrahit. Illud etiam non parum obest, quod plerique historici, cum rhetores aut philosophos agunt, filum abrumpunt propositae narrationis et legentium cognitiones ac memoriam alio distrahunt.

Resp. Magnopere est distinguendum inter *fontes*, ex quibus facta historica ipsa emanant, et *narrationes*, quibus intervenientibus nobis traduntur illa facta a scriptoribus disposita, digesta, exornata. Inter fontes ipsos sunt *instrumenta iuridica* cuiuscumque generis, *epistulae* coaevorum, quatenus iis horum iudicia, apprehensiones manifestantur, *sermones publici*, *monumenta litterarum*, in quibus resplendeat illius temporis ingenium, *monumenta* alius generis, ut sunt *legata* vel *testamenta*, *arma* aliaque vitae *instrumenta*, *sepulcra*, *aedificia*, *templa*, *pyramides*, *statuae*, *imagines*; quae res ipsae praedicant alicuius temporis mores, pietatem, artem, stultitiam. Et horum quidem fontium alii vim absolutam sibi vindicant, alii vim tantum relativam; vel unus fons habere potest una ratione vim absolutam, altera vim relativam. Neque ulla est rerum historicarum narratio, quae non *sub aliquo respectu* fontibus sit adnumeranda.

Sed multo maior cautio est adhibenda, cum agitur de narrationibus, quibus res gestae a scriptoribus ex industria compositae atque descriptae sunt.

Serventur, quae in thesi dicta sunt de authentia librorum et de auctoritate scriptoris diiudicanda.

742. ***Obi. 5.*** De rebus temporis remotioris solum certi fieri possumus, si nobis constare potest de authentia sive veritate documentorum ex antiquitate traditorum. *Atqui* numquam id fieri potest. Nam criteria, quibus cognoscamus, utrum documenta, quae ex antiquiore tempore supersunt, sint genuina necne, aliunde tracta esse non possunt nisi ex indole ipsorum documentorum. Sed ipsa auctoritas horum documentorum in quaestione versatur. Committitur *ergo* circulus vitiosus.

Resp. Sunt monumenta, quae ex se et natura sua demonstrant suam originem. Saepissime ex aliis testimoniis authentia comprobari potest. Quam ob rem adhibenda est inductio comparativa, adhibenda sunt momenta palaeographica, philologica, diplomatica.

Negari non potest documenta historica se habere ad facta particularia, quorum notitia inde hauriatur, ut principia ad conclusiones. Sicut igitur, qui conclusiones trahit ex principiis, ponit principia firma esse, ita qui ex documentis studet cognoscere facta, ponit documenta esse certa. Sicut autem in aliis scientiis principia saepissime probationis indigent, ita in historia ad efficiendam certitudinem absolutam omnino

necessarium est, ut probetur documentorum certitudo, quod qua ratione fieri possit, supra indicavimus.

743. ***Obi. 6.*** Scientia est de necessariis; *atqui* actiones humanae sunt liberae; *ergo* saltem de rebus gestis humanis nequit esse scientia.

Resp. *Dist. mai.:* Scientia pro obiecto materiali cognoscendo habet solum res necessarias et excludit actiones liberas, *nego mai.;* scientia non habetur, nisi res cognoscatur ex motivo, cum quo veritas necessario coniungitur, *conc. mai., conc. min. Dist. cons.:* Gesta humana libera non possunt certo cognosci, i. e. non possunt cognosci seu sciri ex motivo, quod necessario postulat ea esse gesta vera et facta, *nego cons.;* nulla scientia ostendit ea esse in se necessaria, *conc. cons.*

Inst. *Atqui* scientia dicitur esse cognitio ex causis; *iam vero* (admissa libertate) nequeunt actiones humanae ex causis cognosci; *ergo* historia non est scientia.

Resp. 1. *Dist. mai.:* Et quidem necessario est cognitio ex causis rei physicis et necessariis, *nego mai.;* ex causis veris, etiamsi fuerint morales vel liberae, *conc. mai. Contradist. min.:* Actiones liberae non possunt cognosci ex causis physicis et necessariis, *conc. min.;* ex nullis causis veris, *nego min., nego cons.* At revera ut habeatur vera *scientia* rerum gestarum humanarum, non sufficit nuda factorum notitia, sed requiritur, ut eorum conexiones et praesertim motiva cognoscantur. Perfectior etiam erit scientia, quo magis ex cognitis factis et eorum perspecta conexione *causa finalis* per providentiam divinam in decursu historico manifesta cognoscatur.

Resp. 2. *Omissa maiore et minore dist. cons.:* Non est aliquo vero sensu scientia, *nego cons.;* disputari potest, an sit scientia eodem strictu sensu quo v. g. metaphysica, physica, mathematica, *trans. cons.* Si consideratur id, in quod proxime et directe inquisitio historica tendit, scil. accurata et certa notitia factorum, historia saltem meretur laudem scientiae ex methodis scientificis suis; si vero ulterius progreditur ad inquisitionem causarum moralium (motivorum etc.) et causae finalis, participat et immo ascendit ad aliquam philosophiae partem. Quod hic in logica critica nobis per se sufficiat, illud est, fidem et auctoritatem esse verum fontem certae cognitionis.

§ 3. De fidei veritate obiectiva.

744. **Thesis 33.** **Fides et auctoritas est fons eiusdem generis veritatis theoreticae et obiectivae sicut fontes interni. Falsa igitur et absurda est Kantii distinctio inter rationem theoreticam et practicam, et similiter falsa est distinctio multorum modernorum inter veritatem fidei et scientiae (quae ad Kantii distinctionem ultimatim reducitur).**

Ad stat. quaest. 1. Ex dictis in thesibus de fide et auctoritate patet fidem et auctoritatem a reliquis fontibus non distingui

primario ex obiecto materiali cognoscendo, sed ex medio immediato, quo in cognitionem ducit mentem. In experientia et in scientia ipsi nostrarum propriarum facultatum applicatione sine interventu alienae cognitionis, scil. ex ipsa rerum observatione vel per analysim et comparationem idearum obiectivarum certam rerum notitiam haurimus; in fide autem mediante cognitione aliena per signa locutionis nobiscum communicata rem cognoscimus; attamen assensus mentis in veritatem etiam in fide est actus intellectus rem cognoscentis.

745. 2. Licet negari non possit praesertim fidem supernaturalem religiosam fines practicos respicere, non tamen ad hos restringitur, sed respicit etiam instructionem theoreticam et veritates speculativas; atque etiam in quantum ad fines practicos refertur, eos non aliter obtinere potest nisi mediante instructione intellectus theoretici seu per cognitionem veram.

3. Distinctio rationis seu intellectus in intellectum speculativum et practicum non est distinctio intrinseca et essentialis, sed extrinseca et accidentalis. a) Non est *intrinseca,* nam neque est alia et alia potentia, neque est alia et alia ratio activitatis potentiae circa obiectum; sed intellectus semper in se exprimit rei ideam et de rei veritate iudicat. b) Differentia est *extrinseca,* scil. *ex fine* ad quem actus cognoscitivus dirigitur. Intellectus dicitur speculativus, quatenus „quod apprehendit non ordinat ad aliquod opus, sed ad solam veritatis considerationem", et ideo finis intellectus speculativi est ipsa veritas, in cuius possessione quiescit; practicus vero intellectus dicitur, „qui hoc quod apprehendit ordinat ad opus" [1]. c) Differentia est *accidentalis,* nam essentia cognoscitiva est eadem; omnis actus intellectus est speculatio quaedam, i. e. contemplatio veritatis vel repraesentatio alicuius obiecti; aliquibus tamen obiectis nostrae cognitioni perviis accidit, ut possint esse etiam obiecta a nobis producibilia vel etiam producenda, et in his speculativa cognitio se extendere potest ad hunc finem practicum. Intellectus practicus igitur ex conceptu suo includit intellectum speculativum.

Dupliciter deinde intellectus practicus potest considerari, scil. formaliter, ut est rei faciendae seu operis cognitio, et ut in actu exsecutionis dirigit voluntatem et per ipsam facultates voluntati subditas. Priore modo consideratus eodem modo dicitur *verus* vel falsus, sicuti intellectus speculativus, altero modo consideratus dicitur *rectus* vel non rectus.

[1] *S. Thom.,* S. th. I, q. 79, a. 2.

746. 4. Hos conceptus *Kant* omnino mutavit et pervertit. Supra (n. 603) vidimus, qua ratione falso suo criticismo eo devenit, ut negaret nos ratione theoretica sive speculativa quidquam doceri de ipsis rebus a nostra mente non pendentibus. Theoretica cognitio secundum Kant haeret in subiectivismo et scepticismo. Nihilominus putat se ad fines practicos (ethicae) salvasse certitudinem per principium et postulata rationis practicae.

a) Dicit hominem in se invenire conscientiam obligationis moralis absolutae, quae ipsi obtruditur: imperativum categoricum; hanc autem obligationem supponere et postulare voluntatis libertatem, remunerationem in vita futura et ideo animae immortalitatem, beatitudinis obiectum et ideo exsistentiam Dei. Tria haec, libertatem, immortalitatem, Deum, dicit esse *postulata* rationis purae practicae. Dicit: „Postulatum intellego propositionem theoreticam ut talem quidem non demonstrabilem, quae tamen legi alicui practicae absoluti valoris necessario conectitur." [1] „Haec postulata non sunt theoretica dogmata, sed suppositiones (hypotheses, Voraussetzungen) secundum respectum practicum necessarium." [2]

747 b) Putant quidem aliqui, Kantium ita revera *realem et rerum certitudinem* de istis veritatibus admittere, simili forte modo, quo nos ex exsistentia legis moralis concludimus ad exsistentiam Dei summi legislatoris; passim enim repetit rationem practicam „ideis rationis speculativae generatim (mediante eorum respectu ad practicam) *obiectivam realitatem* tribuere" [3]: rationem practicam „*postulare* eorum obiectorum rationis purae speculativae possibilitatem, obiectivam realitatem", „quia ratio practica eorum exsistentiam exigat necessario ad hoc, ut ipsius (scil. rationis practicae) obiectum practice absolute necessarium, summum scil. bonum, possibile sit" [4]; „per practica postulata illis ideis *obiecta tribui* et

---

[1] „ein **Postulat** der reinen praktischen Vernunft (worunter ich einen *theoretischen*, als solchen aber nicht erweislichen Satz verstehe, sofern er einem a priori unbedingt geltenden *praktischen* Gesetze unzertrennlich anhängt)" (Werke V 122).

[2] „Diese Postulate sind nicht theoretische Dogmata, sondern *Voraussetzungen* in notwendig praktischer Rücksicht, erweitern also zwar nicht das spekulative Erkenntnis" ... (V 132).

[3] „[Die Postulate] geben aber den Ideen der spekulativen Vernunft im *allgemeinen* (vermittelst ihrer Beziehung aufs Praktische) objektive Realität und berechtigen sie zu Begriffen, deren Möglichkeit auch nur zu behaupten sie sich sonst nicht anmaßen könnte" (V 132).

[4] „Also wird durchs praktische Gesetz, welches die Exsistenz des höchsten in einer Welt möglichen Guts gebietet, die Möglichkeit jener Objekte der reinen spekulativen Vernunft, die objektive Realität, welche diese ihnen nicht sichern konnte, postuliert: wodurch denn die theoretische Vernunft allerdings einen Zuwachs bekommt, der aber bloß darin besteht, daß jene für sie sonst problematische (bloß denkbare) Begriffe jetzt assertorisch für solche erklärt werden, denen wirklich Objekte zukommen, weil praktische Vernunft die Ex-

ita ideam mere problematicam primo accipere obiectivam realitatem"; „rationem theoreticam ita necessitari ad concedendum, talia dari (esse vel exsistere?) obiecta" [1]. Quae ex paucis paginis collecta pulchre quidem sonant ad suadendum cognitionem theoreticam certam. Sed iisdem prorsus paginis etiam serio monet Kant ita: cognitio nostra per rationem practicam „*solum* ad finem practicum" augetur, nam „augmentum istud rationis theoreticae non est augmentum speculationis, i. e. cognitionis aptae ad usum positivum theoreticum (in theoretischer Absicht)"; „minime iuvat ad finem speculativum" [2]. Etiam post practica postulata admissa „non possum assignare, quomodo isti conceptus referantur ad obiectum aliquod, nam non potest quidquam de iis synthetice iudicari neque eorum applicatio theoretice determinari, et ideo ad nullum usum theoreticum rationis adhiberi possunt" [3]. — Sane ita omnis theoretica certitudo iterum excluditur, et nisi Kant totum suum systema criticae rationis purae destruere velit, ab ipso excludi debet.

748. c) Id etiam ex iis elucet, quae de *actu assensus* ex ratione practica docet [4]. Antea statuit primatum rationis purae practicae in coniunctione cum ratione speculativa [5], et docuit rationem practicam nullatenus restringi ad ea tantum admittenda, quae ratio speculativa ex sua cognitione ipsi praebere valeat, sed eam habere propria primitiva principia a priori, cum quibus theoreticae quaedam positiones inseparabiliter coniungantur, quae tamen omnino non possint perspici a ratione speculativa. Eam doctrinam nunc complet ita, ut dicat rationem speculativam solum ducere ad hypotheses, rationem autem practicam ad *postulata* [6].

sistenz derselben . . . unvermeidlich bedarf und die theoretische dadurch berechtigt wird, sie vorauszusetzen" (V 134).

[1] „daß durch die praktischen Postulate jenen Ideen doch *Objekte gegeben* wurden, indem ein bloß problematischer Gedanke dadurch allererst objektive Realität bekam"; „eine Erweiterung der theoretischen Vernunft . . ., sofern als sie genötigt wurde, *daß es solche Gegenstände gebe,* einzuräumen" (V 135).

[2] „aber *nur in praktischer Absicht*" (V 133). „Diese Erweiterung der theoretischen Vernunft ist aber keine Erweiterung der Spekulation, d. i. um *in theoretischer Absicht* nunmehr einen positiven Gebrauch davon zu machen. . . . Folglich hilft uns diese Eröffnung nicht im mindesten in spekulativer Absicht" (V 134).

[3] „Wir werden durch jenes (ein apodiktisches praktisches Gesetz) angewiesen, *daß sie* [die drei Ideen] *Objekte haben,* ohne doch, wie sich ihr Begriff auf ein Objekt bezieht, anzeigen zu können, und das ist auch noch nicht Erkenntnis *dieser Objekte;* denn man kann dadurch gar nichts über sie synthetisch urteilen, noch die Anwendung derselben theoretisch bestimmen, mithin von ihnen gar keinen theoretischen Gebrauch der Vernunft machen, als worin eigentlich alle spekulative Erkenntnis derselben besteht" (V 135).

[4] Vom Fürwahrhalten aus einem Bedürfnisse der reinen Vernunft (V 142).

[5] Von dem Primat der reinen praktischen Vernunft in ihrer Verbindung mit der spekulativen (V 119 sq).

[6] „Ein Bedürfnis der reinen Vernunft in ihrem spekulativen Gebrauch führt nur auf Hypothesen, das der reinen praktischen Vernunft aber zu Postulaten" (V 142).

Pro ratione theoretica igitur idea Dei non est nisi idea suppositiva, qua iuvante cognitio in unitatem reducatur; ratio practica postulat existentiam Dei „ex obligatione aliquid (summum bonum) faciendi obiectum voluntatis meae, ut illud ex omnibus meis viribus promoveam; ... fundatur haec obligatio in lege morali apodictice certa, quae nullo indiget fundamento theoretico“ [1]. Quare „iustus bene dicere potest: *volo* esse Deum ... insisto, neque hanc fidem mihi eripere permitto“ [2]. Ratio igitur ob rationes practicas et ad fines practicos Deum admittit *fide rationis practica* (reiner praktischer Vernunftglaube) [3]. Cum his cohaeret, quod dicit ideam Dei non ad physicam et minus ad metaphysicam, sed ad ethicam pertinere [4].

Postulat quidem et compluriens monet, ea quae ita a ratione practica per fidem rationalem admittantur, saltem theoreticae rationi possibilia seu non repugnantia esse debere.

Quo autem iure id secundum suum systema postulet, non satis intellegitur; nam admittere ut certum, quod ut certum cognosci nequit, est iam admittere repugnantiam; quare mirum non est alios, qui fidem et scientiam ita separant ut Kant, scil. ut veritas theoretica pro ratione practica non requiratur, sine scrupulo cum Pomponatio et Luthero concedere, posse aliquid pro fide et theologia verum et simul pro scientia et philosophia falsum et absurdum esse [5].

749. 5. Sicuti Kant rationi theoreticae opposuit rationem practicam, quae non cognoscit sed postulat obiecta, ita alii multi cognitioni theoreticae seu speculativae opponunt fidem, ita ut prorsus alia sit veritas quae sit obiectum scientiae, et alia veritas fidei. In fide non requirunt conformitatem cum re obiectiva, sed cum statu et necessitatibus subiectivis et cum fine, scil. motione ad bonum actum. Istum subiectivismum ad omnem veritatem etiam non religiosam alii extendunt.

Jacobi (1743—1819) vituperat quidem Kant nec vult admittere aliquid propter merum respectum practicum, sed fidei rationis a Kant statutae ipse substituit fidem aeque subiectivam et vanam; etiam ipse censet nulla demonstratione cognosci Deum supramundanum, sed vult eum

---

[1] „Dagegen ist ein Bedürfnis der reinen *praktischen* Vernunft auf einer *Pflicht* gegründet, etwas (das höchste Gut) zum Gegenstande meines Willens zu machen, um es nach allen meinen Kräften zu befördern. ... Diese Pflicht gründet sich auf einem von diesen Voraussetzungen ganz unabhängigen, für sich selbst apodiktisch gewissen, nämlich dem moralischen Gesetze und ist sofern keiner anderweitigen Unterstützung durch theoretische Meinung von der inneren Beschaffenheit der Dinge ... bedürftig“ (V 142 sq).

[2] Es „darf der Rechtschaffene wohl sagen: ich *will*, daß ein Gott ..., daß meine Dauer endlos sei, ich beharre darauf und lasse mir diesen Glauben nicht nehmen“ (V 143).

[3] V 146. [4] V 138.

[5] Cf. *Cathrein*, Glauben und Wissen[5] 35.

cognosci per immediatam aliquam persuasionem cordis: „Lux est in corde meo, sed quamprimum eam lucem in intellectum inferre conor, exstinguitur"; ideo se vocat paganum intellectu, corde (Gemüt) christianum.

Similiter *Schleiermacher* (1768—1834)[1] separat scientiam et fidem, quae est affectio. *Albrecht Ritschl* (1822—1889)[2] persuasionem fidei ponit in experientia practica eius valoris relativi ad nos (Erlebnis), et ideo „ideam Dei, ut notat Kant, admittimus fide practica, non autem actu cognitionis theoreticae". Cum impossibile sit omnes enumerare, sufficiat breviter exponere sententiam *Ottonis Pfleiderer*[3].

Postquam pro ipsa scientia theoretica humana omnem veritatem et certitudinem absolutam negavit et etiam quoad ipsas res absolutum transformismum et evolutionismum statuit, certitudinem etiam fidei subiectivam declarat; in qua nulla ratione quaeritur de theoretica rei creditae veritate, sed de solo valore motivo ad agendum: „in scientia quidem logice cogitando ab uno ad alterum proceditur", in religione autem obiectum non cogitando quaeritur, sed audaci fiducia cordis postulatur secundum exigentiam cordis. „Non scientificae reflexioni, sed intuitioni artificiosae proxime affinis est productio religiosa idearum; in utraque enim organum producens est phantasia libere creans, quae legibus logicae non ligata sibi ideas construit." — Attamen a productiva phantasiae activitate poesis essentialiter differt phantasia activa religiosa eo, quod poeta sibi conscius manet se libere producere, et ideo fictioni suae non attribuit valorem obiectivum; in fide autem (ut asserit *Pfleiderer*) activitas productiva phantasiae adeo spontanea est, ut arbitraria natura productionis conscientiam fugiat, et quae producuntur seu finguntur, se ut vere et obiective realia menti sistant. Generatim qui ita phantasia agunt, pro insanis ab omnibus habentur.

6. Contra hos errores statuimus: 1° fidem esse actum cognitionis veritatis obiectivae; 2° kantianam distinctionem ut absurdam reicimus, in qua refutatione hic non omnes errores, qui in critica rationis practicae Kantii insunt, sed solum errorem principalem logicum attendimus; 3° reicimus omnem similem divisionem et separationem fidei a scientia.

750. Pars I. Fides et auctoritas est fons eiusdem generis veritatis theoreticae et obiectivae veritatis sicut fontes interni.

Argumentum *(ex analysi conceptus fidei ab omnibus admissi).* Sive sensu latiore fides sumatur pro opinione, sive stricte pro assensu praestito ob auctoritatem testis, immo si audimus Kantium vel alios adversarios de fide loqui, omnes semper loquuntur de *veritate* aliqua admittenda; *atqui* verum omne vel est veritas theo-

[1] Cf. *Cathrein,* Glauben und Wissen[5] 41 sq. [2] Ibid. 45.

[3] Religionsphilosophie auf geschichtlicher Grundlage. Cf. Stimmen aus Maria-Laach 48 (1895) 25 sq. Similem doctrinam ut Pfleiderer tradunt *Paulsen* et alii, de quibus cf. *Cathrein* l. c. et *Donat,* Die Freiheit der Wissenschaft[2] (1911).

retica vel eam includit, et ideo circa verum admittendum non potest versari facultas aliqua, quae non sit vel ipsa facultas speculativa vel cum ipsa ita conexa, ut ad suos actus circa verum actus cognoscitivi concurrant; *ergo* fides necessario idem genus veritatis theoreticae et obiectivae respicit, quod cognoscitur fontibus internis.

Ad mai. Ipse *Kant* postulata sua practica non potest non agnoscere ut positiones *theoreticas* (licet dicat eas ad practicam tantum admittendas). Similiter omnes.

Ad min. 1. Verum omne vel est veritas theoretica vel eam includit. Quid enim significare potest veritas practica nisi aliquid, quod ad finem aliquem (sane verum) vere conducere possit, quia vere tale *est*, ut ei obtinendo vel efficiendo proportionatum sit. Ratio *practici* aliquam relationem quidem addit ultra meram veritatem theoreticam, sed hanc necessario supponit, ita ut verum practicum, quod non sit theoreticum, sit contradictio (est machina immobilis, vita mortua).

751. 2. Quoad *facultatem* sermo esse non potest nisi de intellectu et de voluntate. Iam vero voluntas non potest velle nisi quod ipsi ab intellectu proponitur et ab intellectu cognoscitur. Potest quidem voluntas multum desiderare, ut aliquid sit verum vel non sit verum, potest amare verum vel etiam odio habere, sed verum a mente clare ut tale cognitum nequit removere. Potest voluntas in rebus non evidentibus intellectum inclinare ad admittendam opinionem, sed etiam ad hoc requiritur, ut ista opinio intellectui saltem ut aliquatenus probabilis appareat. Denique potest voluntas intellectum movere ad considerandas accuratius vel fere unice rationes, quae suadeant opinionem desideratam vel dissuadeant ingratam.

Sed *numquam potest* voluntas reddere menti ut verum, quod non ipsi menti se aliqua ratione ut verum suadeat.

Ut voluntas recte agat, ipsa debet secundum dictamen rationis *cognoscitivae* agere. Ita recte agit voluntas impellendo intellectum, ut veritatem a teste fide digno admittat assensu firmo secundum gradum dignitatis seu auctoritatis testimonii, et ideo si agitur de testimonio divino, assensu firmitatis adhaesivae super omnia, qui igitur excedat firmitatem praeviae cognitionis de facto testimonii. Hoc recte fit; sed ideo id recte fit, quia etiam hoc voluntatis imperium nititur in iudicio vero rationis theoreticae de infinita dignitate et credibilitate (scientia et veracitate) testis, scil. Dei.

Nulla igitur veritas practica esse potest, quae non sit simul veritas theoretica, neque admitti potest nisi per intellectum speculativum, et ita probata est prima pars thesis.

752. Pars II. Falsa et absurda est Kantii distinctio inter rationem theoreticam et practicam, ideoque omnino reicienda ipsius fides practica rationis.

Arg. 1 *(ex falso fundamento negativo).* Fundamentum doctrinae de fide practica Kant ipse dicit esse criticam suam rationis purae; in praefatione ad alteram editionem declarat, ne assertionem quidem practicam Dei, libertatis, immortalitatis possibilem esse. nisi prius ratio dedoceatur illusionem suam et agnoscat, se eas ideas theoretice nullo modo ut reales posse demonstrare; „removenda erat scientia, ut via aperiretur fidei“ [1]. *Atqui* destructa certitudine theoretica Kant fidem rationalem non reddidit possibilem. sed omnino impossibilem, quia ita nihil remanet nisi caecus assensus ex voluntate obstinata. *Ergo* Kantii fides rationis practicae non est obsequium rationale, sed absurditas.

Confirmatur. Quam impossibile sit voluntati aliquid *postulare.* luculenter ostenditur etiam ex eo, quod Kant multiplici ratiocinatione et deductione fundamentum reale et metaphysicum ipsis suis postulatis adstruere nititur; sed in vanum, nam etiam positivum fundamentum doctrinae Kantii implicat.

753. Arg. 2 *(ex vano fundamento positivo).* Doctrinam totam suae fidei rationis practicae et tria primaria postulata Kant fundat in lege morali absoluta (imperativo categorico); *atqui* Kant sine aperta contradictione nulla ratione potest istam legem seu istum imperativum adstruere; *ergo* tota doctrina fidei rationis practicae caret necessario fundamento positivo.

Ad mai. „Postulata rationis practicae omnia procedunt a principio moralitatis, quod principium non est postulatum, sed lex. per quam ratio immediate voluntatem determinat; deinde voluntas ita determinata quae ad legem servandam requiruntur, *postulat.*“ [2]

Ad min. Aut Kant *principium* illud seu legem moralitatis doceri dicit per rationem practicam aut per rationem theoreticam; *atqui* neutrum statuere potest.

1. *Non per rationem practicam;* nam huius non est docere. sed postulare; omnia autem postulata rationis practicae secundum Kant legem illam praerequirunt et ex ipsa fluunt.

---

[1] „Ich mußte also das *Wissen* aufheben, um zum *Glauben* Platz zu bekommen“ (III 19).

[2] „Sie [die Postulate der reinen praktischen Vernunft] gehen alle vom Grundsatz der Moralität aus, der kein Postulat, sondern ein Gesetz ist, durch welches Vernunft unmittelbar den Willen bestimmt, welcher Wille eben dadurch, daß er so bestimmt ist, als reiner Wille, diese notwendigen Bedingungen seiner Vorschrift fordert“ (VI 132).

2. *Non per rationem theoreticam;* nam lex ista utpote necessaria et universalis secundum Kant neque ex experientia neque ex ratione theoretica ut obiective valida cognosci potest, sed est iudicium syntheticum a priori ideoque subiectivum. Ipse etiam, licet multis explicare conetur, qua ratione esse possit talis imperativus categoricus, desperat dicens omnem conatum et laborem perdere, qui tentaverit id explicare, cum ad id omnis humana ratio omnino impotens sit[1]. Simpliciter itaque asserit imperativum categoricum esse factum, legem moralem cum absoluta vi nobis se obtrudere. Igitur tota res pendet in aëre.

754. Arg. 3 *(ex conceptu contradictorio postulati kantiani).* „Postulatum", inquit Kant „intellego propositionem theoreticam, quae ut talis quidem nequit demonstrari, quae tamen legi practicae absoluti valoris necessario coniungitur" (supra p. 561 nota 1); aliis verbis, est veritas seu propositio in se seu quoad id quod dicit et asserit theoretica, quae nequit theoretice certo cognosci, quae tamen ut talis ad usum practicum necessaria est et ideo a ratione practica postulatur et admittitur. *Atqui* talis conceptus postulati repugnat tum quoad ortum suum tum quoad intrinsecam constitutionem et finem. *Ergo* conceptus postulati kantiani ut absurdus reiciendus est.

Prob. min. 1. *Repugnat quoad ortum.* Aut caece admittitur aut per cognitionem; iam vero utrumque implicat.

a) *Non caece.* Potest quidem res naturalis intrinseca sua natura ita constitui, ut viribus suis tendat in finem seu statum suae naturae connaturalem. Ita res corporeae vi attractiva et inertiae tendunt in statum quietis seu aequilibrii. At postulata, de quibus hic agitur, secundum suam materiam et secundum ipsius Kantii expressam definitionem sunt propositiones theoreticae seu veritates; tales autem non possunt esse obiectum alicuius tendentiae caecae, sed solum tendentiae rationalis, seu mediante cognitione vera speculativa.

b) *Neque per cognitionem.* Hoc enim Kant ipse excludit. Conatur quidem Kant per multiplicem logicam deductionem ista tria postulata ut necessaria demonstrare. Aut igitur praemissam, scil. legem universalem moralitatis (principium) admittit ut obiective et speculative veram, et tunc etiam conclusioni, quam logice inde deducit, eandem veritatem tribuere debet; aut negat vel dubiam relinquit theoreticam veritatem praemissae, et tunc labor totus

[1] „Und so begreifen wir zwar nicht die praktische unbedingte Notwendigkeit des moralischen Imperativs, wir begreifen aber doch seine *Unbegreiflichkeit*" (Grundlegung zur Metaphysik der Sitten: IV 463).

istius deductionis est superfluus, vanus et inutilis, ex quo nimirum neque theoreticum neque practicum quid consequitur.

2. Repugnat postulatum kantianum *intrinsecus et secundum finem suum internum;* nam ex fine practico aliquam propositionem theoreticam vel quidquam demum postulare, pro omni ratione et mente sana in conceptu suo involvit, ut id quod ita postuletur, sit et cognoscatur ut in se verum, ut ad finem obtinendum requisitum et aptum. *Atqui* secundum Kant nequit ratio certo scire, sitne revera Deus, libertas, immortalitas; a fortiori non certe scit suo desiderio vel postulatione vel quasi imperio ea acquirere ullam realitatem, quam non ex se habeant, sed potius homo vere scit se voluntate sua nihil hac in re posse. *Ergo* totum postulatum est absurdum.

755. Pars III. Similiter reiciendus est omnis conceptus fidei, qui neglegit rei creditae theoreticam veritatem.

Haec pars positive demonstrata est per argumentum partis primae. Quare hoc loco addo solum

Argumentum *ex absurdis sequelis.*

1. *Destruitur omnis tum scientia tum fides rationalis (humana et divina).*

a) Destruitur *scientia;* nam corrumpitur intellectus. Intellectus, qui revera sensum superat, necessario se extendit saltem ad omnia obiecta, quae naturam et facultates humanas non excedunt et superant; iam vero error adversariorum intellectum sine ulla ratione et modo prorsus impossibili limitat, et partem veritatum theoreticarum facultati alicui alii non intellectivae attribuit; quod sanae rationi contradicit.

b) Destruitur *fides rationalis;* nam secundum adversarios fides est aut in corde (ut ait *Jacobi*) vel „in motu quodam cordis, qui sensus dicitur", vel „in sensu quodam intimo", innititur in indigentia quadam, quae primo infra conscientiam latet (subconscientia)[1], aut in phantasia *(Pfleiderer)* aut in voluntate eaque non ratione theoretica illuminata. *Atqui* talis fides est caeca, variabilis, brevi nullius valoris theoretici aut practici, et cadit infra motus vitae sensitivae naturalis ordinatae. — *Lux cordis (Jacobi), quae exstinguitur, quamprimum accedit intellectus,* non est lux. *Fides* autem, quae indifferens sit ad rei creditae veritatem et falsitatem, sanae rationi contradicit et ridicula est ideoque certe neque apta ad *pacem* inter scientiam et fidem (religionem) firmandam.

[1] Ita modernistae; cf. Encyclicam „Pascendi dominici gregis".

c) *Pax enim inter scientiam et fidem non esse potest nisi in una eademque veritate.* Per distinctionem istam et separationem non scientiae conciliatur fides, sed fides aut moritur aut cum logica inconsequentia sustinetur, et in difficultatibus orietur pugna vel sequitur desperatio scepticismi.

2. *Destruitur vera moralitas humana;* nam tollitur tum norma *obiectiva* tum norma *subiectiva* vera et unice possibilis moralitatis. Moralitas enim obiective consistere nequit in respectu mere pragmatico ad quamlibet utilitatem neque in caeco et autonomo imperio legis, sed consistere potest unice in conformitate cum natura rationali; norma autem subiectiva est conscientia, quae postulat iudicium rationis de honestate actionis[1].

756. ***Coroll.*** Ergo iam ex sana philosophia constat, quam falsa et absurda sit prop. 26 modernistarum (Decr. Pii X „Lamentabili sane"): „Dogmata fidei retinenda sunt tantummodo iuxta sensum practicum, id est tamquam norma praeceptiva agendi, non vero tamquam norma credendi."[2] Error, quem thesi impugnavimus, inter vere catholicos auctores impossibilis est; neque invenitur nisi in quantum plus minusve incaute errores ex auctoribus non catholicis irrepere permittuntur.

757. ***Scholion.*** Totus error hac thesi refutatus iam invenitur et in tota sua falsitate manifestatur in doctrina *Lutheri.* Inest error in doctrina omnino fundamentali Lutheri de iustificatione per fidem fiducialem, qua vult hominem fortiter credere se esse iustum et ideo certo salvum et salvandum. Haec fides non potest esse ex cognitione ulla theoretica; neque enim lumine rationis naturali neque ex revelatione divina nobis constare certo potest, neque ad hos fontes Luther recurrit.

Vera religio omnino certo docet, Deum velle sincere, ut omnes homines salvi fiant, neminem perire nisi ex propria culpa gravi, omnibus gratiam vere sufficientem offerri, omnes firmiter gratiam et salutem sperare debere neque spem recte exercitam confundere. Sed eadem vera religione docemur nos cum timore salutem nostram operari debere, neque sine speciali aliqua revelatione quemquam absolute certum esse de sua iustitia et perseverantia salutari. Potest et debet intellectus firmiter credere, quae Deus omniscius et verax revelare dignatus est, et cum gratia bona voluntas potest constanter observare, quae praecepit. Sed qua ratione quis fidem istam fiducialem Lutheri in se producere valebit? Ipse Luther.

[1] Cf. *Cathrein,* Philos. mor.[8] n. 134 sq 137 sq 249 sq.

[2] Cf. *J. Beßmer,* Philosophie und Theologie des Modernismus (1912) 285 sq.

qui tantopere in absoluta necessitate istius fidei a se inventae institit et eam unicum praeceptum verum pro iustis esse voluit, omni conatu per vitam suam se exercebat, ut istam fidem sibi acquireret et persuaderet et in se confirmaret; at licet exercitio vere gymnastico autosuggestionis talem ad tempus in mente sua persuasionem produxisset, immo se a Deo suae salutis certum reddi aliquando putasset, tamen magis magisque eam fidem agnovit difficillimam et vix ac ne vix quidem homini possibilem[1].

Atque in hoc quidem non fefellit Lutherum tristis sua experientia, nam fides talis revera impossibilis est. Non est in potestate hominis, veritatem creare seu efficere ad suum placitum; ratio nostra non potest firmiter quiescere in veritate alia nisi in ea, quam aut experientia aut ratione perspexit, aut quam per fidem accepit ab auctoritate, quae se intellectui legitimam ostendit. Et sicut credere rationabiliter et firmiter non possumus nisi auctoritati verae, ita etiam nulla obligatio vera, nulla moralitas consistere potest in mero imperativo, sed fundari debet in veritate per intellectum cognita.

CAPUT IV.

De fontium necessaria ad cognitionem humanam distinctione et coniunctione.

758. **Capitis conexio cum prioribus.** Reiecto in disputatione prima scepticismo universali et certitudine generatim in tuto posita, huius secundae disputationis finem et scopum esse diximus, ut vis singulorum fontium cognitionis humanae accuratius declaretur et hac reflexa attentione in singulos fontes adhibita evidentius etiam ostendatur certitudinis humanae solidus valor. Postquam tribus prioribus huius disputationis capitibus singulos fontes in suo quoque obiecto proprio referendo veraces esse cognovimus, eorum inter se relationem, distinctionem, coniunctionem considerare debemus. Neglecta enim *distinctione* necessario oritur confusio; cum enim quae de uno tantum fonte valent, de cognitione generatim affirmantur vel negantur, fieri non potest, ut vel limitatio vel amplitudo totius cognitionis ultra limites extendatur. Qui vero non solum distinguunt, sed *separant* fontes et uni alicui soli, neglectis aliis, nimium tribuunt, ii in pessimos errores incidunt et ipsam scientiam humanam corruptioni et despectui tradunt. *Distinguendi* quidem, sed *coniungendi* sunt.

[1] Quae omnia abunde tradita habes in opere: *Grisar*, Luther; cf. indicem ad „Glaube", „Heil" etc.

759. **Thesis 34.** **In ipsa natura humana et singulorum fontium proprio obiecto et munere fundatur fontium necessaria ad cognitionem humanam distinctio et coniunctio, ex cuius neglectu pessimi oriuntur errores.**

Ad stat. quaest. 1. Sicuti in tota logica, ita etiam hic de cognitione humana, i. e. de cognitione intellectiva hominis agitur. Uti enim iam saepius monuimus, cognitio sensitiva eatenus tantum pertinet ad obiectum logicae, quatenus ad hominis cognitionem intellectivam ordinatur eique inservit. Igitur non id nunc agimus, ut ostendamus in homine revera adesse, distingui, coniungi tum sensum tum intellectum tum fidem, sed ostendimus, qua ratione in ipsa cognitione intellectuali nostra fontes isti probe inter se sint distinguendi et coniungendi.

2. Thesim claritatis causa dividimus in partes tres; parte prima ostendimus in ipsa natura humana eam fontium distinctionem et coniunctionem fundari; parte altera idem petimus ex fontium obiecto proprio et munere; tertia tandem parte eandem veritatem comprobamus ex consideratione errorum, qui ea neglecta necessario oriuntur.

760. **Pars I. Fontium distinctio et coniunctio in ipsa natura humana fundatur.**

Probatur: Homo est *animal rationale.* Non psychologiam scientifice iam tractatam, sed ea sola supponimus, quae quisque facile novit et naturaliter perspecta habet. Unusquisque autem novit se esse ens unum, corporeum, vivum, sensitivum, cogitans et volens. Dixi: homo est animal rationale; non tamen est coniunctio alicuius animalis bruti cum aliquo ente spirituali, quod in ipso insit sicut eques in equo, sed homo se percipit ut ens vivum stricte unum. Ipsa igitur anima spiritualis et intellectiva ex natura sua talis est, ut unione sua cum corpore sit vitae etiam sensitivae principium, et ut haec unio, quia est naturalis, vitae quoque intellectivae animae conveniat.

Ex natura hominis ut animalis rationalis tria haec sequuntur:

1. Ex natura hominis ut *animalis* rationalis consequitur, ut intellectus noster, licet pro sua natura spirituali ultra ordinem sensibilium rerum se extendat et elevet, tamen vero aliquo modo ad cognitiones suas acquirendas a sensu adiuvetur et ea quae ex sensibus hauriri possunt, ex ipsis primo et non aliter accipiat.

Id revera ita esse, ex reflexione in experientiam et cognitionis progressum omnino comprobatur.

Intellectus noster, ab initio omnis cognitionis expers, ad activitatem non excitatur nisi prius excitato sensu, et omnes suas

primitivas ideas ex obiectis sensu perceptis abstrahit, neque ullius obiecti externi et ab ipso subiecto distincti exsistentiam immediate percipit sine sensus externi interventu. Attamen in ipsa hac externa experientia non solus sensus, sed intellectus cum sensu agit. Sicut enim in animalibus saltem perfectioribus et in nobis sensus internus cum sensu externo coniunctus tum sensus externi affectionem tum obiectum percipit, ita in nobis cum sensus activitate naturaliter coniungitur actus intellectus. Si puer videt aliquod extensum caeruleum, non solum oculus, sed intellectus quoque illud extensum caeruleum ut praesens apprehendit.

Ex hac vero *naturali* cum sensu coniunctione oritur ea dependentia intellectus humani, qua omnis cognitio, quae sensu mediante hauriri possit, revera etiam a sensu hauriatur.

761. 2. Ex perfectione autem hominis ut animalis *rationalis* provenit, ut habeat fontem sibi naturalem cognitionum, quae sensum superant. Hunc fontem constituunt *ideae*, ex quarum analysi cognoscit universalia et suprasensibilia; atque applicatis veritatibus universalibus ad ipsa obiecta per experientiam cognita novas conclusiones de ipso ordine exsistente ducimus.

3. Homo ut animal rationale est eo ipso naturaliter ens *sociale*; atque non solum infantes ab aliis instrui debent, sed generatim cognitio humana multum iuvatur et crescit per mutuam communicationem eorum, quae singuli cognoverunt; id quod fit per fontem tertium, *auctoritatem*.

In ipsa igitur hominis natura fundatur distinctio et coniunctio diversorum fontium cognitionis. Quod comprobatur consideratis obiectis singulorum fontium.

762. **Pars II. Singuli fontes, licet suum quisque habeat obiectum proprium, tamen se invicem necessario complent ad cognitionem humanam.**

1. **Suum quisque habet obiectum proprium.**

a) **Obiectum proprium fontis primi, experientiae.** Experientia subiective spectata intellegitur immediata obiecti alicuius praesentis perceptio. Prout obiectum se manifestat ut cognoscenti externum aut internum, experientia ipsa dicitur externa aut interna.

Sensus externus in statu normali ad actum non excitatur et determinatur nisi ab obiecto proportionato externo, quod actu sit praesens. Imperfectio enim sensus externi est, quod ad angustum obiectorum ambitum, v. g. ad extensum coloratum, actu praesens restringitur; perfectio vero sensus est in eo, quod sit

medium, sine quo numquam immediate res externa exsistere a nobis percipiatur.

Sensus internus ut sensus *communis* omnium sensuum externorum simultaneas perceptiones earumque obiecta coniungit; et ut *memoria* cognitiones habitualiter retinere et resuscitare et resuscitatas recognoscere potest. Utrumque, et quidem gradu essentialiter altiore, valet de *intellectu* humano. Itaque per sensum internum et intellectum ipsa experientia externa non quidem ampliatur ad nova obiecta, attamen intensive valde perficitur.

763. Ampliatur autem obiective cognitio nostra per experientiam *internam,* et quidem per sensum internum extenditur ad affectiones subiectivas sensibiles: dolorem, voluptatem, famem etc., per intellectum ad ipsos actus intellectus et voluntatis, in quibus etiam ipsum subiectum ut exsistens cognoscitur. His quoad rem ambitum obiectorum immediatae experientiae descripsimus.

Potest quidem tum sensus internus ut *phantasia* tum *intellectus* elementa ex experientia hausta variis modis combinare et ita formare imagines et conceptiones rerum independenter ab eius combinatae rei exsistentia. Sic formare possumus phantasmata vel conceptus entium possibilium, quae ut talia forte nullibi et nusquam exsistunt. Ita vero per se non pervenitur ad cognitionem rei exsistentis.

Ex dictis patet nos vi experientiae, qua vere quidem cognoscimus res exsistentes, non posse obtinere nisi iudicia particularia et contingentia. Non excluduntur quidem syntheses concretae (n. 563 sq) neque aliqua universalitas restricta. Ita unico aspectu cognosci potest omnes oves gregis visi praeter unam nigram esse albas. Et intellectus innixus experientiae potest facere illationes immediatas, quae innituntur in aequipollentia propositionum particularium. Sed ad iudicia vere universalia et ad conclusiones proprie dictas sola experientia nullo modo sufficit.

764. b) **Obiectum proprium secundi fontis, idearum,** est uberrimum; sed brevius explicatur. Haurit intellectus noster ideas suas primitivas ex experientia. In ipsis rebus creatis realiter omnia elementa communissima omnium idearum inveniuntur. Ita in omni ente vere et realiter inest ratio entis; in rebus invenitur substantia, accidens, quantitas, qualitas, relatio, successio, motus, actio, passio. Quae omnia in rebus quidem insunt concrete et singulariter, sed vere insunt. Intellectus autem non solum ut sensus concreta percipit, sed cum habeat vim abstractivam, syntheses quoque omnes analysi subicere et mentaliter praescindere potest usque ad elementa logice et metaphysice simplicia. Ea

praecisione non efficit seu producit intellectus ullius ideae simplex aliquod elementum, sed ea quae sunt penetrat, et ideo istae ideae non sunt lusus subiecti neque formae inanes, sed sunt valoris obiectivi; atque eiusdem valoris obiectivi sunt omnes relationes, quas inter istas ideas obiectivas intellectus vel immediata duarum comparatione vel adiumento alicuius tertiae ideae per ratiocinium detegit. Et quia istae relationes non ex contingenti synthesi per experientiam, sed ex ipsa interna notione seu essentia idearum cognoscuntur, intellectus obtinet iudicia absolute universalia. Neque alius est fons, ex quo naturaliter intellectus humanus talia iudicia haurire potest.

Subdividitur hic secundus fons in ideas et ratiocinium. Cuius divisionis duplex est ratio; prior sita est in imperfectione nostri intellectus. Etenim intellectus noster non habet intuitivam et perfectam essentiae rerum cognitionem, sed abstractivam (ex rebus sensibilibus) et imperfectam; quo fit, ut non omnes notas intrinsecas cuiuslibet rei et consequenter neque omnes relationes inter essentias, sed obvias tantum et faciliores distincte et immediate detegat. Plures deinde ex idearum duarum comparatione cum una tertia cognoscuntur. Altera ratio est, quia ope ratiocinii cognitiones ex diversis fontibus haustae coniungi possunt; de qua re mox.

765. c) **Obiectum proprium tertii fontis, auctoritatis.** Auctoritas est ex natura sua fons aliquo sensu mediatus. Cum homo omnem suam propriam scientiam cum altero communicare possit, per se patet auctoritatem suo modo extendi ad totum ambitum duorum priorum fontium. Quaeri solum potest, sitne aliquod obiectum huic fonti stricte proprium. Abstractione facta ab auctoritate divina, quae nobis manifestare potest veritates nulli intellectui finito per se pervias, ut sunt libera futura et mysteria divina, etiam intra ordinem humanum saltem aliqua non possunt a nobis cognosci nisi ope auctoritatis. Eiusmodi sunt actus plene interni aliorum hominum, e. g. eorum cogitationes et volitiones, et praeterea ea facta externa vel loco vel tempore distantia, quae nullum in re aliqua permanenti effectum reliquerunt, ex quo per conclusionem inferri possint.

766. 2. **Coniunctio fontium necessaria est ad scientiam humanam.**

Tripliciter fit ea coniunctio:

a) *additione;* hoc patet eo ipso, quod singuli fontes obiectum sibi exclusive proprium habent.

b) Non tamen sufficit mera additio, sed requiritur cooperatio multiplex per modum *fundamenti* et *condicionis.*

Experientia generatim est condicio necessaria ad omnem certum assensum, quatenus conscientia concomitans est omnis certi assensus condicio et fundamentum (cf. n. 474 sq 576). Fonti secundo experientia praebet materiam remotam, quatenus ipsi debentur ideae primitivae. Ad tertium fontem experientiam praerequiri ut condicionem clarum est; non enim aliter de ipso facto testimonii constare potest. *Fons secundus* eatenus est condicio in usu reliquorum fontium, quatenus ad assensum vere certum necessario ut fundamentum firmitatis concurrit principium primum (cf. n. 476). Hoc modo *tertius fons* nequit dici condicio necessaria pro omni actu certo ex reliquis fontibus hausto, licet in multis, praesertim in educatione et in scientiis promovendis, sit adiumentum saltem practice necessarium.

c) Tandem tertius modus, scil. *coniunctionis* fontium ad aliquod obiectum unum, respicit cognitionem mediatam. Ita non solum ut condicio unus fons alteri inservit, sed ambo vel plures coniunctim adhibiti fontem combinatum constituunt. Atque haec coniunctio ad multas cognitiones necessaria est. Recogita inductionem et generatim omne ratiocinium mixtum totamque cognitionem historicam vere scientificam. Multae veritates tum particulares tum universales ut leges physicae non possunt nobis certae fieri, nisi coniungamus in ratiocinium cognitiones ex fonte secundo haustas cum aliis, quarum fons est vel experientia vel testimonium.

767. Pars III. Pessimi errores oriuntur ex neglectu debitae distinctionis et coniunctionis fontium.

1. **Empirismus** est error, in cuius aliquam formam necessario incidunt, qui *experientiae* vel unice vel ultra debitos limites insistunt. Neque mirum, sed naturae consonum est, inquisitionem scientificam a scrutandis iis rebus initium sumere, quae nobis primo obviae sunt. „Secundum ordinem cognitionis humanae processerunt antiqui in consideratione naturae rerum. Unde cum cognitio humana a sensu incipiens in intellectum perveniat, priores philosophi circa sensibilia fuerunt occupati et ex his paulatim in intellegibilia pervenerunt.“ [1] Sed non est in sensibilibus haerendum.

Empirismus *extremus* est materialisticus. Materialista negat quidquam esse praeter materiam. Empirista materialisticus vel hoc quoque negat vel se id nescire dicit, et saltem nostram cognitionem intra sensibilitatem contineri docet. Tali modo homo ad ordinem animalium brutorum deprimitur.

[1] *S. Thom.*, De pot. q. 3, a. 5.

Praeterea sunt empiristae, qui admittunt quidem in homine intellectum, quem tamen non perfecte vel non recte a sensu distinguunt et intra ambitum experientiae coartant. Istorum alii intellectum et rationem habent pro facultate quasi collectiva et ordinatrice vel etiam constructiva ipsius experientiae; et hac ratione in empirismo haeret etiam *Kant;* alii saltem valore obiectivo idearum et principiorum universalium et deductionis syllogisticae omnem certitudinem in sola experientia fundari volunt, uti *positivistae.*

768. Tali ratione per empirismum, si est materialisticus et sensisticus, omnis cognitio rerum suprasensibilium, si est positivismus, saltem omnis cognitio vere universalis redditur impossibilis. Inductio enim, de qua *Baco de Verulamio* dicit: „Spes est una in inductione vera" [1], dum principia seu axiomata „suprema illa et generalissima, quae habentur, notionalia sunt et abstracta et nihil habent solidi" [2], non potest ex se gignere certitudinem stricte universalem et absolutam (cf. n. 688). Neque enim ista absoluta necessitas, qua principia prima statim se unicuique ut vera manifestant, ex consuetudine oriri potest. Nihil igitur remanet, nisi ut empirismus aut directe neget certitudinem scientificam aut eam declaret mere subiectivam necessitatem, et ita logice in subiectivismum, relativismum, agnosticismum, scepticismum incidat (cf. n. 592 sq).

At non solum scientiam universalem, sed etiam veram et proprie dictam certitudinem de factis singularibus empiristae destruunt; nullum enim assignare possunt medium certum et infallibile distinguendi veram cognitionem experimentalem ab erroribus, quos saltem passim sensibus per accidens causari nemo non experitur. Quare mirum non est, tum antiquitus tum posteriore aetate philosophos de experientia nimis exaltata desperasse et ipsa contempta et neglecta in alterum incidisse extremum, scil. in rationalismum.

769. 2. **Rationalismus** spernit primum et tertium cognitionis fontem. Ita imprimis *intellectualismus exaggeratus seu aprioriismus.*

Qui despecta *experientia* soli intellectui fidere volunt, ipsum hunc alterum et praeclarum cognitionis fontem destruunt, quatenus ei fundamentum et materiam subtrahunt. Explicare enim non possunt, qua ratione mens nostra ad ipsas ideas perveniat.

[1] Nov. org. l. 1, a. 14. [2] Ibid. a. 104.

Aut enim debent cum Cartesio et aliis assumere ideas innatas, quae non solum nulla ratione adesse demonstrantur, sed a sana philosophia solide refutantur; aut ipsam vim intellectus contra veritatem extollere debent. Quod variis modis tentatum est. Ita *ontologi* menti nostrae attribuunt cognitionem immediatam et directam entis primi seu Dei, in quo intueamur ipsas ideas universales veri, boni, pulchri. *Dogmatismus* vero ille absolutus, quem imprimis professus est *Spinoza,* intellectus vi fretus statuit ab initio definitiones et axiomata quotquot necessaria videntur, ut ex iis omnis scientia more quasi mathematico deducatur. Scivit iam Aristoteles definitiones ad hoc, ut ex iis aliquid de rebus ut sunt demonstrari possit, ex ipsis rebus per experientiam, abstractionem, inductionem debere esse acceptas. Contra Spinoza numquam ex rerum obiectivo ordine ostendit veras esse suas definitiones, sed eas ex fundo animi ut perfectum quid, indubitatum, clarissimum, absolute certum extraxit. Attamen scatent ambiguitate et erroribus. Dogmatismus aprioristicus talis nihil valet.

770. Praeterea qui experientiam non rite aestimant ut initium solidum scientiae et fontem valoris obiectivi, necessario incidunt in aliquod genus *subiectivismi* et *idealismi* et consequenter totam scientiam ex subiecto ipso *construunt,* sive cum *Kant* phaenomena subiectiva per categorias et ideas ut formas ordinant, sive cum *Fichte* omne non-ego seu quidquid ab ipso cognoscente distinguitur, per phantasiam ponunt, sive cum *Hegel* ex idea entis totum mundum logice deducunt. Cum autem intellectus ita ex se et a priori veritatem creare nullatenus possit, ista philosophia ducit logica necessitate ad desperationem illusionis universalis et scepticismi. Iam vero qui rationis theoreticae valorem per falsum apriorismum et subiectivismum destruxit, frustra veritatem *postulat* vi rationis practicae.

771. Uti rationalismus contempta *experientia* scientiam humanam destruit, ita ei damnum maximum affert contemptu *historiae et auctoritatis.* In scientia ac praesertim in philosophia traditionem, historiam, veterum philosophorum sententias contemnendas esse censet, nihil ut certum agnoscit nisi id, quod proprio intellectus conatu invenire, perspicere, demonstrare possit. Quae superbia thesauros studio speculativo tot ingeniorum eximiorum collectos et posteris traditos profligat et novis quidem sed minime solidis vel erroneis systematis mundum implet. Rationalismum superbe ipsam divinam auctoritatem et quidquid finitae mentis captum superat contemnere et repudiare, notum aeque atque damnandum est.

772. Auctoritatem et historiam denique ultra debitos limites extendunt alii ex aliis rationibus.

a) *Traditionalistae* non negant quidem, sed nimis deprimunt fontes internos. Ad veram enim et perfectam certitudinem vel omnem vel saltem de rebus sensum transcendentibus absolute necessariam esse dicunt auctoritatem. Ita ipsam auctoritatem ut fontem certitudinis reddunt impossibilem, uti mox accuratius ostendetur (infra de criterio veritatis).

773. b) *Eclectici* ex desperatione quadam ad auctoritatem confugerunt. Est quidem aliqua methodus eclectica, quae cum in se vera sit et recta, multum ad inveniendam veritatem iuvat. Qui enim scientiam primo ex diligenti rerum et principiorum contemplatione suo ingenio eruere student, quo id facilius et tutius efficiant, illi ad ea quae ab aliis sapientibus atque etiam insipientibus dicta sunt attendant oportet, probent ex variis systematis ea quae cum inventa veritate conveniunt, et quae cum ea componi non possunt reiciant. Errores enim aliorum cogniti multum conferre possunt ad veritatem certius considerandam et accuratius secundum omnes partes distinguendam et clarius proponendam. Sed eclecticismus solus non sufficit, et exaggeratus repugnat.

774. *Non sufficit.* Hac de re *Lactantius:* „Si exstitisset aliquis, qui veritatem sparsam per singulos, per sectasque diffusam colligeret in unum, ac redigeret in corpus, is profecto non dissentiret a nobis. Sed hoc nemo facere nisi veri peritus et sciens potest. Verum autem scire non nisi eius est, qui sit doctus a Deo. Neque enim posset aliter repudiare quae falsa sunt, eligere ac probare quae vera.“ [1] Moderni eclectici ad libitum seligunt, quae sibi placent, per ambages vel saltus contactum cum catholicae philosophiae praeclaris doctoribus cavent.

Ex duplici ratione eclecticismus non sufficit: primo, quia nemo potest omnem veritatem ex aliorum dictis vel scriptis colligere, ad hoc enim requireretur, ut omnis veritas scripta vel dicta sit, et ut tempus et reliqua media ea colligendi adsint; secundo, quia ad omnia vera recte et cum fructu colligenda propria ratio adhibenda est, qua verum a falso recte secernatur.

775. *Absurdus* autem omnino et repugnans est eclecticismus *exaggeratus.* Principalem viam, qua ad consecutionem veritatis per-

[1] Divin. instit. 7, 7 (*Migne* 6, 759).

veniatur, eam esse docet, quae sternatur ex omnibus philosophorum systematis inter se compositis; singulos enim, etiamsi inter se maximopere discrepent, seorsim singulas scientiae partes complexos esse. Sicuti relativistae absolutam veritatem, ita alii absolutum errorem negant, et errorem non habent nisi pro veritate quadam incohata et incompleta. Cum igitur nullus usque adhuc philosophus veritatem integram adeptus sit, sed singulas tantum scientiae partes singuli proposuerint, ex collectione et compositione tandem veritatem plenam hauriendam esse volunt. Hoc vero prae ceteris maxime falsum est, errorem esse incohatam et partialem veritatem. Fieri quidem potest, ut aliquod systema vel quodlibet iudicium compositum vel complexum sit secundum aliquid verum, secundum aliud falsum. Error autem est falsitas et veritatis negatio, neque incohata veritas neque ex se ullo modo fons veritatis. Tali modo igitur non potest veritas colligi. Deinde ista via ad veritatem non possemus umquam pervenire; nam exspectandum esset, donec omnium hominum errandi potentia exhausta esset. Tandem continuo ita veritas quovis novo errore exorto mutaretur. Sic in relativismum universalem et scepticismum ruitur, in quo revera omnes illi haerent, qui cuiuslibet rei essentiam in ipsius fieri, evolutione, historia ponunt.

Ex illegitima igitur fontium cognitionis nostrae vel confusione vel separatione pessimi errores consequuntur et totius scientiae humanae ruina provenit.

776. Conclusio. Ima summis in naturae humanae microcosmo ad unitatem vivam coniuncta sunt; sed naturae entis correspondeat necesse est cognitionis ratio. Est enim finitus et valde limitatus noster intellectus et infimum gradum entium intellegentium natura humana constituit. Igitur ne infima quidem, cum conferant ad totum, contemnenda sunt ut vana et superflua. Sensibus et *experientia* singularia tantum cognoscimus; sed sunt quasi scalae gradus iique tuti et solidi, quibus ad altissima et maxime universalia procedimus. Ex rebus exsistentibus earumque qualitatibus experientia cognitis abstrahimus *ideas*, quarum intuitu et ratiocinante comparatione ex effectibus ad causas, usque ad causam primam certa conclusione, et ex vestigiis et imagine Dei ad ipsius perfectiones considerandas ascendimus. Ab infantia per vitae discursum *auctoritate* et historia mirum in modum iuvamur in cognitione tuto augenda et perficienda; ratio autem in ipsa historia summi entis providentiam admiratur. Itaque cognitio universalis nostra fit adeo perfecta, ut recte vocetur sapientia.

Disputatio III.

De principio certitudinis sive de evidentia.

777. I. **Quid sit principium certitudinis explicatur.** Principium generatim dicitur *id a quo aliud quocumque modo consequitur.* Sensu strictiore principium est id, a quo tamquam ab aliquo in suo ordine *primo* aliquid sequitur, et ad quod *ultimatim* reducitur. Cum igitur certitudo sit perfecta cognitio, i. e. cognitio vera simul et firma, illud dici debet certitudinis principium, a quo procedit et ad quod reducitur secura et firma veritatis possessio. Hoc principium debet esse criterium, quo *verum* secure a falso discernatur, et ratio cur in veritate mens quiescat, i. e. aliquo sensu debet esse motivum assensus certi.

1. *Criterium (κριτήριον, κρίνειν)* sive iudicatorium generatim est signum sive nota, qua res aliqua ab alia discernitur. Criterium igitur veritatis est id, quo veritas a falsitate discernitur, sive id quo mens in iudicando proxime dirigitur. Sed hoc criterii nomen restringi solet in hac re ad significandum criterium generale, ultimum, primarium, quod est signum ultimum et generale, quo veritas a falsitate discernitur.

2. *Motivum* certitudinis est ratio, propter quam firmus assensus praestatur. Cum *verum* sit obiectum formale intellectus, quidquid habet rationem criterii veritatis, eo ipso habet etiam rationem motivi assensus alicuius.

778. II. **De unitate principii.** Diximus hactenus de singulis motivis certitudinis sive de singulis veri criteriis. Videndum nunc est, sitne inter haec motiva unum supremum et inter haec criteria unum, quod primum sit; quod igitur sit omnis certitudinis principium. Atque haec quae de criterio veritatis sive de motivo certitudinis principe instituitur quaestio, duplici ratione intellegi potest.

1. Primo quaeri potest, sintne diversa illa de quibus diximus hactenus motiva certitudinis sive criteria particularia nihil aliud nisi diversi modi unius motivi sive criterii, ita ut *re unum* tantum motivum sive criterium exsistat, unde tamquam *ex fonte unico* omnis humana cognitio deducatur. Quae quaestio neganda est.

Nam singula veritatum genera, quae ex singulis fontibus hauriuntur, speciali motivo nituntur. Motivum certitudinis sensuum externorum praeter motivum reflexum petitum ex principio causalitatis est ipsa indoles sensationum res externas obiective formaliter repraesentantium. Motivum conscientiae est immediata coniunctio eiusdem cum facto interno repraesentato. Motivum

certitudinis, quae inest in iudiciis analyticis, est praedicati cum subiecto identitas, quae per conceptum exhibetur; quae inest in iudiciis mediatis, sita est in percepta duorum cum uno tertio identitate. Motivum certitudinis (scientificae), quae efficitur alieno testimonio, est moralis impossibilitas erroris et mendacii testium in certis adiunctis. Ex quo manifestum est esse multa et diversi generis criteria sive motiva, quae ad motivum unicum, omnium loco substituendum revocari non possunt.

779. 2. Altera quaestio est, sitne aliqua *ratio communis* et primaria, ex qua illa multa motiva certitudinis inter se diversa vim trahant suam, ita ut ea ratio communis sit omnis certitudinis veritatisve criterium ultimum, quod sit ita universale, ut in singulis motivis implicite reperiatur, quodque sit fundamentum simul et norma sive signum proprium, quo certitudo et veritas ultimo secernatur a falsitate et errore. Eiusmodi motivum sive criterium principale exsistere res manifesta est.

Nam varia illa de quibus diximus motiva unum effectum producunt, qui in adhaesione illa firma mentis ad veritatem cognitam consistit. Unitas vero effectus necessario postulat indolem aliquam communem in causis. Ergo exsistere debet signum commune, quo generatim certitudo veritasve ab errore vel falsitate distinguatur, quodque facultati cognoscenti adaequatum sit. Et id quidem magis patebit, si consideraverimus in certitudine omni necessario includi tria: 1° verum, quod cognoscatur ab intellectu, 2° intellectum in ea cognitione non errantem, 3° huius inerrantiae actualis cognitionem concomitantem. Ex quo sequitur, requiri omnino motivum unum sive principium, quo in omni certitudine certo cognoscamus et motiva, quae nos ad iudicandum determinant, et necessariam eorum cum veritate conexionem. Non igitur dubium est, quin reperiatur unum motivum princeps, quod in omni certitudine insit et ad quod motiva omnia aliquo modo reduci possint.

780. **III. Variae distinctiones principiorum.**

1. Distinguitur principium subiectivum et obiectivum.

Principium certitudinis *subiectivum* est id, quo sive a quo ex parte subiecti veritas cognoscitur et a falsitate discernitur. Manifestum est autem principium subiectivum ipsam *mentem* esse. Quae quidem considerari potest tripliciter: 1° ut principium *materiale* sive ut subiectum vel materia, cui status certitudinis inest; 2° ut principium *elicitivum* sive ut potentia actuata, quae ad producendam certitudinem concurrit; 3° ut principium *quodammodo*

formale, quatenus mens percipit suam ipsius cum re percepta conformitatem.

Principium certitudinis *obiectivum* est ea ratio obiectiva, secundum quam verum ut tale cognoscimus et a falso distinguimus, et ob quam assentimur. Post ea quae de fontibus singulis verae certaeque cognitionis tractavimus, patet hoc loco quaeri de principio certitudinis obiectivo.

2. Distinguuntur principia logica et principia ontologica.

Principia *logica* intelleguntur ea, quae rectum ordinem cognitionis respiciunt et fundant. De his egimus in dialectica. Sunt veritates quaedam generales sive iudicia maxime universalia, quae sive implicite sive explicite operationes mentis et praesertim demonstrationem praecedunt et comitantur. Ea ulterius distingui possunt in principia formalia seu directiva et materialia (primae praemissae). Fundantur et ipsa in ordine ontologico.

Principia *ontologica* ea sunt, in quibus fundatur esse reale (et fieri) rerum, et sunt aut principia rei interna seu constitutiva aut principia externa, ut v. g. causa. Haec principia non sunt *iudicia* seu veritates in modum iudicii formatae, sed aliqua realis perfectio seu proprietas rei.

Agitur de principio ontologico certitudinis et quaeritur, quidnam sit illud in re cognoscibili, quo ultimatim res intellectum determinare valet ad sui cognitionem veram et certam.

781. IV. Condiciones ad principium certitudinis requisitae.

1. Principium certitudinis debet esse *infallibile* ita, ut numquam cum errore componi possit; secus enim iam non esset id, quo mens de cognitionis veritate certa esse posset.

2. *Nullius demonstrationis indigere* debet. Omnis demonstratio aliud principium notius supponit, unde conclusio certitudinem trahat. Cum autem principium certitudinis illud sit, quo omnis certitudo nitatur, esse non potest aliud principium, quod notius sit.

3. Debet esse *simplex nota* neque pro principio certitudinis poni potest aliqua licet evidentissima veritas determinata, quae sit brevis aliqua regula verbis concepta, qua cuiuslibet propositionis veritas vel falsitas indicari possit. Nam quaecumque veritas determinata indicatur, ea propter aliquod motivum admittenda est. Restat igitur, ut hoc motivum primum et ultimum, quod principium omnis certitudinis dicimus, sit obiecti cognoscibilis certa *condicio* sive *modus* quidam communis omnibus veritatibus cognoscibilibus, qui ipsam veritatem afficit simulque intellectum ad assentiendum eidem veritati determinat.

4. Debet esse *obiectivum cum respectu ad intellectum.* Debet esse obiectivum, i. e. ab affectionibus subiecti cognoscentis non pendens, sed se tenere debet ex parte rei cognitae. Nam illud principium debet esse immutabile sicut ipsa veritas, in qua reperitur; et idem pro quovis intellectu. Debet tamen esse dos obiecti respiciens intellectum.

In manifestis est neque ipsam facultatem cognoscitivam neque „obiectum ut sic" loco principii, de quo quaeritur, haberi posse. Nam facultas principii vel criterii indiget, quo ad consequendum finem dirigatur. Et obiectum est cognitionis terminus; sed principium mentem ad assentiendum obiecto determinat. Determinat vero dupliciter: primo per modum causae efficientis sive *motivi,* atque id est, cur de re obiecta certi simus; deinde per modum regulae sive *normae,* atque id est, quo ostendatur, quaenam ea sint, de quibus certi simus[1].

5. Tandem debet esse vero aliquo sensu *universale,* i. e. principium omnis certitudinis, sive directe sive saltem indirecte, ita ut aliquo modo omnis assensus certus illud postulet. Plerumque, scil. in omni assensu ex motivis intrinsecis praestito, illud universale certitudinis principium ingreditur ipsum motivum proximum assensus; in assensu fidei presse dictae (n. 710) indirecte exercet munus principii certitudinis, quatenus eam praebet certam cognitionem, quae actui fidei ut condicio necessaria praecedere necesse est.

782. V. **Sententiae diversae.** Quaerentibus nobis, in quo principium certitudinis sit reponendum, maxima offertur sententiarum diversitas. Quae commode ad genus duplex revocari possunt. Prius continet sententias eorum, qui falso criterium aliquod veritati cognitae *externum* statuunt. Alterum comprehendit sententias illas, quae criterium hoc vel illo modo subiecto cognoscenti et obiecto cognito *internum* propugnant. Primo criteria externa paucis exponemus et reiciemus; deinde inter criteria interna verum a minus rectis secernemus.

Breviter hoc loco mentio facienda esse videtur *empiristarum* sive *positivistarum,* qui „verificationem methodicam" sive „examen externum" esse dicunt principium omnis certitudinis. Quorum sententia a limine huius disputationis reicienda est. Qui cum cognitioni omni praeter brutam experientiam sensilem vim et potestatem negent, de certitudine rationali nullo modo loqui possunt; praeterea principium statuunt, quod neque universale est, neque primum et per se notum, neque menti internum. Non negamus „verificationem

[1] Cf. *Schiffini,* Princ. philos. n. 283.

istam methodicam" sive „examen externum" in multis rebus summopere ad acquirendam certitudinem requiri. Ut enim est apud *Suaresium:* „Antequam intellectus omnem hanc diligentiam [multa experiendi et inter se conferendi] adhibeat, non potest omni certitudine naturali assentire, prout in primis principiis necessarium est; quia, cum ipsum lumen intellectus nostri sit infirmum et imperfectum, nisi iuvetur experientia, facile allucinari potest; sicut e converso ipsa etiam experientia per se fallax est, nisi intellectus suo lumine invigilet ad rationes rerum et conexionem terminorum in se ipsa intuendam." [1] Sed tenendum est mordicus, ut dicit Suarez, „experientiam solum requiri ad scientiam, ut intellectus noster manuducatur per eam ad intellegendas exacte rationes terminorum simplicium, quibus intellectis ipse naturali lumine suo videt clare immediatam conexionem eorum inter se, quae sit prima et unica ratio assentiendi illis" [2]. Et generatim, ut Suarez animadvertit, „haec, quae requiruntur ad huiusmodi assensum evidentem, sive est experientia sive quaecumque alia terminorum declaratio, non requiruntur ut formalis ratio assentiendi, neque etiam ut principium per se efficiens seu eliciens actum assentiendi, sed ut *sufficiens applicatio obiecti*" [3].

CAPUT I.

Reiciuntur criteria externa.

783. **Thesis 35.** **Neque auctoritas sive consensus generis humani, neque auctoritas divina sive revelatio esse potest principium certitudinis.**

Ad stat. quaest. 1. Quos hoc loco impugnaturi sumus, principium certitudinis sive veritatis criterium aut in Dei loquentis auctoritate reponunt, aut proxime in auctoritate generis humani conquiescunt. Prius statuit Huetius (1630—1721), quem postea alii secuti sunt; alterum imprimis F. R. de Lamennais (1782—1854).

Huetius, initio Cartesium secutus, postea cartesiana placita vehementer impugnavit [4]. Verum post fervorem nimium rursus in cartesianam dubitationem relapsus est; quinimmo hanc ad omnes rationis humanae cognitiones extendi voluit, ita ut ad extremum scepticismum veniendum esse dixerit, nisi in rebus omnibus ad Dei gratiam et revelationem divinam confugere vellemus [5].

[1] Disput. met. disp. 1, sect. 6, n. 26. [2] Ibid. n. 25. [3] Ibid. n. 27.

[4] Censura philosophiae cartesianae (1690); Alnetanae quaestiones de concordia rationis et fidei (1690).

[5] Traité philosophique de la faiblesse de l'esprit humain par feu Mr. *Huet* (1723) l. 1, ch. 15; l. 2, ch. 1 et 2.

Doctrina haec, oblivioni fere tradita, ineunte saeculo undevigesimo revixit et a traditionalistis exculta est. Ex horum placitis cognitionem certam non habemus nisi ex auctoritate revelationis divinae primitivae, ratione generali et testimonio hominum nobis traditae. Hanc revelationem luci similem esse, quae et res alias et se ipsam videntibus manifestet.

Similem doctrinam proposuit *Lud. Gabr. de Bonald*[1] (1754 ad 1840). Qui existimavit nullam in genere humano esse nec esse potuisse rationalem cognitionem nisi ex „loquela". Ideas omnes, omnem veritatis cognitionem, rationem ipsam humanam nasci ex „verbo". Loquelam initio a Deo cum hominibus communicatam esse; atque hanc revelationem divinam ad nos usque per sermonem tradi. Posteriore tempore de Bonald concessit (ad tempus saltem) ad doctrinam a de Lamennais propositam, de qua mox.

Lud. Bautain (1796—1867), initio secutus Cousin, Fichte, Kant, tandem in revelatione divina et traditione unum posuit certitudinis principium[2].

Traditionalismum moderatum professus est *Ioachim Ventura* (1792—1861)[3]. Revelationem divinam omnino necessariam fuisse, ut homo cognosceret Deum et veritates ordinis moralis.

De Lamennais omnibus inveniendae veritatis mediis magnopere perpensis eo devenerat, ut rationem individualem uniuscuiusque hominis nihil prorsus valere diceret. Scepticismum eo tantum vitari posse dicit, quod pro principio certitudinis statuetur *auctoritas generis humani.* Nihil nos certo cognoscere nisi fretos isto principio. Auctoritatem hanc nobis manifestam fieri *consensu communi,* qui producatur uniformitate perceptionum et concordia iudiciorum. Huius concordiae et uniformitatis causam proximam reperiri in *ratione generali humana,* remotam et ultimam in testimonio ipsius Dei sese humano generi revelantis[4].

Sunt praeterea alii, a quibus traditionalismi dogmata magnopere propugnata sunt; inter quos *Lud. Bonnetty* (1798—1879), *Leon. Rabus.* Apud quos tamen ingens est sententiarum varietas.

Adversariorum sententia interdum „fideismi" nomine insignitur, quae igitur est doctrina eorum, qui certitudinem veram et proprie

[1] In libris: Legislation primitive etc., 2 vol.; Recherches philosophiques sur les premiers objets de connaissances morales.

[2] In libello: De l'enseignement de la philosophie en France au XIXe siècle (1833).

[3] In libro: La tradition et les Semi-Pélagiens de la philosophie ou le Semi-Rationalisme dévoilé, Paris 1856.

[4] Essai sur l'indifférence en matière de religion (1817—1823), praecipue tom. 2, ch. 13.

dictam haberi non posse dicunt nisi ope fidei sive humanae sive divinae. Fideismus[1] rationalismo contrarie opponitur; unus enim solam fidei certitudinem admittit omnemque praeter fidem reicit certitudinem scientiae, dum alter solam certitudinem scientiae admittit et reicit omnem fidei certitudinem.

Necessitatem auctoritatis ultra debitos limites extendit et iudicii et intellectus individualis vim nimis ad imbecillitatem nostro tempore depressit *F. W. Foerster* in libro suo „Autorität und Freiheit".

2. Quid sit auctoritas, quid consensus hominum, ex se satis intellegitur. Revelatio divina hoc loco intellegitur illa primitiva parentibus generis nostri data, ad quam adversarii provocant.

Revelationem illam non negamus: negamus autem eam ita esse posse primam et generalem, ut ad rationem principii certitudinis requiritur. Vix necesse est, ut moneamus agi in thesi nostra de certitudine tantum, quae non sit supernaturalis. Quae sit vis fidei divinae ad certitudinem supernaturalem pertinens, non est nostrum hoc loco statuere.

784. Arg. 1 *(ex natura auctoritatis sive testimonii).* Illud non potest esse principium certitudinis, quod 1° non parit nisi cognitionem mediatam ex priore sequentem, 2° non est fons cognitionum generalis, 3° non est aptum, ut ab omnibus hominibus cognosci possit; *atqui* eius generis est auctoritas sive Dei revelantis sive hominum consentientium: *ergo* auctoritas principium certitudinis esse non potest.

Prob. min. 1. Auctoritas parit fidem. Fides autem, cum natura sua sit cognitio mediata, non potest esse *prima*. Primo enim scire debes exsistere testes, sive Deum sive homines, qui locuti sint et veraces; atque etiam certo constare tibi debet exsistere te ipsum, audire te atque intellegere homines ceteros eorumque sermones.

Neque dicant haec etiam fide credi. Nam *cur*, quaeso, credant, et *cui* ita credendum esse credant? Nisi ergo adversarii manifesta petitione principii supponunt id quod probandum est, fateri debent fidem rationabiliter non posse haberi nisi post multas easque certas cognitiones non per fidem, sed per scientiam acquisitas.

2. Continentur quidem in revelatione divina veritates multae, multae etiam ex consensu hominum hauriri possunt. Sed plurima eorum, quae cum certitudine cognoscimus, neque ex revelatione divina neque ex consensu hominum sunt hausta.

3. Et ea quae revera revelatione divina exhibentur vel consensu hominum, exhibentur paucioribus tantum.

[1] Compend. philos. *Sulpit.* I, Paris. 1877, 267.

„Ut enim quis", inquit *Kleutgen*, „hac fide cognoscat, duo ei constare debent: primum, Deum sese ab initio hominibus revelasse, deinde, consensu generis humani ea quae revelarit cognosci. Iam vero etiamsi daremus, revelationem illam historicis documentis posse demonstrari, certe non posset nisi viris doctis. Quodsi plerique necessario ignorant factam esse revelationem, ne in mentem quidem iis venire potest, per consensum generis humani in veris nonnullis, si forte eum norint, constare de horum revelatione." [1] Et quotusquisque est, qui omnium hominum sententiam rogare possit, ut videat, quod consensu communi doceatur. Cum autem manifestum sit non omnes homines idem sentire, neque in omnibus aetatibus easdem vigere sententias, incredibiliter crescit difficultas. Accedit quod, si ratio individualis per se nihil veritatis consequi potest, neque rationes omnium hominum simul sumptae quidquam valebunt.

785. **Arg. 2** *(ex falsis adversariorum fundamentis).* Fundamentum utriusque doctrinae in eo est, quod adversarii omnia cognitionum nostrarum media per se fallacia vel saltem incerta esse statuunt. *Atqui* hoc fundamentum omnino falsum esse probatum est *primo* iis omnibus, quibus supra media singula certis condicionibus veritatem manifestare atque certitudinem gignere posse demonstravimus. Id ipsum *secundo* constat ipsa auctoritate hominum, quibus adversarii fidendum esse volunt. Nam omnes profecto homines saepissime individuali sua ratione multis in rebus certissimas cognitiones se acquisivisse plene sciunt, v. g. de propriis affectibus, doloribus, actibus, de experientia immediata generatim.

Confirmatur 1° (ex diversitate, quae est inter fidem et scientiam). Illud non potest esse supremum veritatis criterium aut suprema omnis certitudinis norma, quod natura sua non efficit nisi solam fidem proprie dictam. Praeter fidem enim invenitur etiam scientia, de cuius ratione est, ut habeat firmam mentis adhaesionem in veritate proposita ex intellectuali quadam visione [2]. *Atqui* auctoritas generis humani aut Dei revelantis immediate et directe non gignit nisi fidem proprie dictam. *Ergo* neutra potest esse supremum veritatis criterium.

Confirmatur 2° (ex absurdis inde consequentibus). Doctrina, quae alia criteria omnia, atque ipsam auctoritatem sive Dei sive generis humani omni vi privat, universalem inducit scepticismum. At eius generis est doctrina adversaria. Nam auctoritas cum ipsa aliam certam cognitionem praesupponat, nulli alii motivo vim certitudinis primo tribuere potest. Quare adversaria doctrina, cum non modo rationem perdat, sed simul cum ratione fidem ipsam impugnet, cuius fundamenta evertit, quamque

---

[1] Instit. theol., Ratisbonae 1881, I 70: De ipso Deo.
[2] Cf. *S. Thom.*, S. th. 1, 2, q. 67, a. 3.

impossibilem reddit, iure merito ab ecclesiastica auctoritate reiecta atque damnata est [1].

786. ***Scholion.*** In iis quae fide cognoscimus, rationem eatenus debet praecedere auctoritas, quatenus ratio non potest quidquam credere, quod auctoritate manifestum non sit. Sed etiam in his auctoritas aliquam cognitionem rationis praeviam habere debet. In iis quae per scientiam cognoscimus, nullo modo auctoritas rationem anteire debet. Unde de credente dicit *Aquinas:* „Non crederet, nisi videret, ea esse credenda." Et *S. Augustinus:* „Nisi aliquid intellegat, nemo potest credere in Deum."

787. ***Obi. 1.*** Principium certitudinis debet esse essentialiter infallibile; *atqui* solus Deus est essentialiter infallibilis; *ergo* auctoritas divina est principium certitudinis.

Resp. Infallibilitas omnino absoluta soli Deo competit. Est autem infallibilitas limitata et hypothetica, quam homo a Deo naturae auctore acceptam habet; atque haec ad acquirendam certitudinem satis est.

Obi. 2. Pueros non alium ducem sequi videmus nisi auctoritatem; neque adulti a pueris differunt, nisi quod hi auctoritatem quamlibet sequuntur, alii solum maiorem.

Resp. Pueri auctoritatem sane sequuntur ex instinctu quodam animis ipsorum a natura indito, non autem ut criterium veritatis, nisi postquam alia criteria adhibuerunt. Neque pueri, ubi primum ad usum rationis suae perveniunt, sola auctoritate ducuntur in omnibus, sed adultorum more auctoritatem maiorem a minore discernere incipiunt, adhibentes rationem propriam, quae individualis est. — In dubiis homines arbitrum sibi eligunt; atque etiam in rebus certis, quotiens is qui de re certa dubitat, efficacius est convincendus; non autem, quasi, qui rem evidentem tuetur, huic evidentiae non fidat. Et arbitrum eligunt non genus humanum, sed unum alterumve hominem individuum; quod non facerent, nisi vim rationis individuae agnoscerent.

At, *inquiet* quispiam, si ratio generalis hominum non esset principium certitudinis, nonne homo individuus ius haberet rationem suam anteponendi rationi omnium? Quomodo vero id sine absurditate dici possit? Qui solus contra omnes sentit, est stultus; sed stultus certitudinem habere non potest.

Resp.: Si homo privatus clare videt id verum esse, quod alii praeiudicio abrepti falsum esse existimant, sine absurditate suam privatam rationem praeiudiciis aliorum anteponere potest. Itaque non semper stultus est, qui se sensui aliorum hominum opponit. Et potest quis ex

[1] Ab ecclesiae auctoritate probata est thesis: „Rationis usus fidem praecedit, et ad eam hominem ope revelationis et gratiae conducit"; quae est tertia earum, quas *Bonnetty* subscribere iussus est a sacra Congregatione Indicis, approbante Pio IX d. 15 m. Iunii 1855 (*Denz.-Bannw.*, Enchiridion n. 1651; cf. n. 1626).

stultitia ea ipsa dicere, quae dicunt alii. Fieri autem non potest, ut homo individuus sana ratione ductus sese opponat in suis iudiciis multitudini hominum sana ratione iudicantium. Nam quod evidenter verum est uni intellectui, intellectui aliorum evidenter falsum esse non potest[1]; neque igitur alii homines falsa percipere possunt, quae unus vera percipit, vel contra.

Dices: Ut quis certitudinem reflexam habeat, scire debet se non stultum esse; *atqui* id inde tantum cognoscere potest, quod alios sibi consentientes videt; *ergo* consensus aliorum est principium certitudinis.

Resp.: Ut homo ex ista hominum consensione aliquid cum certitudine comperiat, iam prius scire debet se non esse stultum. Prius certo cognoscere debet exsistere homines, hos inter se idem iudicare, eamque consensionem esse certo iudicandi regulam. Ergo necesse est, ut homo per se ipsum in ipsa sua cognitione simul cognoscat se non esse stultum. Qua de re *Fournier:* Cum stultitia ex organorum morbo oriatur et impediat, ne mens ordinate possit attentionem et reflexionem in hanc vel illam rem figere, statum suum expendere, notiones inter se ex ordine comparare actusque intellectuales ad ratiocinandum rite disponere, expeditam exercere libertatem: iam homo, qui per conscientiam suam deprehendit, se in exercendis illis facultatibus non impediri, eo ipso perspicue cognoscit se non esse stultum. Si autem adversarii dicunt rationem individuam aptam non esse ad convincendum stultum, id facile concedemus; non enim pro stultis, sed pro mente sanis principium certitudinis statuitur. At ipsi quoque fateri debent consensum hominum non esse medium, quod ad confutandos stultos sit efficacius[2].

CAPUT II.

Reiciuntur falsa criteria interna.

ARTICULUS I.

De falsis criteriis subiectivis.

788. **Adversariorum sententiae.** Ex dictis thesi 35 constat principium certitudinis internum esse debere. Si vero quaeratur, quidnam illud internum sit, quod pro principio certitudinis haberi possit, magna est inter recentes philosophos dissensio. Multi necessitatem quandam pure subiectivam ut principium certitudinis constituunt vel subiectivam dubitandi impossibilitatem.

1. *Thomas Reid* (1710—1796), quem schola scotica sequitur, contra inanem *Humii* scepticismum ad sensum communem sanae rationis appellavit; sed ultra limites progressus lumini rationis caecum *naturae instinctum* substituisse videtur. Haec enim dicit: Natura necessitante

[1] *Fournier,* Instit. philos. 99. [2] Ibid. p. 193.

principia quaedam admittimus, quorum rationem nullam reddere possumus. Huiusmodi principia in ipsius naturae nostrae constitutione fundata sunt nobisque indita atque necessaria. Quae vim trahunt suam ex *instinctu naturali,* de cuius veracitate dubitare non possumus. Hic vocatur *sensus communis* et est fundamentum atque principium omnis cognitionis et criterium cuiuslibet veritatis. Ratio nostra eiusmodi principia neque statuere neque delere potest; sed contenta esse debet, ut ex his principiis alias veritates deducat. — Atque hic sensus communis solus nos docet esse mundum realem, Deum exsistere, nosmet ipsos. Neque tamen desunt, qui Reidii dictis rectam sententiam subicere studeant. — Ad hunc locum praeterea referri debent omnes, qui certitudinis fundamenta ultima in *caeca* atque *mere subiectiva necessitate* reponunt, cuius ratio nec intellegi nec explicari possit. Huc igitur pertinet *Kantii* doctrina de *iudiciis syntheticis a priori* et ille *determinismus psychologicus,* qualem statuit *Wundt.* Similiter *Hermes* sensisse aliqua saltem ex parte videtur[1]. Ex veteribus similem omnino doctrinam tradebant stoici, qui veritatem cognitionum repetebant ex innata quadam persuasione immediata, quae caeca esset.

2. *F. H. Jacobi,* qui est dux „scholae sentimentalis", *affectum* sive *fidem affectuosam* posuit esse principium certitudinis. Haec fides in mente humana orta esse dicitur ex rationali quodam Dei sensu vel ex immediata quadam Dei experientia sive revelatione, qua ad habendam persuasionem firmam et invincibilem cogamur. Huic principio firmiter insistendum esse, si quis scepticismum et perniciosos rationis humanae errores vitare velit[2].

Huic sententiae non absimilis est doctrina proposita ab *Alphonso Gratry* (1805—1872), qui triplicem in homine sensum distinxit: sensum externum, sensum internum, sensum divinum, ita tamen, ut sensus iste divinus esset fons unicus omnis certitudinis.

Praeterea duplex est in hac re sententia, quarum ex altera criterium supremum veritatis in *conscientia* reponitur, quae sententia *Galluppii* nomine circumferri solet[3], neque non apud aliquos kantianos reperitur. Ex altera autem, *Cartesio* auctore, in *idea clara atque distincta* ultima certitudinis norma inveniri putatur.

---

[1] *Kleutgen,* Philosophie der Vorzeit n. 303 sqq.

[2] „Alle Wirklichkeit, sowohl die körperliche, welche sich den Sinnen, als die geistige, welche sich der Vernunft offenbart, wird dem Menschen allein durch das Gefühl bewährt; es gibt keine Bewährung außer und über dieser. Die oberste Quelle alles Fürwahrhaltens ist ein *unmittelbares Vertrauen* zu den Aussprüchen unseres Bewußtseins. Wenn dieses verloren ginge, würde auch jenes gänzlich wegfallen" (Werke II, Leipzig 1815, 108 sqq et nota).

[3] De *Galluppii* doctrina conferatur *Zigliara,* Summ. philos. I, Critica l. 3, c. 1, a. 2, n. 4, qui illum auctorem ab hoc errore immunem putat. Paulo aliter aliis in locis *Galluppi* docuisse videtur, ita ut difficile sit dicere, quae revera eius fuerit sententia.

Prior illa opinio expositione non indiget, cum ex ipsius conscientiae natura, indole, definitione omnino perspecta sit. — Alteram paucis indicare satis erit[1]. Omnibus in dubium vocatis, unum illud „Cogito, ergo sum" *Cartesio* necessario verum certumque videbatur. Rationem autem, cur hoc principium unicum hac praerogativa frueretur, Cartesius in eo invenit, quod illud clare atque distincte cognosceretur. Hinc legem universalem intulit: Quod continetur in idea clara atque distincta, certum est, vel aliis verbis, ideam subiective claram atque distinctam supremam certitudinis atque veritatis normam declaravit[2].

789. Thesis 36. Neque caecus naturae instinctus sive caeca quaedam necessitas neque ullus interior animi affectus principium certitudinis esse potest.

Ad stat. quaest. 1. Hac thesi impugnamus scholam scoticam *(Reid)* et scholam sentimentalium *(Jacobi)*, de quibus modo dictum est.

2. Non negamus inesse in natura humana vim quandam subiectivam, quae, si placet, instinctus vel sensus affectusve vocari possit. Sed negamus hanc vim esse principium certitudinis.

Eo ipso, quod rationales sumus, naturali quasi pondere, vi atque inclinatione ferimur, ut multa affirmemus, quae negare omnino non possimus. At simul cum ista necessitate sic et non aliter iudicandi percipimus etiam implicite saltem rationes istius necessitatis. Hinc eiusmodi necessitas, quae tamen non sit caeca et quasi pondus lapidis vel merum fatum, ultro admittitur[3]. Negamus naturalem illam propensionem destitutam esse omni cognitione concomitante, qua percipiatur ratio obiectiva, cur hoc vel illud feratur iudicium. Neque admittere ullo modo possumus homines, ubi primum apprehenderint terminos, a natura impelli ad hos componendos vel dividendos, quamvis ratio conexionis vel faciendae disiunctionis nullo modo ab ipsis videatur.

790. Pars I. De instinctu et caeca necessitate.

Arg. 1 *(ex eo quod certitudo istius instinctus probatione eget).* Non potest esse supremum veritatis criterium atque certitudinis fundamentum illud, quod alias cognitiones certas iam praesupponit.

---

[1] Cf. *Kleutgen* l. c. n. 285.

[2] „Sum certus me esse rem cogitantem; numquid ergo etiam scio, quid requiratur, ut de aliqua re sim certus? Nempe in hac prima cognitione nihil aliud est quam clara quaedam et distincta perceptio eius, quod affirmo; quae sane non sufficeret ad me certum de rei veritate reddendum, si posset umquam contingere, ut aliquid, quod ita clare et distincte perciperem, falsum esset. Ac proinde iam videor pro regula generali posse statuere, illud omne esse verum, quod valde clare et distincte percipio" (Medit. 3, ed. *Adam* et *Tannery* VII 35).

[3] Cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 117, a. 1.

Atqui caecus ille instinctus vel necessitas illa naturalis, ut rationabili modo certitudinem gignat, alias cognitiones certas praesupponit.

Nam inesse in me hunc instinctum vel necessitatem, debet mihi aperiri per conscientiam, quam fidelem veritatis testem esse certo cognoscere debeo. Eiusmodi porro instinctum vel necessitatem necessariam habere cum veritate conexionem, his vel illis saltem condicionibus, debeo certo cognoscere ope reflexionis et ratiocinii; secus enim nescio, num isto instinctu in verum ducar an in falsum.

Arg. 2 *(ex instinctus istius caecitate).* Illud non potest esse criterium veritatis et certitudinis principium, quod omnem rationabilem certitudinem perimit et universalem inducit dubitationem. *Atqui* id efficit naturalis ille instinctus vel caeca illa necessitas.

Neque aliud quid volunt sceptici, nisi certitudinem omnem esse irrationalem eo, quod nullius iudicii veritatem humana mens cognoscere nec naturalis certitudinis rationem sibi reddere possit. Et id ipsum adversarii docent vel concedunt eo, quod dirae illius necessitatis nullam rationem assignant, quam mente percipere et intellegere possimus.

Arg. 3 *(ex natura hominis rationali).* Si instinctus ille caecus vel naturalis ista necessitas esset supremum veritalis et certitudinis fundamentum, ratio humana in primariis suis actibus, quibus omnes aliae cogitationes innituntur, ageret modo irrationali; ageret non, ut decet ens rationale intellegens, sed ageretur potius more pecudum atque etiam lapidum. *Atqui* eiusmodi operandi modus repugnat naturae intellectivae.

Experientia teste intellectus noster non caeco modo intellegit, sed intellegendo veritatem etiam veritatis rationes intellegit et etiam se intellegere intellegit [1]. Ex quo oritur certitudo, quae nihil aliud est quam firma mentis adhaesio ad veritatem cognitam, ut haec est cognita. Perspicuum est igitur instinctum istum caecum et notioni cognitionis et notioni certitudinis omnino repugnare.

791. Pars II. De subiectiva affectione.

Arg. 1 *(ex fallibilitate affectionis subiectivae).* Suprema norma, qua veritas a falsitate discernitur, debet esse eiusmodi, ut numquam sit cum falsitate coniuncta et ex natura sua sese tamquam veritatis indicium manifestet. *Atqui* affectus, quem adversarii fingunt, potest cum falsitate consistere, nec ullo modo ut clarum et certum veritatis indicium manifestatur.

Arg. 2 *(ex affectionis subiectivae mutabilitate).* Illud non potest esse suprema veritatis norma, quod mutabilitati est ob-

[1] Cf. *Kleutgen,* Philosophie der Vorzeit n. 307.

noxium, quod a physica subiecti constitutione et accidentali dispositione, phantasia, praeconceptis opinionibus, cupiditatibus maximopere pendet. *Atqui* interior ille animi affectus huic mutabilitati obnoxius est.

Alius ad severitatem propensus et acerbus iustitiae exactor Deum severum iudicem finget, qui omne peccatum puniat, alius eum finget hoc vel illud solum peccatum puniturum, cui vel ipse non est adeo obnoxius, vel quo ipsi ab aliis damnum infertur; alius Deum finget optimum quasi patrem, qui nullam creaturam patiatur esse miseram in aeternum; alius denique Deum infinitum summae maiestatis putat non curaturum has res terrenas, nos homunculos nostrasque actiones bonas vel malas. Atque ita in aliis rebus, quae sunt maximi momenti, pro diverso cuiusque affectu aliud erit iudicium.

792. Thesis 37. Neque conscientiae testimonium neque perceptio sive idea subiectiva clara et distincta universale veritatis criterium et certitudinis principium esse potest.

Ad stat. quaest. 1. Prior thesis huius pars contra doctrinam ponitur, quae *Galluppio* ascribitur, altera contra *Cartesium*.

2. Non negamus conscientiam ad certitudinem requiri. Est enim conscientia principium *manifestativum* omnis certitudinis subiectivae, et propterea eius veracitas est *condicio* ad omnem veram certitudinem subiectivam actualem requisita[1]. At aliud est principium manifestans assensum certum, et aliud principium movens ad assensum certum ponendum. Rationem motivi assensus conscientia solum habet quoad suum obiectum proprium (facta interna).

Neque tamen requiritur, ut veram motivi ipsius naturam perspiciamus illudque ab aliis omnibus possimus distinguere; sed satis est, ut intellegamus *adesse* motivum ad assensum prudenter ponendum ex parte obiecti, neque nos agere ex sola ratione subiectiva. Prior illa motivi perfecta cognitio per se non requiritur nisi ad certitudinem reflexam et scientificam.

3. Negamus in idea clara atque distincta *mere subiectiva* principium certitudinis reperiri posse. Non vero negamus ad certitudinem proprie dictam requiri apprehensionem claram et distinctam motivi obiectivi, quo intellectus ad firmum et certum assensum prudenter moveri possit.

Quamdiu enim ratione nostra non clare videmus rem ita esse, ut concipitur a nobis, et aliter esse non posse, iusto iure dubitare licet[2].

---

[1] *Kleutgen* l. c. n. 107. [2] Cf. ibid. n. 259 266.

Apprehensio igitur motivi obiectivi clara atque distincta est *condicio,* ut motivum obiectivum vim suam intellectui applicare possit. Neque raro subiectivam nostram cognitionem rationis loco indicamus, cur assentiamur, velut cum dicimus: Hoc verum est, quia clare perspexi. At hoc responsum ea solum ratione ut legitimum et sufficiens admitti potest, quatenus in cognitione subiectiva explicite allata motivum obiectivum determinans ipsam implicite cognitum includitur.

Hac de re card. *de Lugo:* „Sicut qui assentitur conclusioni propter praemissas, interrogatus, cur assensum probaverit, potest dupliciter respondere: 1° reddendo pro ratione obiecta solum praemissarum (i. e. solas praemissas obiectivas): ‚Ego affirmavi *Petrum esse risibilem,* quia omnis homo est risibilis et quia Petrus est homo'; qua ratione satisfacit abunde interrogationi et reddit plenam rationem sui assensus. 2° tamen potest aliter respondere recurrendo ad praemissas formales et dicendo: ‚Ego sensi *Petrum esse risibilem,* quia habui evidentiam de praemissis et evidenter iudicavi omnem hominem esse risibilem et Petrum esse hominem.' Qua etiam ratione optime satisfacit interroganti." [1] Simili ratione intellegenda sunt verba *S. Thomae,* cum dicit: „Per lumen naturale intellectus redditur certus de his, quae lumine illo cognoscit, ut de primis principiis." [2]

793. Pars I. Conscientiae testimonium non est certitudinis principium.

Argumentum *(ex obiecto conscientiae).* Conscientia docet solum, me hanc claram huius vel illius rei cognitionem actu habere, ipsam autem rationem conformitatis cognitionis cum obiecto vel identitatis inter subiectum et praedicatum non manifestat quoad omnes veritates, sed quoad facta interna tantum. *Atqui* quod non manifestat rationem conformitatis cognitionis cum obiecto vel identitatis inter subiectum et praedicatum quoad omnes veritates, non potest esse criterium veritatis supremum nec omnis certitudinis ultimum fundamentum. *Ergo.*

Ad mai. Conscientiae testimonium, praeterquam quod ad sola facta interna restringitur, haec ipsa non secundum ipsorum naturam causasque attingit, sed tantum secundum eorum actualem in subiecto praesentiam.

Ad min. Supremum veritatis criterium non ad solas cognitiones factorum internorum, sed etiam externorum, neque ad solam cognitionem reflexam, sed etiam ad cognitionem directam, neque denique ad cognitiones tantum circa rerum in mente cogno-

[1] Tract. de fide disp. 1, sect. 2, n. 18.
[2] S. c. gent. 3, 154.

scente exsistentiam, sed etiam ad cognitiones secundum essentias et causas rerum sese extendere debet.

794. Pars II. Idea clara subiectiva non est certitudinis principium.

Arg. 1 *(ex huius ideae indole subiectiva).* Supremum veritatis criterium est norma, secundum quam cognitiones veras a falsis distinguimus atque firmam de obtenta veritate certitudinem nanciscimur; *atqui* idea illa subiectiva clara atque distincta tantum abest, ut ipsa eiusmodi norma sit, ut eius normae potius ipsa indigeat; *ergo* idea subiectiva non est principium certitudinis.

Ad min. Idea est subiectiva obiecti cogniti repraesentatio, quae eatenus vera est et certam cognitionem efficit, quatenus obiecto cognito conformis est atque ut conformis perspicitur. Cum ergo obiectum sit mensura cognitionis et certitudinis, intellectus est mensurandus et dirigendus ab obiecto, non autem ipse est mensurans ac dirigens obiectum.

Arg. 2 *(ex ideae subiectivae mutabilitate).* Norma veritatis debet esse fixa atque etiam immutabilis, sicut ipsa veritas diiudicanda, et independens a condicionibus subiecti et ex se ab omni abusu malo remotissima. *Atqui* haec immutabilitas et independentia non habetur ex parte subiecti. Nam claritas et distinctio perceptionis saepissime pendet ab accidentalibus causis et adiunctis subiecti, ut ab eius dispositione actuali, a gradu attentionis aliisque in hoc genere.

Quanto tandem abusui hoc criterium obnoxium sit, ex ipso more *Cartesii* patet. Exsistantne terra, caelum, sidera, clare et distincte non videt, neque utrum pedibus ambulet necne, neque bis quaterna esse octo; attamen putat se clare et distincte videre, se esse substantiam, cuius tota natura et essentia sit cogitare; omnia, etiam metaphysice necessaria, a libera voluntate Dei pendere, qua *circulus etiam quadratus esse* et *bis quaterna novem esse* possint.

795. Arg. 3 *(ex circulo vitioso Cartesii).* Cartesius ex una parte *claritatem* cognitionis statuit ut universale criterium veritatis et motivum certitudinis, et ex altera parte fatetur se de huius criterii valore et infallibilitate nihil certo scire posse nisi prius cognito Deo; *atqui* ita committitur circulus; *ergo* doctrina Cartesii admitti nequit.

Ad mai. 1. Dicit: „Ideo iam videor pro regula generali posse statuere illud omne verum esse, quod valde clare et distincte percipio“ [1], et hoc statuit tamquam initium certitudinis post ten-

[1] Medit. 3, ed. *Adam* et *Tannery* VII 35.

tatam saltem dubitationem universalem, et ideo aequivalet dicto: Illud omne et illud solum certum est.

2. Sicut omnem certitudinem, ita etiam certitudinem de infallibilitate sui criterii, scil. ideae clarae, petit ex cognito Deo. „Plane video omnis scientiae certitudinem et veritatem ab una vera Dei cognitione pendere, adeo ut priusquam illum nossem, nihil de ulla re scire potuerim“ [1], et: „Omnis clara et distincta perceptio procul dubio est aliquid, ac proinde a nihilo esse non potest, sed necessario Deum habet auctorem, Deum inquam, illum summe perfectum, quem fallacem esse repugnat; ideoque procul dubio est vera“ [2].

Ad min. Certe circulum committit, qui dicit: Scio Deum esse, quia habeo claram ideam Dei, et: Ideam claram esse veram scio, quia Deum novi, vel breviter: Omnis idea clara est vera, quia Deus est; Deus est, quia omnis idea clara est vera.

Nota. 1. Recte quidem sentit Cartesius Deum esse ultimam rationem ontologicam sicut omnis esse, ita etiam omnis veritatis; Deum esse auctorem etiam nostrarum facultatum, et etiam inde concludi facultates nostras non posse esse per se fallibiles; attamen Deum non immediate cognoscimus, sed ex rebus finitis creatis a nobis prius certo cognitis.

2. Potest claritas cognitionis poni ut criterium veritatis, si recte intellegitur, ut scil. in obiectiva claritate fundata et ex obiectiva evidentia orta. Sed non potest criterium veritatis poni in mere subiectiva evidentia et subiectiva necessitate, praesertim si etiam, ut Cartesio placuit, omnis rerum possibilitas et impossibilitas ad *liberam* Dei dispositionem reducitur (ut alibi dicetur).

ARTICULUS II.

De falsis criteriis obiectivis.

796. **Thesis 38.** **Pragmatismus modernus reiciendus est et omnis doctrina, quae ultimum et universale veritatis criterium ponit in utilitate quacumque practica.**

Ad stat. quaest. 1. Pragmatismus ea vocatur moderna philosophia, quae omnem veritatem humanam ad usum vitae practicae refert et ideo criterium veritatis in utilitate ponit. Nomen *pragmatismi* primus adhibuisse videtur *C. Peirce* anno 1879; dixit omnes cognitiones nostras de facto esse regulas actionis nostrae earumque veritatem consistere in earum valore practico. Propagavit hanc doctrinam imprimis *W. James* americanus; qui in opere suo de pragmatismo docet munus totum philosophiae in eo consistere debere, ut inveniat, quidnam pro quolibet mo-

[1] Medit. 5, l. c. 71. [2] Medit. 4, l. c. 62.

mento vitae pro me inde pendeat, utrum haec vel illa mundi formula vera sit[1]. Reiectis et contemptis abstractionibus et demonstrationibus aprioristicis, nimirum inutilibus, ad realitatem et activitatem pragmatismus tendit. Neque vero certas et determinatas propositiones seu conclusiones statuit; non enim est *systema veritatum*, sed *mera methodus;* si admittit theorias, eas non admittit et profert ut responsa ad quaestiones, sed ut instrumenta actionis; non habet dogmata neque doctrinam praeter methodum. Ita etiam ideas religiosas seu theologicas in tantum ut veras admittit, in quantum aliquid valent ad vitam practicam; et generatim ideae, utpote partes nostrae experientiae, in tantum praecise sunt verae, in quantum nos iuvant ad rectam habitudinem ad alias partes et ad totum complexum experientiae nostrae. Verum igitur est species boni. Criterium veritatis statuitur[2]: congruentia cum nostro statu et condicione vitae et utilitas ad eam continuandam et perficiendam.

Per se patet ita includi in conceptu veritatis relativismum et mutabilitatem. Ita e. g. James[3] putat conceptum substantiae ad nihil prorsus aliud practice valere nisi ad aliquo modo explicandum mysterium Eucharistiae, et ideo sub hoc respectu haberi posse ut verum pro iis, qui ex aliis rationibus illud mysterium admiserint. Recte James ait pragmatismum omnibus theoriis auferre rigorem et immutabilitatem, eas reddere flexibiles et simul theorias omnes, licet theoretice contrarias, admittere. — Ita conceptus Dei entis absoluti, libertatis, finis, veri esse possunt, quando ad finem practicum iuvant. Tali doctrina seu „methodo" omnem certitudinem destrui et libertinismo sceptico tum theoretico tum practico ianuas aperiri patet.

Cum haec doctrina omnia referat ad vitam practicam *hominis, F. C. S. Schiller* professor oxoniensis eam vocat *humanismum;* mundus nobis adest per cognitionem; quid in se et sit vel fuerit inquirere inutile est, nobis est id quod ex ipso tamquam ex materia plastica per cognitionem formamus[4].

Pragmatismum nunc etiam in Germania propagat inter alios *Jerusalem* et suo modo *Vaihinger,* qui in sua „Philosophia ac si" omnem cognitionem ad aliquam fictionem reducit. Aperte dicit conformitatem cum realitate ut criterium veritatis tandem relinquendum esse; fictionem maxime utilem seu errorem maxime practicum esse veritatem, errorem nihil aliud quam fictionem minime practicam[5].

---

[1] Der Pragmatismus von *William James.* Aus dem Englischen übersetzt von *W. Jerusalem,* Leipzig 1908, 31.

[2] Ibid. 51. [3] Ibid. 54.

[4] Humanism (1903).

[5] „Das Bestreben der Wissenschaft geht darauf aus, die Vorstellungswelt zu einem immer brauchbareren Instrument der Berechnung und des Handelns zu machen; also ist die Vorstellungswelt, welche aus diesem Bestreben resultiert, und welche man gewöhnlich Wahrheit nennt, nur der zweckmäßigste Irrtum, d. h. diejenige Vorstellungsweise, welche am raschesten, elegantesten, sichersten und am wenigsten mit irrationalen Elementen besetzt Handeln und Berechnen am meisten ermöglicht... und Irrtum [ist] der unzweckmäßigste Grad

797. 2. In Gallia pragmatismum alium vere phantasticum tradit *H. Bergson*[1]. Haeret in absoluto omnium rerum evolutionismo. Unde materia sit, explicatum ab ipso non inveni, sed dicit in materiam ingressam esse vim aliquam vitalem quam maximam, quae in materia se variis modis continuo evolvat; non admittit universalem eam evolutionem, secundum quam ab inferioribus se per gradus ad superiora evolvant, et ideo non considerat intellectum ut altius genus vitae sensitivae seu instinctus. Instinctum non videtur ut cognitionem considerare, sed ut vim quandam vitalem plasticam. Duplicem deinde statuit evolutionem: in instinctum et in intellectum; quae sint evolutiones duae in lineis (ab initio?) divergentibus. Intellectus obiectum dicit esse materiam non vivam; intellectu vitam cognosci non posse, quia non possit successionem capere. Dicit enim cognitionem veram (uti ipsum mundum) debere esse cinematographicam. Errorem maxime fundamentalem philosophorum fuisse, quod putaverint rem motam, currentem, cogitari seu repraesentari posse per rem quietam, actionem per statum, continuum fluxum per partes seu puncta quieta: quod putarint intellectum esse aliquid distinctum et prius ad rerum evolutionem, cum sit ipsius evolutionis effectus; tandem quod putarint *finem et functionem intellectus esse repraesentationem speculativam essentiarum rerum, cum intellectus adsit et dirigatur ad actionem.*

Dicit realitatem nobis optime notam esse nostram propriam, i. e. existentiam subiecti psychologicam; hanc autem consistere in motu continuo, nam nos non posse cognoscere nosmet ipsos nisi in aliqua nostra mutatione; conscientiam et ideo omnem vitam consistere in fluxu activitatis; tale autem vivum et motum esse non posse obiectum intellectus nostri. Ei substituit aliquam intuitionem, qua sicut nos in actionibus nostris consciis, ita totum universi cursum quasi comprehendere conari nos vult, non intellegendo, sed simul vivendo cum vita universali.

Falsum quidem est per rem quietam non posse cognosci rem motam; falsum est intellectum nostrum successionem continuam temporis non cogitare posse nisi ad modum partium quietarum seu in limitibus partium vel quasi punctorum quiescentium. Poterit adversarius apud magistros philosophiae christianae clare explicatum invenire conceptum continui, non solum simultanei sed etiam

---

der Vorstellung, der Fiktion. Unsere Vorstellungswelt heißen wir dann wahr, wenn sie uns erlaubt, am besten die Objektivität zu berechnen und in ihr zu handeln; denn die sog. Übereinstimmung mit der Wirklichkeit ist doch endlich als Kriterium aufzugeben." *Vaihinger,* Philosophie des Als ob 193; cf. Zeitschrift für Philosophie und philosophische Kritik 147 (1912) 174. — Si veritas consistit in conformitate cum re, intellegitur veritatem etiam ad agendum optime servire, errorem impedire. Si vero veritas non consistit in conformitate cum re, tunc non videtur ratio manere, cur una cogitatio prae alia sit aut verior aut utilior. Cogita, quod tibi placet — ad construendum mundum phantasticum non requiritur utique veritas nec impedit falsitas elementorum. Montem phantasticum aedificare potes ex lapidibus vel ex vento.

[1] L'évolution créatrice[6] (1910).

successivi, motus et temporis, et etiam differentiam inter tempus, aevum, aeternitatem. Verum est perfectius eum hominem forte cognoscere, quid sit motus, qui non solum intellectu sed etiam propria interna experientia motum cognovit; sed intuitione illa, quae in propria experientia vitali habetur, non valemus cognoscere nisi nostros motus actuales. Quid autem significet intuitio ab intellectu immediate cognoscente distincta, de qua Bergson loquitur, ipse explicare nec potuit nec poterit.

798. 3. Pragmatismum plus minusve profitentur in Gallia *Blondel, Le Roy,* alii.

Alii vero, ut *E. Mach, R. Avenarius,* recurrunt ad successum practicum et statuunt principium accommodationis simplicissimae (principium minimae summae virium adhibendae, oeconomia cogitandi). Intellectus debet, ita volunt, sensationes et experientias ita ordinare, ut cum minimo labore possimus esse superstites in pugna multiformi huius vitae. Quod huic fini intellectus correspondet, verum est. *Volkelt* hoc principium appellat „principium commoditatis" vel „principium pigritiae mentis". *R. v. Schubert-Soldern* voluptatem statuit ut criterium veritatis. Alii unice volunt respicere finem biologicum (evolutionis); alii utilitatem, quam ut criterium veritatis statuunt, ita intellegunt, ut eas cognitiones veras dicant, quas quis per experientiam et usum verificare possit.

Sicut impossibile est doctrinam systematice exponere, quae ex auctorum professione systema non est, ita etiam impossibile est pragmatismi asseclas in certas classes clare distribuere, cum vix in ulla assertione semper consequenter et constanter se teneant.

4. Non negamus veritatem maximae nobis esse utilitatis, neque negamus aliquando ex utilitate alicuius doctrinae eius veritatem vel confirmari, vel si agatur de utilitate necessaria et fructibus uberrimis, etiam abunde demonstrari posse. Sed omnino negandum est omnem veritatem ab eius utilitate pendere seu utilitatem admitti posse ut veritatis criterium universale et ultimum.

799. Arg. 1 *(ex immutabilitate et universalitate criterii veritatis).* Veritatis et certitudinis conceptu contra relativismum et scepticismum defenso, constat criterium veritatis debere esse immutabile et universale; *atqui* utilitas neque est immutabilis neque universalis; *ergo* utilitas nequit esse criterium ultimum veritatis, ideoque pragmatismus absurdus est.

Ad mai. Qui non admittit veritatem absolutam, sed relativam tantum vel ad certum intellectum vel ad certum statum individualem, logice ducitur ad scepticismum; *atqui* criterium mutabile vel relativum ipsam veritatem facit mutabilem et relativam; *ergo* criterium debet esse immutabile et universale.

Prob. min. 1. Minor ab ipsis pragmatistis conceditur: sunt enim de facto relativistae. 2. Patet etiam ex ipsa notione utilis et diversitate hominum et condicionum. Eadem enim assertio potest uni esse valde utilis, alii perniciosa, et eidem homini nunc utilis, alio tempore noxia; ergo certe non potest ut criterium veritatis admitti utilitas privata. Neque potest admitti refugium ad utilitatem communem generis humani vel ipsius universi, nam de paucissimis quaestionibus ulli homini possibile est discernere, utrum responsum affirmativum an negativum utilius sit illi complexui; in iis autem, in quibus id forte dicere valemus, non per se ex *utilitate* ad veritatem, sed ex aliunde cognitis veritatibus ad utilitatem concludere possumus. Quod magis patebit ex argumento sequenti.

800. **Arg. 2** *(ex conceptu boni utilis).* Illud non potest esse criterium ultimum et universale veritatis, quod 1° non potest ut tale cognosci, nisi prius alia certo cognoscantur; 2° quod non habet necessariam cum veritate conexionem. *Atqui* 1° ut aliquid cognoscam tamquam utile, necessario prius alia cognoscere debeo; 2° non omne quod certo cognoscitur utile, necessario verum est. *Ergo* utilitas nequit admitti ut criterium ultimum veritatis.

Prob. min. per partes. 1. Utile dicit relationem medii ad aliquem finem; *atqui* relatio cognosci nequit nisi prius cognito subiecto, termino, fundamento relationis; *ergo* non potest quidquam cognosci ut utile, nisi cognoscatur ipsum in se, terminus ad quem utile sit, et ratio cur ad illum terminum utile sit.

2. Quamvis generatim concedi debeat omne verum ens esse bonum (sibi aut alteri), tamen actu utile esse non potest, nisi vere actu exsistat. Iam intellectus noster pro sua universalitate cogitare potest quam plurima possibilia, quae si exsisterent, nobis essent valde utilia; inde autem nemo sanae mentis iam iudicabit ea vere exsistere. — Velit pragmatista attente considerare, quae theologi docent de caelo, de gloria beatitudinis supernaturalis. Nemo negaverit, ea si vera fuerint, nobis esse quam maxime utilia, ita ut utilius nihil sane excogitari possit; etiam sane maxime valent ad ciendam voluntatem ad actiones etiam ceteroquin difficillimas. Cur ipse pragmatista ea non ut vera admittit? Christianus quisque ea utique certissimo intellectus assensu ut vera admittit neque errare in hoc assensu potest. Sed non ea admittit, quia pulchra vel utilia sunt; nam ex eodem fonte, quo scit ea esse vera, etiam scit ea esse dona et promissa gratuita omnem naturae ordinem excedentia. Non enim ex utilitate quacumque rei consequitur eius veritas. Deum ut obiectum infinitum beati-

tudinis naturalis utique etiam sola ratio certo cognoscere potest, sed non ex mera utilitate sed ex necessitate. Sicuti enim ex cognita natura finita hominis et omnium rerum finitarum concludimus ad Deum creatorem, ita ex ordine morali cognito conclusio certa est ad Deum remuneratorem, et ex naturali desiderio et destinatione hominis certo et recte concluditur exsistentia Dei summi boni et obiecti beatitudinis. Insuper inde recte concluditur hominem ab isto fine obtinendo non exclusum iri sine sua propria culpa; at licet utilissima sit perseverantia in bono, inde nemo certo concludere iam potest se in bono perseveraturum neque sua culpa periturum. Brevi, *ex utilitate sola* non sequitur rei veritas, seu non est necessaria conexio inter utilitatem et veritatem.

801. Arg. 3 *(ex conceptu et munere intellectus)*[1]. Conveniunt pragmatistae in eo, ut finem intellectus nostri primarium dicant esse actionem nostram vitalem et ut intellectum voluntati seu actioni subordinent; *atqui prius* aut falsum est aut ambiguum, *alterum* omnino falsum; *ergo* pragmatismus absurdus est.

Prob. min. per partes.

1. *Relatio intellectus ad actionem vitalem.*

a) Finis intellectus utpote facultatis cognoscitivae proximus et maxime intrinsecus est ipsa veritatis cognitio.

b) Nulla est ratio restringendi munus intellectus utpote facultatis universalis ad ambitum actionis *propriae.*

c) Certe munus intellectus est etiam, ut dirigat actiones humanas, scil. eas quae ab hominis voluntate pendent, sed dirigere eas debet secundum rectam rationem, i. e. non solum respiciendo suum bonum, sed etiam normam et finem supremum extrinsecum ultimum, scil. Deum eiusque leges ab intellectu quidem certo cognoscibiles.

d) Si dicitur intellectum subordinari vitae, id consideratis ideis evolutionisticis plurimorum (si non omnium) pragmatistarum ad minimum est ambiguum; non enim est finis vitae illimitata entitatis et facultatum evolutio progressiva. Verumtamen ipsa vita intellectiva utique est functio suprema et nobilissima vitae humanae; eius autem obiectum nullatenus restringitur ad actiones proprias et ad media ad agendum, sed se extendit ad omnem sapientiam, quae completur in eo, ut cognoscantur res ut sunt, scil. ut vestigia et imagines entis primi Dei, in cuius intellectiva possessione erit status perfectus vitae humanae utpote entis rationalis.

[1] Cf. *Beßmer* in Stimmen aus Maria-Laach 71 (1906) 154 sq, praesertim p. 156.

802. 2. *Relatio intellectus ad voluntatem.*

Falso intellectus simpliciter subicitur voluntatis primatui. Supremam suam dignitatem voluntas humana habet inde, quod sit appetitus rationalis; atque ut appetitus rationalis sequi debet dictamina rationis. Etiam radix dotis nobilissimae voluntatis, nimirum libertatis, est intellectus cognoscens boni supremi necessitatem absolutam, rerum autem aliarum et etiam actionum aut necessitatem aut indifferentiam secundum respectum earum ad bonum istud necessarium. Intellectus docet, quid agendum, quibus rebus utendum, a quibus abstinendum; duce intellectu voluntas libera recte utitur suo dominio in facultates, actiones et res, in quantum homini subsunt. Potest voluntas etiam aliquem influxum exercere in ipsum exercitium intellectus, sed consequenter ad cognitionem intellectus, et si recte agere vult, etiam in hoc secundum dictamen rationis. Tandem complebitur ipsa voluntas ultimatim in gaudio de bono supremo per intellectum possesso.

803. **Arg. 4** *(ex differentia inter certam cognitionem et meram hypothesim).* Ea doctrina est falsa, quae tollit omne discrimen inter certam cognitionem et meram hypothesim; *atqui* pragmatismus sublata omni vera certitudine omnes cognitiones nostras reducit ad meras hypotheses; *ergo* pragmatismus est falsus.

Ad mai. De valore et utilitate hypothesis satis dictum est libro priore (n. 310 sq); sed valor et utilitas hypothesis nullus manet, nisi innitatur in aliquibus certo praecognitis. Serius investigator non fingit hypotheses ad merum lusum, sed ut facta certa explicare possit, assumit interim causas possibiles probabiles, et finis tandem est vel certitudo, vel quamdiu non eo usque pervenitur, maior probabilitas. Si autem omnia praecognita ipsa fuerint dubia, labor totus inutilis manebit.

Ad min. Id aperte fatentur pragmatistae, uti iam satis in statu quaestionis dictum est. Propterea licet multa in decursu asserant sine haesitatione, quamprimum ad quaestionem alicuius momenti veniunt, v. g. debeatne admitti Deus, sitne verus optimismus an pessimismus. De religione responsum certum et univocum frustra exspectabis. Atque etiam ea quae in decursu assertorie proferunt, secundum ipsorum principia solum valent, in quantum ipsis visa sunt utilia ad sua sensa aliquo modo suadenda.

804. **Arg. 5** *(ex conceptu methodi).* *James* et pragmatistae passim fatentur pragmatismum non esse systema dogmaticum scientiae, sed *meram methodum; atqui* 1° *methodus* ex conceptu suo includit et supponit veram et certam cognitionem speculativam, et 2° prag-

matismus ne quidem consideratus ut mera methodus est ullius valoris; *ergo* pragmatismus reiciendus est.

Prob. min. 1. Methodus vi vocis et ex usu recepto significat viam tutam perveniendi ad certum finem obtinendum; ut igitur aliquis methodum construat et doceat, praerequiritur, ut aliquam veram prius habeat cognitionem finis et mediorum.

2. Tamquam optimam pragmatismi descriptionem ex pragmatista italo Papini affert *James* hanc: atrium magni aedificii inter innumera cubicula, in quorum uno aliquis scribit librum atheisticum, in altero genibus flexis alter orat, in tertio chimicus corpus aliquod examini subicit, in quarto alius concipit systema metaphysicae idealisticae, in quinto omnis metaphysicae impossibilitas demonstratur; via autem unice practica ad omnia ista cubicula est istud atrium.

Ergo „methodus" pragmatismi est via aeque utilis ad verum et falsum; ita haeret in nocte sceptica vel caeca. „Pragmatismus ad omnia est expeditus, sequitur logicam aut sensus", uti alio loco James dicit.

CAPUT III.

De evidentia, vero certitudinis principio.

805. **Thesis 39.** **Principium infallibile certitudinis naturalis est evidentia obiectiva menti se ipsam manifestans.**

Ad stat. quaest. 1. Principium certitudinis diximus esse illud unum, per se notum cum veritate necessario coniunctum, quo movente et universaliter et infallibiliter et ultimatim verum certumque a falso vel non certo distinguimus et de acquisita veritate certi efficimur.

2. Evidentia *(ἐνάργεια)* ex primitivo vocis usu est necessaria obiecti sensibilis visibilitas, quae nimirum ita facultatem visivam percellit, ut non possit obiectum non videre.

Includit vel connotat tria: obiecti realitatem; lucem id illustrantem, qua illud efficiatur visibile; facultatem, cui obiectum actu se manifestat.

Translata vox ad res intellegibiles significat necessariam obiecti intellegibilitatem; quae iterum dicit tria: obiectum (id ipsum, quod, cum effertur propositione, „enuntiabile" dicitur); lucem sive motiva, quae obiecti veritatem indubiam reddunt; manifestationem illam actualem, qua illa veritatis sive obiecti necessitas menti fit perspicua. Haec necessaria intellegibilitas etsi ipsi obiecto inest, cum tamen vim suam non prodat nisi in

mentem obiectum actu percipientem, necessario involvit ordinem ad intellectum, cui res est evidens.

806. 3. Primario igitur evidentia dicitur de *obiecto*.

Atque haec obiectiva evidentia in concreto accipi potest atque etiam in abstracto. Evidentia in concreto sive evidens est illa veritas vel res, quae sese intellectui quasi videndam obicit. Evidentia in abstracto est ipsa clara rei visibilitas sive perspicuitas, vi cuius res clare videtur, seu est „fulgor quidam veritatis". Ut conceptus evidentiae clarius concipiatur, attendatur ad differentiam, quae est inter alicuius propositionis seu enuntiabilis obiectivam veritatem, obiectivam certitudinem et obiectivam evidentiam.

Veritas obiectiva propositionis in eo sita est, quod tale praedicatum revera in ordine obiectivo tali subiecto inest. Veritas obiectiva pro omni intellectu eadem est; v. g. propositio: Numerus stellarum est par, aut falsa aut omni intellectui vera est.

Certitudo obiectiva interdum sumitur pro ipsa rei veritate; sed pressius sumitur pro veritate obiectiva talibus rationibus manifestata, quae omne dubium de veritate tollunt. Patet multa esse in se vera, quae saltem intellectui limitato non sunt certa. Ut aliquid *nobis* dici possit *obiective* certum, debet esse nobis certo cognoscibile. Certitudo obiectiva altero sensu pressiore sumpta ab *evidentia* non differt nisi eo, quod certitudo magis explicite efferat motivum assensus esse firmum, evidentia potius motivi obiectivi claritatem seu perspicuitatem.

Non omne verum eo ipso omni intellectui evidens est. Evidentia enim includit respectum ad intellectum. Ut igitur aliquod obiectum certo intellectui evidens sit, requiritur, ut sit proportionatum intellectui et possit ita illi intellectui proponi, ut illi clare appareat.

807. 4. Evidentia *subiectiva*. Ab *obiectiva* significandi ratione vox ad vim etiam subiectivam trahitur. Evidentia *subiective* spectata est cognitionis perspicuitas, omnem removens formidinem, sive perceptionis claritas rem quasi videntis. Itaque „evidentia duplex est, altera obiecti, altera cognitionis. Illa est claritas et perspicuitas, qua res ita potentiae obicitur, ut ab ea quasi videatur; haec est ipsa claritas perceptionis rem penetrantis" [1].

Et quia clara perceptio veritatis esse non potest, quin sit veritas clare perceptibilis, manifestum est evidentiam subiectivam sine obiectiva esse non posse. E contrario evidentia obiectiva sine subiectiva esse potest, quia veritas aliqua in se clara per-

[1] *Conimbricenses* in l. 1 anal. post. c. 26, q. 1, a. 3.

ceptibilis esse potest, neque tamen clare percipi a mente, quae impedita sit. Si utraque adest, eius effectus in assensus necessitate situs est, sive in eo, quod veritas a mente non videri non possit. Est enim haec evidentia nihil aliud quam proportio perfecta sive commensuratio inter rem veram et intellectus naturalem capacitatem, propter quam intuitus intellectus naturali necessitate in ea figitur[1]. Verum haec necessitas non est id, quod ipsam evidentiam formaliter constituit, sed potius est effectus evidentiae. Ratio enim formalis evidentiae in ipsa veritatis perspicuitate cernitur, qua ita sese menti manifestat, ut eam cum necessitate ad assensum trahat.

808. 5. Dicitur in thesi: „evidentia *obiectiva* menti se ipsam manifestans". Evidentia seu obiectiva intellegibilitas (visibilitas) secundum se accepta est *causa,* cur veritas certo cognosci *possit,* non autem cur *actu* cum certitudine cognoscatur; ad hoc requiritur, ut causa suum influxum exerceat, i. e. menti se manifestet.

Itaque evidentia *subiectiva,* qua obiectiva menti manifestetur atque vim suam in intellectum exercere possit, non modo non excluditur, sed omnino requiritur, attamen non ut formale assensus motivum, sed ut eius *condicio* tantum; vel ut alii dicunt, quasi in genere causae formalis, qua intellectus proxime ad praestandum assensum firmum disponatur. Evidentia utraque, cum suo modo ad gignendam certitudinem concurrat, iure merito dicuntur esse partes integrales unius evidentiae totalis.

809. 6. Additur „naturalis", ut a disputatione excludatur certitudo fidei supernaturalis, quae supremam ipsius Dei auctoritatem pro solo habet motivo assensus; quamquam et ipsa, ut rationabile obsequium sit, praesupponit cognitionem certam naturalem tamquam condicionem (cf. supra n. 781, 5).

7. Thesim dividimus in duas partes; parte priore consideratur *quaestio facti* et demonstratur, id ad quod ultimatim omnis certitudo naturalis reducitur, *de facto* esse evidentiam obiectivam; altera parte consideratur *quaestio iuris,* et defenditur evidentia ut principium *infallibile.*

8. Haec doctrina nostra est ex mente *S. Thomae,* atque cum fundamentis philosophiae aristotelicae omnino conexa est. S. Thomas, etsi de hac re ex industria non disputavit, multis tamen locis mentem suam clare aperuit: „Ipsum, inquit, esse est causa veritatis, secundum quod est in cognitione intellectus."[2] „Veritas, quae in anima causatur a rebus, non sequitur aestima-

[1] Cf. *S. Thom.,* De verit. q. 14, a. 9. [2] 1 dist. 19, q. 5, a. 1.

tionem animae, sed exsistentiam rerum; ex eo enim, quod res est vel non est, oratio vera vel falsa dicitur, et intellectus similiter." [1] „Certitudo, quae est in scientia et intellectu, est ex ipsa evidentia eorum, quae certa esse dicuntur." [2] Agnoscit Aquinas, „per lumen naturale intellectum reddi certum de his, quae lumine illo cognoscat" [3]. „Lumen, secundum quod ad intellectum pertinet, nihil est aliud quam quaedam manifestatio veritatis." [4] *Aristoteles* ait: *Ὥστε ἀληθεύει μὲν ὁ τὸ διῃρημένον οἰόμενος διαιρεῖσθαι καὶ τὸ συγκείμενον συγκεῖσθαι· ἐψευσται δὲ ὁ ἐναντίως ἔχων ἢ τὰ πράγματα* [5]. Quo de loco *Trendelenburg:* „Enuntiatio . . . cum id sibi sumat, ut de rebus, quales sint vel non sint, iudicium ferat, ad rerum naturam tamquam ad normam necessariam exigenda est." [6]

810. Pars I. Quaestio facti.

Arg. 1 *(ex reflexione in principia particularia).* Principia „per quae" sive fontes omnes veritatis, quos enumeravimus, reducuntur ad experientiam (sensus externos et conscientiam), intellegentiam (intellegentiam artius dictam et ratiocinium), auctoritatem. Atque his rite adhibitis nos ad veram certitudinem pervenire ostendimus. *Atqui* per nullam viam hanc certitudinem adipiscimur nisi eo, quod obiectiva rerum veritas mentem nostram attingit suaque quasi luce illustrat. *Ergo* evidentia obiectiva est principium certitudinis.

Ad min. Principia, per quae indicatis supra condicionibus ad veritatem et certitudinem pervenimus, ideo sunt atque dicuntur etiam criteria veritatis et motiva certitudinis *partialia,* quia ipsis intervenientibus intellegimus, rem de qua agitur ita esse et aliter esse non posse, sive quia ipsis intervenientibus necessaria veritatis intellegibilitate sive evidentia obiectiva illustramur et certi reddimur. Quod si ita est, criterium veritatis et certitudinis motivum supremum, ultimum et universale est evidentia obiectiva.

Potest esse difficultas quoad assensum *fidei pure dictae* (cf. n. 725), quem diximus soli auctoritati ut motivo inniti, evidentiam autem cognitionis praeviae solum esse *condicionem.* Igitur minus recte dici videtur evidentiam esse *universale* certitudinis *motivum* et *principium.* Omnino verum est et libenter concedimus, esse actum certum, cuius *motivum proximum* et specificans non sit ipsius rei admissae evidentia (intrinseca). Sed etiam verum

[1] De verit. q. 1, a. 2 ad 3. [2] 3 dist. 23, q. 2, a. 2, sol. 3.
[3] S. c. gent. 3, 154. [4] S. th. 1, q. 106, a. 1.
[5] Met. 9 (1051 b 3). [6] Elem. logic. Arist. § 1.

est nullum esse posse actum certum, qui non aliquo vero modo reducatur ad evidentiam et ut certus possibilis sit ex evidentia, sive evidentia rei ingrediatur ipsum actum sive aliquam necessariam condicionem praeviam.

Arg. 2 *(ex natura certitudinis).* Illud est universale veritatis criterium et ultimum certitudinis motivum, quod requiritur et satis est, ut certus de veritate assensus ponatur, vel ut in possessa veritate securus quis esse possit; *atqui* eiusmodi criterium et motivum est evidentia obiectiva; *ergo.*

Ad min. Haec a) *requiritur.* Quamdiu enim tanta rei obiectivae manifestatio non adest, qua ostendatur et intellegatur rem ita esse et aliter esse non posse, formido erroris aut prudens dubitatio non excluditur.

Eadem b) *satis est.* Ut enim formidine omni erroris exclusa assensus certus poni possit, aliud ratione duce desiderari non potest, quam ut manifestatione rei obiectivae constet eam ita esse et aliter esse non posse. Si enim iudicium ex percepta evidentia obiectiva positum posset esse falsum, aut ipsae res falsae essent, aut intellectus natura sua ad falsum esset ordinatus. Res ipsae se manifestant tales, quales sunt, non autem tales, quales non sunt; ergo ipsae non sunt falsae. Neque intellectus ex se ad falsum ordinatus est; id quod ex alibi dictis satis apertum est (n. 484 sq 672 sq).

Arg. 3 *(ex indole intellectus humani).* Principium certitudinis indoli intellectus humani conforme esse debet. Sed „perfectio intellectus est verum ut cognitum“ [1].

Ea enim est indoles intellectus, utpote facultatis cognoscitivae, ut non quiescat, nisi videat rem ita esse, quiescat autem, si videat [2]. Id autem non videt intellectus, nisi res sive rei necessitas sit ipsi per cognitionem manifesta.

811. Pars II. Quaestio iuris.

Arg. 1 *(ex absurdis).* Si iudicium ex evidentia obiectiva positum posset esse falsum, aut res ipsae falsae essent, aut intellectus natura sua esset fallibilis et ineptus ad attingendum obiectum maxime proportionatum et proprium; *atqui* utrumque repugnat; *ergo* evidentia obiectiva est criterium infallibile.

Ad min. 1. Omnem omnino rem ontologice veram esse probatur in ontologia.

2. Intellectum nostrum ex natura sua ad verum cognoscendum ordinatum esse, ex iis quae de veritatibus primitivis, scepticismo, obiectivo valore idearum dicta sunt, manifestum est.

---

[1] *S. Thom.*, S. th. 1, q. 16, a. 2.

[2] *Kleutgen*, Philosophie der Vorzeit n. 274.

Arg. 2 *(ex demonstrata veracitate diversorum fontium cognitionis).* Certae sunt cognitiones omnes ac singulae, quas per varia a natura nobis concessa media legitime acquirimus; *atqui* ex priore parte propositionis constat universale criterium, secundum quod veritatem cognitionum per illa media haustarum a falsitate distinguimus, et ultimum motivum, propter quod eas plane pro certis habemus, esse evidentiam obiectivam; *ergo* evidentia est criterium infallibile.

812. ***Coroll. 1.*** Ergo non satis accurate dicunt, qui duplex criterium ultimum statuunt, alterum veritatis, certitudinis alterum[1].

Ex horum opinione criterium veritatis, sive id quo ultimo veritas a falsitate secernitur, est evidentia obiectiva; criterium certitudinis, sive id quo ultimo certitudo ab opinione secernitur, dicitur esse perceptio clara sive evidentia subiectiva. Criterium veritatis, inquiunt, est indoles ipsius veritatis propria et vim obiectivam habet, dum contra criterium certitudinis est indoles nostrae cognitionis propria. Veritatis criterium esse quidem *causam* nostrae certitudinis dicunt, sed non esse eo ipso *signum distinctivum,* cum effectus non semper cognoscatur ex sua causa, sed contra in rebus plurimis ex effectu cognoscatur causa. Cum certitudo, inquiunt, sit firma mentis adhaesio veritati cognitae sive clare perceptae, ipsa clara perceptio debet esse signum, quo adhaesio certa ab adhaesione fallibili discernatur.

Quae distinctio videtur esse subtilior quam verior. Nam illa „clara perceptio" accipi potest dupliciter. Si intellegitur ut primo et directe emergens ex subiecto cognoscente, praescindendo a re evidenter percepta, non potest esse ultimum principium certitudinis. Id enim non ex subiecto cognoscente, sed primo ex re cognita accipi debet. Si intellegitur ut effecta ab evidentia obiectiva, controversia ad litem de modo loquendi reducitur.

Coroll. 2. Ergo certitudo rationalis, quae in experientia sensili sive externa sive interna versatur, dubii exclusionem et vim persuasionis si spectes, eadem est atque certitudo rationis purae.

Nam per sensilem perceptionem tam clare cognosco et tam vehementer affirmo, *exsistere corpora,* quam per conscientiam, *me cogitare,* vel per intellectum, *totum esse maius sua parte.* Nihilo tamen secius essentialis est differentia inter certitudinem metaphysicam, physicam, moralem.

[1] Ita in Compend. philos. *Sulpit.*, Log. n. 42 sq.

Coroll. 3. Evidentia, ut est condicio a parte obiecti assensum determinans, respondet aptitudini mentis ad cognoscendum, quam diximus condicionem primam, illamque complet.

Illa evidentiae regula: Evidens est verum, idem dicit quod condicio prima: Mens ad cognoscendum id quod est, est apta, etsi sub diverso respectu. Primum directe exprimit elementum obiectivum, indirecte subiectivum; alterum contra directe exprimit elementum subiectivum, indirecte obiectivum.

Coroll. 4. Ergo cum obiectiva evidentia sit infallibiliter cum veritate conexa, a) nulla propositio evidens potest esse falsa; b) nulla propositio falsa umquam potest fieri evidens; c) qui de his dubitat, scepticismum inducit et sibi ipsi contradicit.

813. ***Scholion 1.*** Etsi unum est principium certitudinis, tres tamen sunt condiciones, quae ad constituendam certitudinem sunt necessariae: evidentia ontologica, perceptio clara, testimonium conscientiae.

In omni enim certitudine debet esse obiectum cognitum, subiectum cognoscens, utriusque coniunctio, quae est in cognitione[1].

Scholion 2. Cum evidentia ontologica manifestissime vim suam ostendat in *principio contradictionis* et reliquis *principiis primis,* etiam haec aliquo modo haberi possunt ut prima veritatis criteria et certitudinis fundamenta. Et principium contradictionis dici potest principium omnium principiorum[2], lex fundamentalis rationis humanae, et eiusmodi. Qui enim ista principia negare vellet, nec evidentissima evidentia convinceretur.

Scholion 3. Obiectiva rei evidentia in eo est, ut non solum *rei* cognitionem, sed etiam cognitionem gignat, illam cognitionem veram esse; nam intellectus est facultas cognoscendi non solum verum *ontologicum,* sed etiam verum *logicum*[3].

Scholion 4. Ipsa interdum *prima veritas,* i. e. Deus, dicitur ultimum veritatis criterium et certitudinis fundamentum, non quidem *formaliter,* sed *exemplariter,* quatenus mens creata est participatio et imitatio mentis divinae. „A veritate intellectus divini exemplariter procedit in intellectum nostrum veritas primorum principiorum, secundum quam de omnibus iudicamus. Et

[1] Cf. *Balmes,* Philos. fund. l. 1, n. 160—162 339.

[2] „Et quia hoc principium: *Impossibile est esse et non esse simul,* dependet ex intellectu *entis* . . ., ideo hoc etiam principium est naturaliter primum in secunda operatione intellectus, scilicet componentis et dividentis. Nec aliquis potest secundum hanc operationem aliquid intellegere, nisi hoc principio intellecto." *S. Thom.* in l. 4 met. c. 3, lect. 6.

[3] Cf. *Kleutgen,* Philosophie der Vorzeit n. 262.

quia per eam iudicare non possumus, nisi secundum quod est similitudo primae veritatis, ideo secundum primam veritatem de omnibus dicimur iudicare." [1] „Deus hominis scientiae causa est excellentissimo modo: quia et ipsam animam intellectuali lumine insignivit et notitiam primorum principiorum ei impressit, quae sunt quasi quaedam seminaria scientiarum; sicut et aliis naturalibus rebus impressit seminales rationes omnium effectuum producendorum." [2]

814. ***Obi. 1.*** Non videtur statui posse aliquod verum ultimum principium; nam requiritur ulterius ratio distinctiva inter verum principium et falsa principia, et ita in infinitum.

Resp. Lux alterius lucis non indiget, ut videatur; unde fieri potest, ut statuatur principium, quod lucis instar sua ipsius claritate menti illucescat.

Inst. 1. Si hominibus praesto esset tale principium, non essent tot errores.

Resp. Principium certitudinis confitemur ea perfectione non esse donatum, ut errores omnes ab homnibus arceat. Sed quamvis simus in multis rebus obnoxii fallaciis, tamen plurima sunt, quae ab hominibus cum certitudine cognoscuntur. Errant igitur, qui uti inter multos alios nuper *Schmidkunz* [3] putant, nos homines numquam absolutam, sed tantum approximativam habere evidentiam et certitudinem. Non possumus quidem habere eam de omnibus; id enim enti absoluto, Deo, proprium est; sed multa tum principia tum facta etiam homini sunt simpliciter et absolute evidentia et certa.

Inst. 2. Homines saepe vocant evidens id, quod revera evidens non est; *ergo* videtur requiri ulterius aliquod criterium, quo discernatur evidentia vera a falsa (mere existimata).

Resp. *Trans. antec., nego consequens et consequentiam.* Ut consequens demonstretur, non sufficit homines aliquando putare et iudicare adesse sibi evidentiam, cum de facto non adest, sed ostendi deberet *aut numquam adesse* evidentiam veram et infallibilem, aut quod ad idem venit, *adesse* revera *evidentiam* et simul errorem. Hoc autem impossibile est; *evidentia* enim consistit in ea clara rei intellegibilitate seu in ea rei obiectiva luce, quae menti rei veritatem ostendit, seu quae non possit menti applicari, quin mens videat rem revera in se ita esse. *Atqui* cum tali luce error componi nequit, ideoque non requiritur ulterius criterium.

Obi. 2. In certitudine ex ratiocinio et ex auctoritate non adest ipsius rei certo admittendae evidentia; *ergo* evidentia non est criterium et principium universale et ultimum.

---

[1] *S. Thom.*, De verit. q. 1, a. 4 ad 5. [2] Ibid. q. 11, a. 3 in corp.

[3] Zeitschrift für Philosophie und philosophische Kritik 146 (1912) 34: „Absolute Evidenz ist ebenso wie absolute Wahrheit nur im Unendlichen vollziehbar."

Resp. Distinguere oportet inter evidentiam directam et indirectam. Certitudo fidei et dialectica est quidem sine directa ipsius rei evidentia, non est tamen sine evidentia indirecta, quae est credibilitatis vel admissibilitatis. Quodsi de re aliqua nulla est evidentia, neque directa neque indirecta, neque ulla ea de re esse potest certitudo. — Passim auctores id solum vocant evidens, quod immediate, directe, intrinsece evidens est; quare ad modum loquendi attendi debet.

815. ***Obi. 3.*** Sit evidentia criterium veritatis, at nequit esse principium certitudinis; nam ego certus sum, quia ego rem video.

Resp. *Dist. assert.:* Evidentia obiectiva non est principium intrinsecum constitutivum certitudinis mentis, *conc. assert.;* non est causa seu motivum ideoque principium extrinsecum certitudinis, *nego assert. Ad prob. distinguo* illud *quia ego rem video:* constituor intrinsecus certus, eo quod *ego video* rem, *conc. assert.;* subiectiva cognitionis claritas est motivum et non solum condicio intrinseca certitudinis, *nego assert.*

Inst. Atqui principium certitudinis debet esse cognitioni certae intrinsecum; debet enim esse aliquid, quod assensum certum distinguat ab omni assensu non certo.

Resp. *Dist. assert.:* Debet esse aliquid primario et entitative intrinsecum et subiectivum seu aliqua nota seu perfectio ipsius cognitionis, *nego assert.;* debet esse aliquid, quod dicit essentialem respectum ad intellectum, *conc. assert.* Clara rei intellegibilitas consistit in ea rei habitudine ad intellectum, qua fit ut res, rite menti proposita, necessario menti illucescat. Talis habitudo supponit utique tamquam suum terminum aliquam facultatem intellectivam, i. e. facultatem natura sua ad verum cognoscendum ordinatam. Ad evidentiam obiectivam in actu suo secundo, seu ad hoc ut evidentia obiectiva suum effectum in mente producat, requiritur ut ipsa coniungatur cum evidentia subiectiva. Evidentia obiectiva est principium, motivum, causa evidentiae subiectivae. Evidentia subiectiva revera realiter nihil aliud est quam certitudo subiectiva; vox „evidentia“ magis effert apprehensionis claritatem, „certitudo“ assensus firmitatem.

Disputatio IV.

De veritate et certitudine.

816. **Huius tractationis ratio.** „Verum nominat id, in quod tendit intellectus.“ [1] Omnis enim potentia tendit in suum obiectum; intellectus igitur ut potentia cognoscitiva tendit in res intentionaliter in se exprimendas. Perfecte autem intellectus non quiescit nisi in actu suo cognoscitivo perfecto, nimirum in cognitione, quae vera est et ab ipso intellectu ut vera certo cognoscitur.

[1] *S. Thom.*, S. th. 1, q. 16, a. 1.

Postquam de talis verae certaeque cognitionis exsistentia, fontibus (seu mediis obiectivis) et principio universali egimus, iam accuratius exponenda est veritatis et certitudinis natura; inquirendum etiam, in quonam actu mentis veritas plene et perfecte insit.

Celebris est enim *Aristotelis* doctrina, verum et falsum in compositione et divisione intellectus consistere[1]. Ex quo duplex quaestio nata est: num apprehensio veritate omnino careat, et quonam modo veritas reperiatur in iudicio.

Tandem de veritatis et certitudinis perfectione agetur; seu quaeretur, an et quos perfectionis gradus veritas et certitudo admittant. Priore capite de veritate eiusque opposito, scil. falsitate, altero de certitudine dicetur.

CAPUT I.

De veritate et falsitate cognitionis.

SECTIO I.

De veritate.

ARTICULUS I.

Definitio veritatis logicae.

817. **Thesis 40.** **Veritas logica recte definitur: conformitas intellectus cum re, vel enucleatius: conformitas intentionalis seu repraesentativa actus intellectivi cum suo obiecto.**

Ad stat. quaest. 1. Verum dicere aliquam conformitatem et cum intellectu cohaerere, omnibus notum et ab omnibus agnitum est. Ita veritas ontologica seu rerum ab ipsa rei entitate non aliter distinguitur, nisi addito aliquo respectu ad intellectum; veritas moralis est conformitas sermonis cum persuasione loquentis. Ita etiam veritas logica seu veritas cognitionis consistit in conformitate. Conformitas est relatio; in relatione autem tria distinguuntur: subiectum quod refertur, terminus ad quem refertur subiectum, et fundamentum seu ratio, ex qua et secundum quam subiectum ad terminum respicit. Tria ista in definitione alicuius relationis clare et breviter exprimenda sunt.

2. De *subiecto* veritatis logicae nulla est quaestio; nam subiectum veritatis logicae evidenter est facultas cognoscitiva; et

[1] De interpret. c. 1 (16 a 13) et c. 3 (16 b 23); De anima 3, 6 (430 a 25 sqq). Cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 16, a. 2; S. c. gent. 1, 59; De verit. q. 1, a. 3; in l. 3 de anima lect. 11; *Suarez*, Disput. met. disp. 8, sect. 3 et 4.

cum facultas intellectiva hominis numquam habeat omnem suum actum, proxime intellectus non est alicui rei conformis nisi in actu (et consequenter habitu) cognoscitivo, et ita subiectum proximum veritatis logicae est *actus* cognoscitivus (et consequenter etiam scientia seu cognitio habitualiter permanens).

818. 3. De *termino* veritatis logicae seu de obiecto, cui intellectus per veritatem conformis sit, exsistunt aliquot sententiae erroneae, quae ad has reduci possunt:

a) *Subiectivistae* cuiusque generis terminum assignant *ipsam* cognitionem. Ita *Kant*, licet passim etiam veritatis vi quasi necessitatus nostram veram definitionem adhibeat, tamen ex professo docet veritatem logicam unice consistere in conformitate cum se ipsa [1], abstractione facta ab omnibus obiectis, vel in conformitate cogitationum omnium cum legibus cogitandi et ideo inter se [2].

Simili modo loquuntur fere omnes kantiani.

Huc referri debet etiam opinio eorum, qui veritatem in necessitate subiectiva cogitandi ponunt [3], nec minus doctrina relativismi subiectivi, secundum quam veritas est conformitas cognitionis cum statu et evolutione subiectiva cognoscentis (cf. n. 449) [4].

b) *Empiristae* veritatem omnem unice referunt ad *experientiam;* verum id esse dicunt, quod experientia verificatur vel saltem verificari potest.

c) *Pragmatistae* et quidam alii veritatem ponunt in utilitate cognitionis ad fines practicos.

Contra hos errores vera definitio terminum cognitionis et veritatis assignat ipsam rem obiectivam [5].

4. *Fundamentum* relationis eius, in qua veritas consistit, a subiectivistis et idealistis assignari consequenter non potest nisi identitas cognoscentis et cogniti; quod ruit cum ipso idealismi errore. Verum fundamentum est in ipsa natura actus cognoscitivi ut vitalis expressionis obiecti seu ut vivae assimilationis intentionalis

---

[1] „Die formale Wahrheit besteht lediglich in der Zusammenstimmung der Erkenntnis mit sich selbst bei gänzlicher Abstraktion von allen Objekten insgesamt" (Logik n. VII, Einleitung).

[2] „Alle Wahrheit besteht in der Übereinstimmung aller Gedanken mit den Gesetzen des Denkens und also untereinander" (Reflex 927). Vide *Eisler*, Wörterbuch der philosophischen Begriffe III 1710.

[3] Ita *R. Richter* dicit: „Wahrheit ist ganz allgemein die Eigenschaft von Aussagen, Urteilen und Sätzen: ein spezifisches Gefühl, das Gefühl der Evidenz, notwendig im Menschen auszulösen" (Der Skeptizismus in der Philosophie I 133; cf. etiam p. 153).

[4] v. g. *Krug*, Logik § 2: „Wahrheit überhaupt besteht in der Übereinstimmung unserer Vorstellungen und Erkenntnisse."

[5] Huc reduci possunt etiam qui veritatem in „valore" ponunt, ut *Rickert*, alii; at videndum est, quo sensu „valorem" intellegant.

ad obiectum cognoscendum. Cum relatio non sit aliquid realiter a fundamento proximo distinctum, veritas logica realiter consistit in ipso actu vitali seu specie expressa vel assensu praestito, formaliter in conformitate cum re exprimenda vel affirmanda.

819. **Arg. 1** *(ex notione definitionis).* Definitio est oratio notionem rei completam breviter explicans (n. 140) et debet esse clara, brevis, reciproca, non mere negativa (n. 145); *atqui* data definitio veritatis logicae eas dotes habet; *ergo* est recta definitio veritatis logicae.

Prob. min. per partes. 1. *Clara;* i. e. debet exhibere conceptum clarum. Clarus dicitur conceptus, qui rem repraesentatam illico ita manifestat, sive qui tot ac talibus rei notis constat, ut res facile ab omni alia re discerni possit (cf. n. 94); quod definitio data praestat.

2. *Brevis;* i. e. voces inutiles vel supervacaneas ne contineat (n. 145). Quae paulo enucleatius in altera forma datae definitionis exprimuntur, non sunt superflua et inutilia, attamen non stricte necessaria, cum ex priore forma breviori erui possint. *Intellectus* noster *actu* suo rebus conformatur; conformatur autem non essendo, seu non eo quod entitative similis fiat rei, quod etiam ex natura intellectus ut facultatis cognoscitivae sequitur; denique omni actu conformatur rei, sed non necessario omnes notas rei seu totum obiectum materiale exprimit, sed aliquam vel aliquas rei notas, quae constituunt obiectum formale, quod eo actu cognoscitur.

3. *Reciproca;* i. e. toti et soli definito conveniat; revera de nulla alia, at de omni veritate logica data definitio praedicari potest.

4. Ne sit *mere negativa,* quod etiam clare obtinet.

820. **Arg. 2** *(exclusione reliquarum definitionum).* Ex omnibus definitionibus veritatis logicae hucusque allatis ea, quae in thesi proponitur, *sola* regulis definitionis satisfacit; *ergo* haec unice retinenda est.

Prob. antec. 1. *Definitiones Kantii et subiectivistarum.*

a) „Conformitas cognitionis cum se ipsa" aeque bene adest in cognitione falsa et erronea atque in vera.

b) „Conformitas cognitionum inter se"; non fit sane falsum unum iudicium verum alicuius intellectus, eo quod idem intellectus de alia re simul retineat aliquem errorem.

c) „Conformitas cum legibus cogitandi" est condicio per se necessaria ad veritatem, non tamen ratio formalis veritatis.

d) „Necessitas ita cogitandi" non est reciproca. Per se quidem nullus error, sed sola veritas potest esse menti necessaria; sed non requiritur

necessitas ad veritatem, quod satis inde patet, quod etiam iudicium probabile seu opinio vera esse possit.

Praeterea omnes istae definitiones a claritate et veritate deficiunt ex falso supposito subiectivismi, quod idem valet de omni relativismo (cf. n. 445 sq).

2. *Empirismus* deficit restringendo ambitum veritatis ad infimam partem nostrarum cognitionum.

3. *Definitiones pragmatismi* neque omni neque soli veritati convenire satis ostensum est supra n. 796 sq [1].

Ergo retinenda est definitio in thesi statuta, quae in scholis communiter recepta est. *H. Schmidkunz* [2] in definitione desiderat criterium, quo conformitas inter intellectum et veritatem discernatur et comprobetur, et ideo verum definit iudicium illud, quod etiam alia vi praeter eam, qua primo inventum sit, comprobetur („wahr ist, was sich bestätigt"). Attamen ipse recte addit, ita non tam notam constitutivam veritatis exprimi quam aliquod proprium [3]. Nota autem illa consecutiva non est essentialis; nam etiamsi per accidens desit medium aliud verificandi iudicium, illud tamen manet *verum,* modo rei, uti est in se, sit conforme.

821. ***Scholion 1.*** Veritas vi vocis latissima in aliqua conformitate consistit vel adaequatione. Quae si ipsis rebus tribuitur, dicitur ontologica; si signis, veritas significationis.

Haec *significationis* veritas in conformitate signi cum re significata consistit, veluti *fletus* cum interno dolore. Et quia signum duplex est, reale et intentionale, ideo haec veritas alia est significationis *realis* (ut est veritas alicuius *tabellae*), alia *intentionalis.*

Significatio, quae est ex intentione, alia in sermone reperitur, alia in cognitione. Quapropter veritas significationis intentionalis iterum duplex distingui debet: veritas *locutionis,* cum quis rem dicit, uti res est, et veritas *cognitionis* vel logica, quae est conformitas cognitionis cum obiecto, i. e. repraesentatio quaedam idealis, qua fit, ut cognoscens cognoscat rem, ut ea est in se.

Veritas *locutionis* distingui potest in veritatem (reductive) *logicam* et veritatem sermonis proprie dictam seu moralem (veracitatem). Prior est conformitas orationis cum rebus oratione significatis, quae a veracitate eo differt, quod haec veritas a conformitate cum rebus sumitur, veracitas autem sive veritas

[1] Cf. de his *de la Vaissière,* Philosophia naturalis II 289 sq.

[2] Zeitschrift für Philosophie und philosophische Kritik 146 (1912) 1.

[3] „Man kann der alten Definition noch den Vorzug geben, daß jene mehr ein *konstitutives,* diese mehr ein konsekutives Merkmal trifft, jene also eine echtere Definition, diese mehr eine Charakteristik ist" (ibid. 2).

moralis a conformitate cum cognitione loquentis. Ita veritas locutionis logica adesset, si quis narraret quaedam vera, ea credens falsa esse; deesset autem veracitas. Et contra esset veracitas, si quis narraret falsa, ea credens esse vera; deesset autem locutionis veritas.

Scholion 2. Veritas *cognitionis* sive logica ea est, quae proprie veritas dicitur; unde eam haud raro *formalem* vocant. Et quia cognitio humana se habet ad res obiectas sicut mensuratum ad mensuram, veritas in rebus inesse dicitur fundamentaliter sive causaliter.

Docet *Aquinas:* „Veritas non est mensura, sed commensuratio vel adaequatio“ [1]; „consistit in adaequatione intellectus et rei“ [2]; „veritas principaliter est in intellectu, secundario in rebus“ [3]; „dicuntur res verae vel falsae per comparationem ad intellectum nostrum non essentialiter vel formaliter, sed effective, in quantum scil. natae sunt facere de se veram vel falsam aestimationem“ [4]. Docet veritatem dici primo de intellectu; de enuntiatione, in quantum sit signum eius; de re autem ut de causa eius [5]. Quibus ex omnibus consequens est, ut recte doceatur, de omnibus rebus veris veritatem praedicari analogice [6].

ARTICULUS II.

In quonam actu mentis veritas logica insit.

822. **Thesis 41.** **Veritas in simplici apprehensione hominis formaliter inest, quamvis modo imperfecto.**

Ad stat. quaest. 1. Videndum est, quanam ratione veritas cognitioni conveniat; unde quaerimus primo, sitne veritas in apprehensione, i. e. utrum in ea sit fundamentaliter tantum, an etiam formaliter sive secundum suam essentiam. Postquam in priore parte thesis veritatem iam ipsi apprehensioni formaliter inesse ostenderimus, in parte altera quaeremus, num veritas apprehensioni iam eo gradu eoque modo insit, quem natura intellectus humani postulet.

2. Intellegimus hoc loco apprehensionem simplicem, quae in intellectu humano iudicium antecedere solet; qua obiectum exhibetur omissa omni de obiecto cognitione, quae a repraesentata quidditate diversa sit.

[1] 1 dist. 19, q. 5, a. 2 ad 2. [2] S. th. 1, q. 21, a. 2.
[3] Ibid. q. 16, a. 1. [4] In l. periherm. lect. 3.
[5] S. th. 1, q. 16, a. 7 et a. 8. [6] 1 dist. 19, q. 5, a. 1.

3. Controversia est inter doctores philosophiae scholasticae, utrum veritas logica vere tribuenda sit simplici apprehensioni necne. *Negant* Durandus, Hervaeus, Vazquez, et ex recentioribus card. Mercier[1], Gredt[2]; *affirmant* Capreolus, Fonseca, Toletus, Conimbricenses, et recentiores multi, etiam v. g. *Willems*[3]. *Suarez*[4] impugnat opinionem negantium conceptui veritatem, sed addit illam esse veritatem metaphysicam seu transcendentalem solummodo ita, ut in sententiam negantium recidere videatur. Etiam *Urráburu*[5] affirmativam defendit et eam putat esse sententiam S. Thomae. *Aristoteles* et *S. Thomas* passim dicunt veritatem esse in intellectu componente et dividente. Ita v. g. *S. Thomas* ait: „Veritas et falsitas consistit in quadam adaequatione vel comparatione unius ad alterum, quae quidem est in compositione vel divisione intellectus. Non autem in intellegibili incomplexo. Sed licet ipsum intellegibile incomplexum non sit neque verum neque falsum, tamen intellectus intellegendo ipsum verus est, in quantum adaequatur rei intellectae.“ [6]

Lis magna ex parte videtur esse de voce; qui solum veritatem perfectam agnoscit ut proprie dictam, eam negaverit; sed rectius videtur ea distinctione responderi, quam divisio thesis indicat.

823. Pars I. Veritas in simplici apprehensione formaliter inest.

Argumentum (*ex natura veritatis logicae*). Veritas logica est conformitas cognitionis cum suo obiecto. *Atqui* in simplici apprehensione conformitas inest cognitionis cum suo obiecto tamquam mensura. Nam conceptus, qui apprehensione simplici exhibentur, sunt similitudines rerum utcumque cognitarum.

Confirmatur (ex comparatione cum imagine). Imago, qua res repraesentatur, iam dicitur formaliter vera propter solam conformitatem, quam habet cum re repraesentata. Atqui notiones, quae apprehensione simplici continentur, sunt rerum imagines propter conformitatem cum suis obiectis.

Pars II. Veritas in simplici apprehensione hominis est imperfecta.

Argumentum (*ex natura simplicis apprehensionis in homine*). Ut veritas insit in cognitione perfecte, requiritur, ut obiectum cognoscatur non solum secundum repraesentationem quidditatis,

[1] Critériologie générale[6], Louvain 1911.
[2] Elementa philos. arist.-thomisticae II[2] (1912) 44.
[3] Instit. philos. I (1906) 109. [4] Disput. met. disp. 8, sect. 3.
[5] Logica 421.
[6] In l. 3 de anima lect. 11; cf. S. th. 1, q. 16, a. 2; q. 85, a. 5; De verit. q. 1, a. 3; *Suarez* l. c. n. 7.

sed etiam secundum quod haec repraesentatio ad rei realitatem aperte refertur; requiritur quoque, ut mens videat rem ita esse, sicut ipsa eam cognoscat. *Atqui* experientia teste neutrum homo per apprehensionem obtinere potest. *Ergo* veritas simplicis apprehensionis est imperfecta.

Ad min. Apprehensio enim, ut est in homine, non exprimit, quid sit res secundum se, sed tantum rem obiective praesentem sistit, nihil rei tribuens, nihil rei negans. „Intellectus noster", ut est apud *Suaresium,* „per unum simplicem conceptum non concipit adaequate, neque exhaurit distincte et clare rem conceptam, sicut faciunt Deus et angeli, et ideo, postquam aliquo modo confuse et inadaequate illam concepit, ut illam distincte et adaequate cognoscat, illi attribuit plura praedicata sive re sive ratione tantum distincta." [1]

Aliis verbis: Apprehensio in homine non ea est perfectione donata, ut possit exprimere et rei „quidditatem" et esse rei, sed in expressa quidditate sistit; et exprimendum ipsum esse relinquitur iudicio. In iudicio autem mens componendo praedicatum cum subiecto rei cognitae non solum secundum quidditatem, sed etiam secundum esse conformatur, quantum pro indole humanae naturae fieri potest. Praeterea mens percipiendo rem ipsam secundum esse a natura adducitur, ut in actu exercito percipiat conceptum suum ut repraesentantem illam rem eique aliquo modo conformem. Quibus ex omnibus apertum est intellectum nihil proprie et perfecte cognoscere, donec iudicium proferat. Unde efficitur, ut intellectus humanus numquam in sola apprehensione quiescat, sed a natura propellatur ad formandum iudicium.

824. ***Coroll.*** Ergo recte dicitur veritatem logicam in simplici apprehensione formaliter inesse, sed inest tantum inhaesive non simul obiective, i. e. ut cognita; seu ut dicit *S. Thomas,* inest ut „in quadam re vera", non autem „ut cognitum in cognoscente" [2].

Scholion. Rectius dicitur veritas logica *conformitas* cognitionis seu conceptus subiectivi cum ipsa re, non vero, uti voluerunt *Durandus* et *Vazquez,* conformitas conceptus obiectivi cum ipsa re exsistente seu rei cogitatae cum re, uti est in se. Conceptus autem obiectivus potius est *identicus* cum re, et quidem identitate obiectiva, non autem necessario identitate intrinseca adaequata. Potest tamen etiam aliquo sensu dici conceptum obiectivum esse conformem rei ut in se. Conceptus quidem obiectivus realiter est idem atque *ipsa res,* potest tamen ipsa res considerari duplici modo: uno modo, prout in se est extra mentem, alio modo, prout obiective exsistit in mente (*conceptus* obiectivus). Potest contro-

[1] Disput. met. disp. 8, sect. 3, n. 18. [2] S. th. 1, q. 16, a. 2.

versia haec ita resolvi: Subiectum, quod denominatur verum seu conforme, est ipse *actus* mentis ideoque conceptus subiectivus; ratio autem, cur revera sit conformis, non habetur ex entitate subiectiva actus, sed ex eo quod in se exprimat notas istas, quibus constituitur conceptus obiectivus.

825. ***Obi. 1.*** In iis solum cogitationibus est verum et falsum, quibus respondent voces, quae verum et falsum significant. Sed voces, quae apprehensioni simplici respondent, nullo modo verum et falsum significant.

Resp. In his vocibus non est veritas perfecta sive complexa; tamen est veritas imperfecta sive incomplexa.

Obi. 2. Ubi est comparatio intellectus ad rem, ibi est perfecta eius ad rem adaequatio. *Atqui* in apprehensione est comparatio intellectus ad rem; velut cum quis apprehendit *animal rationale,* id certe ad hominem refert, et non ad lignum.

Resp. Est comparatio intellectus ad rem materialiter sive in actu tantum exercito, quatenus intellectus similitudine obiecti informatur, non autem formaliter sive in actu signato. In sola enim apprehensione intellectus non aperte refert ad rem id, quod cognitione repraesentat.

826. **Thesis 42.** **Veritas perfecte inest in iudicio, ita quidem, ut in iudicio veritas ipsius cognitionis in actu exercito cognoscatur.**

Ad stat. quaest. 1. Quid sit discriminis inter apprehensionem et iudicium, alio loco explicatum est (n. 48 et 71). Nunc veritatem *perfecte* in iudicio reperiri statuimus. Haec perfectio in eo consistit, ut intellectus humanus, quantum pro sua natura fieri potest, rei cognitae assimiletur atque etiam hanc suam cum re assimilationem cognoscat.

2. Perfectio veritatis duo significat. Quorum prius est, ut homo non solum praedicatum aliquod seu notam aliquam alicuius subiecti in mente exprimat, sed etiam cognoscat et dicere possit illud praedicatum rei (subiecto) convenire aut non convenire. Alterum est, ut haec plena cognoscentis cum re cognita conformitas ipsa etiam a cognoscente cognoscatur, ut igitur mens iudicando dicat rem ita esse, ut a se cognoscente sit cognita.

Quod si ita est, veritas duplici ratione in iudicio humano inest: primo ut in habente sive *inhaesive,* quatenus iudicium cum re perfecte conformatur; deinde ut cognita sive *obiective,* quatenus haec ipsa conformitas sive veritas est obiectum cognitionis.

3. Illa veritatis logicae cognitio non necesse est, ut in mente exsistat *signate* (in actu signato), sed satis est ut exsistat *exercite* (in actu exercito).

a) In actu signato inest veritas logica obiective in intellectu, cum intentio intellegentis *directe et explicite* in ipsam veritatem logicam dirigitur, velut cum quis reflexione facta dicit non solum: *Deus est iustus,* sed: *Vera est mea cognitio, Deum esse iustum,* vel: *Cognosco et contemplor veritatem huius meae cognitionis.*

b) In actu exercito inest veritas obiective in intellectu, cum intentio intellegentis directe et explicite in aliud obiectum extra mentem dirigitur, ita tamen, ut ipso exercitio illius actus simul eius ad rem conformitas sive veritas logica implicite cognoscatur, quemadmodum quis dicere vel reflexe cogitare potest: *Deus est iustus,* et eo ipso simul cogitare vel dicere implicite: *Hanc meam cognitionem rei, uti est in se, conformem esse cognosco.* Is igitur in actu signato praedicatum cum subiecto componit atque ita primario et directe ea componere intendit, quae extra intellectum sunt in rerum natura. Sed hoc ipso exercitio immediate conformitatem intellectus cum re cognoscit. Et dum praedicatum vicem gerit intellectus et cognitionis, subiectum autem rei, ut est in se, is qui componit praedicatum cum subiecto, indirecte etiam intellectum cum re componit ex cognita conformitate.

827. **Arg. 1** *(ex natura iudicii humani).* Ut veritas logica modo perfecto in aliqua cognitione insit, requiritur et satis est 1° ex parte *subiecti cognoscentis* id unum, ut in eo cognoscendi genere cognoscens pro sua natura quiescat tamquam in termino intento. 2° ex parte *obiecti cogniti* duo esse debent: a) Ipsa ratio entis, quae in repraesentatione apprehensiva sese intellectui cognoscentis sistit, non solum in concreto cognosci debet secundum quidditatem nude repraesentatam, sed etiam secundum esse sive secundum essendi conformitatem. Nam veritas logica exigit, ut cognitio conformis sit rei secundum ipsum esse rei, quod mente percipitur. b) Ipsa etiam cognitio, quae de re habetur, etiam in se ipsa cognosci debet, ut ipsa tamquam rei externae adaequata et conformis aliqua ratione enuntiari possit. Nam quisquis aliquid ita esse affirmat, sicut sit cognitum, aliqua saltem ratione etiam hanc inter suum cognoscere et esse obiectivum conformitatem cognoscere debet. Et revera tum solum intellectus perfecte quiescit, si etiam cognitionem suam obiecto cognito conformem esse perceperit. *Atqui* haec tria homo in iudicio sive in intellectu componente et dividente adipiscitur. *Ergo* veritas perfecte inest in iudicio.

Prob. min. 1. Experientia teste pro homine in apprehensione sita sunt cognitionis exordia, unde sponte et suapte natura ad iudicandum pergit ita, ut in iudicio ut termino cognitionis quiescat.

2. a) Experientia teste homo non in apprehensione, sed in iudicio proprie et perfecte intellegit, quid insit in re obiecta, ut ea est in se[1]. Unde solis iudiciis, numquam apprehensionibus, nomen „veritatum" imponitur. b) Quotiens homo iudicium aliquod profert, experientia teste eo ipso etiam affirmare intendit hanc suam cognitionem rei extra mentem exsistenti conformem esse; ut cum quis iudicat *Deum iustum esse,* is sine dubio hoc affirmat, quia affirmandum esse videt, i. e. quia veram esse suam cognitionem videt, qua *Deum iustum esse cognoscit. Atqui* si hoc intendit, necessario se hanc suae cognitionis cum re conformitatem percepisse fatetur. Dicere enim: *Verum est id quod affirmo,* nihil aliud est quam dicere: *Conformitatem cognitionis meae cum re cognosco. Ergo* intellectus eo quod aliquid de aliqua re affirmat, etiam veritatem logicam, i. e. conformitatem cognitionis suae cum re cognoscit.

Atque id quidem, quod de iudicio affirmativo diximus, ad negativum etiam trahendum est. Negativum enim, ut suo loco monuimus, aliqua ratione in affirmatione nititur eamque continet. Qui enim dicit: *Deus non est corpus,* explicite affirmat diversitatem conceptuum obiective acceptorum, et implicite dicit: *Verum est, quod dico,* vel: *Conformitatem cognitionis meae cum re affirmo.*

828. Arg. 2 *(ex natura praedicationis).* In iudicio subiectum locum rei tenet, ut ea est in se ipsa, praedicatum autem rei, ut a mente concepta hanc prae se fert formam, quae in praedicato edicitur; *atqui* in iudicio intellectus conformitatem inter subiectum et praedicatum sine dubio cognoscit; *ergo* etiam conformitatem inter rem, ut est in se, et se ipsum, ut formam a se de re conceptam habet, clare cognoscit.

In hoc igitur, quod veritas ipsa ab intellectu iudicante cognoscitur, summa veritatis logicae perfectio cernitur[2]. Quapropter hanc rem ab *Aquinate* ut potissimam praedicatam legimus: „Per-

---

[1] „Intellectus autem formans [per apprehensiones] quidditates, non habet nisi similitudinem rei exsistentis extra animam, sicut et sensus, in quantum accipit speciem rei sensibilis; sed quando incipit iudicare de re apprehensa, tunc ipsum iudicium intellectus est quoddam *proprium ei,* quod non invenitur extra in re. Sed quando adaequatur ei, quod est extra in re, dicitur iudicium verum esse." *S. Thom.,* De verit. q. 1, a. 3.

[2] „In intellectu est [veritas] sicut *consequens* actum intellectus, et sicut *cognita* per intellectum. *Consequitur* namque intellectus operationem, secundum quod iudicium intellectus est de re, secundum quod est. *Cognoscitur* autem ab intellectu, secundum quod intellectus reflectitur supra actum suum, non solum secundum quod cognoscit actum suum, sed secundum quod cognoscit proportionem eius ad rem." *S. Thom.* l. c. a. 9.

fectio intellectus est verum ut cognitum. Et ideo proprie loquendo, veritas est in intellectu, componente et dividente." [1]

829. ***Obi. 1.*** Si in iudicio inesset speciali ratione veritas, id esset, aut quia mens iudicando perfectius obiecto adaequaretur, aut quia solo iudicio veritas in intellectu inesset *obiective*, i. e. in intellectu tamquam cognoscente veritatem ipsam. Neutrum esse potest. Priore modo, quem *inhaesivum* vel subiectivum vocant, veritatem non magis esse in iudicio quam in apprehensione, ex rationibus modo indicatis manifestum est. Neque altero modo, quem *obiectivum* vocavimus, veritas in iudicio inest. Nam intellectus cum componit vel dividit, id tantum agit, ut formam apprehensam, i. e. conceptum obiectivum praedicati cum subiecto comparet; non autem conceptum repraesentantem sive subiectivum ut rei conformem percipit.

Resp. Ostensum est utroque modo veritatem perfecte reperiri in iudicio. Perperam dicitur intellectus, cum iudicat, non comparare conceptum subiectivum sive repraesentantem, sed solum conceptum obiectivum cum re extra mentem exsistente. Etsi enim in actu signato conceptum obiectivum sive formam apprehensam cum re in rerum natura exsistente componit, ipso tamen exercitio etiam conceptum subiectivum sive repraesentantem, i. e. cognitionem propriam cum re comparat atque coniungit.

Obi. 2. Ut veritas *obiective* sit in intellectu, novus actus reflexus accedere debet; *ergo* in iudicio nondum habetur veritas perfecta.

Resp. *Dist. antec.:* ut veritas obiective insit in actu signato, *trans. antec.* Neque negamus hanc esse intellectus consuetudinem, ut contra oborientia dubia naturali quadam necessitate ad hunc secundum actum reflexivum prosiliat, ex quo maiorem firmitatem hauriat. Requiritur actus novus, ut veritas logica etiam in actu *exercito* cognoscatur, *nego antec.* Ad id implicita illa et virtualis et concomitans reflexio satis est, quae iudicio omni intellectuali inest, quod cum aliqua attentione profertur.

Obi. 3. Post iudicium quodlibet intellectus humanus ad cognitionem ulteriorem usque tendit; *ergo* in iudicio non quiescit. Quiescit autem in veritate perfecta, in quo eius finis et terminus est situs; *ergo* veritas perfecta non inest in iudicio.

Resp. Intellectum humanum fatendum est pergere post multa iudicia ad efficiendos discursus novos et nova usque iudicia atque etiam apprehensiones. Unde mens humana in iudicio quietem *absolutam* nancisci dici non potest, quamdiu aliae veritates cognoscendae sunt reliquae. Adipiscitur tamen quietem *perfectam*, etiamsi respectivam tantum respectu cognitionis, de qua hic et nunc agitur. Et ea est natura intellectus humani, ut apprehensionem omnem quantumvis perfectam in iudicium sibi resolvere debeat.

[1] S. th. 1, q. 16, a. 2.

Obi. 4. Veritas etiam apprehensioni perfecte inesse potest. Deus enim omnia simplici apprehensione cognoscit, in qua apprehensione inesse veritatem perfectissime nemo negabit.

Resp. Reminiscendum est, non ideo ab apprehensione simplici perfectam rationem veritatis abesse, quia per modum intuitus simplicis procedit, sed quia in homine hic cognoscendi modus admodum est imperfectus et per iudicium complendus, quo cognoscuntur res per modum enuntiabilium. Aliter se res habet in cognitione divina. „Intellectus noster apprehendendo incomplexa nondum pertingit ad ultimam sui perfectionem, quia adhuc est in potentia respectu compositionis seu divisionis, sicut in naturalibus simplicia sunt in potentia respectu mixtorum et partes respectu totius. Deus igitur secundum suam simplicem intellegentiam illam perfectionem cognitionis habet, quam intellectus noster habet per utramque cognitionem et complexorum et incomplexorum.“ [1]

830. ***Obi. 5.*** Ab apprehensione proficiscitur humana cognitio, inde ad iudicium et ratiocinium progressura. Sed inde fit regressio, ita ut ratiocinia ordinentur ad perficiendum iudicium et iudicia ad perficiendam apprehensionem. *Ergo* in apprehensione perfecta tandem veritas perfecte inest.

Resp. Negari non potest et iudicia et ratiocinia etiam ad id tendere, ut perfectius cognoscamus „quod quid est“ sive quidditates, i. e. id quod per se est obiectum apprehensionis sive simplicis intellegentiae. Sed ea est humani ingenii imbecillitas naturalis, ut ne hoc quidem obiectum sibi clare et perfecte repraesentare possit nisi per modum iudicii.

Obi. 6. Eodem modo de iudiciis veris statuendum esse videtur atque de iudiciis falsis et temerariis; *atqui* in his veritas non cognoscitur; *ergo* neque in veris.

Resp. *Dist. mai.:* quoad naturam iudicii ipsius, *conc. mai.;* quoad habitudinem ad veritatem, *nego mai.,* nam hoc respectu differunt.

Inst. Eadem tamen ratione veritas inest in iudicio vero qua falsitas in iudicio falso; *atqui* in iudicio falso non est obiective falsitas; *ergo* neque veritas inest obiective in iudicio vero.

Resp. *Nego antec.;* nam in iudicio erroneo falsitas nullo modo est obiective in intellectu; si enim falsitas cognoscitur, eo ipso error cessat.

Obi. 7. Veritas in iudicio aut essentialiter inest aut accidentaliter. Si accidentaliter, intellectus iam non putari potest tendere in verum *necessario;* si essentialiter, numquam fieri potest, ut iudicium falsum sit. *Ergo* nullo modo veritas in iudicio inest.

Resp. *Conc. mai.* et *dist. priorem partem min.:* Si veritas in nullo actu, i. e. ne in certo quidem et evidenti iudicio essentialiter, sed in *omni* solum accidentaliter inest, intellectus non necessario tendit in verum, *conc. min.;* si veritas accidentaliter se habet ad intellectum eo sensu tantum,

[1] *S. Thom.*, S. c. gent. 1, 59; cf. etiam S. th. 1, q. 14, a. 14; q. 85, a. 5.

quod abesse possit in actibus imperfectis, intellectus non necessario tendit in verum, *nego min.* Et *dist. alteram partem min.:* Si veritas omnis determinata perfecto actu conciperetur a mente et ideo inesset iudicio essentialiter, iam exsistere non posset iudicium falsum, *conc. min.;* si veritas universe tantum iudicio essentialis esset, iudicium falsum esse non posset, *nego min.* — Intellectus porro ex natura sua ita tendit ad verum, ut numquam propositioni interne assentiri possit, nisi concipiendo eam ut veram, vel saltem existimando eam veram esse. Unde fit, ut voluntas numquam intellectui assensum imperare possit nisi sub ratione *veri* saltem *existimati;* id quod in omni iudicio falso vel erroneo fieri solet.

831. ***Scholion 1.*** Hactenus de iudicio diximus *subiective* spectato, quod est actus mentis per assensum aliquid affirmantis. Sed praeterea iudicium etiam *obiective* considerari potest, quod est praedicati cum subiecto compositio, ut ea voce enuntiari solet; quapropter *enuntiabile* vocatur. Et a veritate quidem intellectus etiam in ipsum enuntiabile veritas deducitur, ita ut etiam enuntiabile veritatem in se habere dici possit. Distinguimus enim iudicium verum falsumve ab enuntiabili vero et falso. Et intellectus antequam iudicet inquirere solet, utrum enuntiabile verum an falsum sit. Sicut igitur omne iudicium, ita etiam enuntiabile quodlibet in se verum est aut falsum.

832. ***Scholion 2.*** *De veritate sermonis.* a) De veritate *logica* sermonis. Veritatem logicam, quae in mentis operationibus invenitur, harum quoque signis tribui docent logici, non quod signa rebus conformia esse putantur, sed quia id quod per se rerum significatarum est proprium, per analogiam quandam ad rerum signa transferri potest.

Sicut igitur *conceptibus*, ita etiam *terminis* veritas convenit; et sicut unicuique conceptui semper sua veritas imperfecta manet, ita neque ullus terminus umquam falsitatis accusari potest.

Sed propositio, quae est signum iudicii suppositivum, est etiam signum manifestativum veritatis aut falsitatis, quae est in mente iudicantis: veritatis quidem, si subiectum ita se habet atque edicitur, falsitatis, si se habet aliter.

b) De veritate sermonis *morali.* Orationi etiam id convenit, ut sit signum suppositivum alicuius facti dicenti interni. Si is qui loquitur signum adhibet, quod suo statui interno conforme est, hoc signum moraliter verum esse dicitur; sin signum difforme, id accusatur falsitatis moralis. Moralis vocatur affectio haec, quia sociam honestatem illam et malitiam habere potest, quae ex libertate originem habet.

Quod cum constet, sequitur in terminis, ut sunt termini, veritatem vel falsitatem moralem numquam reperiri posse; eam tamen

reperiri posse in signis externis omnibus, quae pro internis affectionibus aut iudiciis supponuntur.

Qui signa externa edere vult, quae moraliter vera sunt, dicitur *verax;* qui vero intendit propositionem enuntiare moraliter falsam, nuncupatur *mendax.*

A veritate logica differt moralis veritas et falsitas rebus potissimum quattuor.

1. Logica propositionem afficit, ut hac significatur iudicium *obiective* spectatum sive coniunctio huius praedicati cum hoc subiecto; moralis autem propositionem ingreditur, ut hac significatur iudicium *subiective* spectatum sive affirmatio mentalis aut negatio. 2. Logica propria est enuntiabilium et ab his in enuntiationes deducitur; moralis per se in enuntiatione est, in qua ponitur ex intentione dicentis; illa mensuratur re, haec mente interna. 3. Logica rectitudinem vel falsitatem iudicii manifestat; moralis ad id dirigitur, ut alii ad recte aut falso iudicandum adducantur. 4. Enuntiatio logice vera est moraliter falsa, si interno dicentis iudicio non respondet; et enuntiatio logice falsa est moraliter vera, si iudicio interno respondet.

833. ***Scholion 3.*** Ex disputatis hactenus apertum est, qua ratione veritas reperiatur *in sensu.*

Huic quaestioni vis duplex et significatio subesse potest. Quaeri enim potest, sitne iudicium, quod sequentes sensum de rebus perceptis feramus, per se semper ambiguum ita, ut sensus numquam motivum certitudinis esse possint. Et ad quaestionem hoc modo positam iam responsum est, cum de veracitate sensuum ageretur. Sed etiam quaeri potest, qua ratione cognitionis veritas iam in ipso sensu reperiatur. Atque id nunc videndum est.

Primo enim certum est secundum aliquem respectum veritatem perfectiore modo esse posse in sensu, quam est in apprehensione simplici. Nam veritas perfectiore modo est in iudicio quam in sola apprehensione. Atqui in sensibus quoddam iudicium virtuale reperitur. Sensus enim non solum sentienti affectionem aliquam repraesentant, sed hanc rebus, ut sunt in se, attribuunt. Etsi igitur sensus ad ipsam rationem entis ut sic abstractam pertingere non possunt, tamen ex natura sua directe nobis referunt id, quod *est* in concreto. Cognitio enim sensitiva non eo contenta est, ut phaenomena subiectiva exhibeat, sed rem ita vel aliter esse dicit. In quo negotio aliqua iudicandi ratio manifeste concipitur. Et *per se* quidem sensus aestimat res sic vel aliter esse quales et quantas. *Per accidens* autem et quasi *implicite* etiam res *esse* diiudicat, quatenus ipsum *esse* latet in re concreta, quam sensus percipit ut quantam et qualem [1].

At vero haec quae in sensu reperitur veritas ab illa, quae est in intellectu, magnopere differt. Nam in iudicio intellectuali sic inest veritas,

[1] Cf. *S. Thom.,* De verit. q. 1, a. 11.

ut ipsum esse secundum se percipiatur, ut est a quantitate et qualitate abstractum; atque ita etiam, ut ipsa cognitionis veritas a mente perspiciatur. Atqui utraque ratione sensus a veritate deficit. Sensus enim haeret in rebus, ut sunt quales et quantae et habent ad subiectum relationes concretas, nec umquam rationem entis ut sic attingere potest. „Quamvis esse sit in rebus sensibilibus, tamen rationem essendi vel intentionem entis sensus non apprehendit, sicut nec aliquam formam substantialem nisi per accidens, sed tantum accidentia sensibilia. Ita etiam, quamvis veritas sit in rebus sensibilibus, prout dicitur esse veritas in rebus, tamen intentio veritatis solo intellectu percipitur.“ [1] Cum deinde sensus non possit reflexione perfecta redire ad se ipsum, neque ipsam veritatem cognitionis suae videre potest. Recte igitur *Aquinas:* „Veritas est in sensu sicut consequens actum eius, dum scilicet iudicium sensus est de re, secundum quod *est;* sed tamen non est in sensu sicut cognita a sensu; si enim sensus vere iudicat de rebus, non tamen cognoscit veritatem, qua vere iudicat.“ [2] Unde definire solent veritatem, ut sit rectitudo sola mente perceptibilis.

ARTICULUS III.

De gradibus veritatis.

834. **Thesis 43.** **Veritas formaliter spectata (sive respectu obiecti formalis) gradus non admittit; materialiter et subiective spectata (sive ratione obiecti materialis et actus, in quo inest) gradus admittit** [3].

Ad stat. quaest. 1. Veritas *formaliter* spectata est conformitas ipsa sive adaequatio ut talis. *Obiectum formale* cognitionis est res, ut intellectui sese manifestat, sive id cui intellectus proxime se conformat. *Obiectum materiale* cognitionis est res quae manifestatur tota, ut est in se, omnibus suis vestita proprietatibus.

2. Thesis tribus partibus absolvitur, quarum prima veritatem *formaliter* acceptam in indivisibili consistere affirmat; altera earum gradus admittere dicit, si intellegatur *materialiter;* tertia gradus etiam concedit, si veritas accipiatur *subiective.*

835. **Pars 1. Argumentum** *(ex natura affirmationis et negationis).* Ideo intellectus verus est, quod dicit esse, quod est, et non esse, quod non est. *Atqui* termini „esse“ et „non-esse“ non suscipiunt magis et minus; sunt enim termini contradictorie inter se oppositi, et stant in indivisibili. *Ergo* neque conformitas ad hos terminos in se ullos gradus admittere potest.

[1] *S. Thom.* 1 dist. 19, q. 5, a. 1 ad 6.
[2] *S. Thom.,* De verit. q. 1, a. 9.
[3] *Suarez,* Disput. met. disp. 9, sect. 1, n. 24.

Confirmatur (ex natura veritatis). Ubi est inter duos terminos adaequatio sive aequalitas, ibi gradus esse non possunt. Ita si quis duas lineas inter se aequales considerat, eas sub eo respectu, quo sunt aequales, nec magis nec minus aequales fieri posse videbit. Aut enim aequales sunt, aut non sunt; quamquam ipsae res, *quae* inter se aequales sunt, augeri vel minui possunt, non tamen *qua* aequales. *Atqui* veritas formaliter spectata est adaequatio sive aequalitas inter cognitionem et eius obiectum formale. *Ergo* veritas formaliter spectata gradus non admittit. Spectata igitur veritate formaliter, una cognitio dici non potest alia esse verior.

836. **Pars II. Arg. 1** *(ex obiecti materialis extensione varia).* Fieri potest, ut cognitione una plures de obiecto materiali notae exhibeantur quam alia.

Ita cognitione una aqua exhiberi potest ut corpus, alia ut corpus ex hydrogenio et oxygenio compositum. Potest igitur una cognitio obiecto materiali magis adaequari quam alia. Et haec cognitio est obiecto secundum extensionem conformior quam alia. Veritas igitur quoad conformitatem ad obiectum materiale gradus admittit.

Arg. 2 *(ex obiecti materialis immutabilitate varia).* Illud iudicium sub aliqua ratione veritatem magis participat, in quo veritas ratione obiecti est immutabilior et firmior, ita ut difficilius ex vero falsum effici possit.

Ita in iudicio: *Ignis stuppam comburere solet,* veritas ratione obiecti immutabilior est et firmior quam in iudicio: *Petrus currit.* Et iudicium verum de re immutabili sive physice sive metaphysice generatim multo firmius est quam iudicium de re omnino contingenti. Sunt ergo iudicia, quae sub eo quem diximus respectu veriora sunt quam alia.

837. **Pars III. Argumentum** *(ex principiis, quae in actum cognitionis vim habent).* Quidquid auget perfectionem illam, ex qua actus cognoscitivus conformitatem habet cum suo obiecto, id auget etiam aliqua ratione ipsam veritatem. *Atqui* complura sunt, quae efficiunt, ut intellectus clarius et firmius obiectum repraesentet; in quo genere sunt 1° lumen intellectuale, quod obiecto cognoscendo magis vel minus proportionatum esse potest; 2° species intelligibilis, quae clarior vel minus clara esse potest; 3° motiva assentiendi, quae esse possunt plura vel pauciora. *Ergo* intellectus esse potest ad excludendam falsitatem et stabiliendam veritatem aptior ineptiorve. Atque ita veritas etiam respectu actus cognoscitivi gradus admittit.

838. ***Obi. 1.*** Veritas consistit in recessu a falsitate; *atqui* recessus omnis gradus admittit; *ergo* etiam veritas.

Resp. Recessus iste, in quo veritatem consistere dicunt, potius quidpiam est, quod cum veritate coniunctum est; non autem est id, quo formaliter veritas constituitur; veritas positive consistit in adaequatione.

Obi. 2. Veritas perfectior est in iudicio quam in apprehensione: *ergo* gradus admittit.

Resp. Veritas subiective et materialiter accepta varietatem illam perfectionis admittit, sed veritas formaliter sumpta, i. e. ipsa conformitas, non est perfectior in una cognitione quam in alia. Itaque cognitio veritatis eius rationem formalem non auget. In iudicio autem sive intellectuali sive sensili eodem plane modo conformitas est ad obiectum, quod cuique cognitioni proprium est; et in apprehensione quidem sensili conformitas est ad rem sensibus perceptam, in qua latet quidditas; in apprehensione intellectuali conformitas est ad rei quidditatem intellectu perceptam; in iudicio sensili conformitas est ad convenientiam duarum rerum, in qua latet esse illud, quod in intellectuali iudicio extrahitur ediciturque; in iudicio tandem intellectuali conformitas est ad esse rei, quod intellectu in re attingitur (sive quod intellectus in re intus legit). Conformitatem hanc „nullo modo sensus cognoscit. Licet enim visus habeat similitudinem visibilis, non tamen cognoscit comparationem, quae est inter rem visam et id quod ipse apprehendit de ea. Intellectus autem conformitatem sui ad rem intellegibilem cognoscere potest. Sed tamen non apprehendit eam, secundum quod cognoscit de aliquo ‚quod quid est'. Sed quando iudicat rem ita se habere, sicut est forma, quam de re apprehendit, tunc primo cognoscit et dicit verum, et hoc facit componendo et dividendo." [1]

Obi. 3. Veritas increata Dei certe perfectior est quam veritas creata.

Resp. Veritas increata est maior respectu obiecti materialis atque etiam actus, in quo veritas maiore claritate et firmitate inest, sed non est maior ratione adaequationis formalis.

Obi. 4. Quidquid finitum est, augeri potest.

Resp. Res omnis finita augeri potest ex ea parte, qua augmentum admittit: non tamen augeri potest ex ea parte, qua ex conceptu suo stat in indivisibili.

SECTIO II.

De falsitate.

339. **Falsitatis notio.** Cum falsitas opponatur veritati, sicut haec est adaequatio intellectus ad obiectum, ita illa est *differmitas positiva inter intellectum et obiectum.*

a) Negativa est differmitas, cum intellectus vel nihil cogitat vel aliquid cogitans non omnia cogitat, quae in illa re obiecto materiali insunt; hinc quoad illa, quae intellectus non cogitat,

[1] *S. Thom.*, S. th. 1, q. 16, a. 2.

obiecto non est conformis. Haec negativa difformitas non est falsitas, sed potius ignorantia quaedam, quae cognitioni verae non contrarie, sed privative vel negative opponitur (speculum planum relate ad partem obiecti speculo non obiectam).

b) Positiva est difformitas, cum intellectus obiecto non conformatur ex ea parte, secundum quam illud exprimit seu cogitat, nempe cum obiecto detrahit id quod habet, vel tribuit quod non habet (speculum concavum vel convexum relate ad ea ipsa, quae reflectit). In hac positiva difformitate, per quam inter cognitionem et eius *obiectum formale* vera et positiva discordia constituitur, consistit falsitas logica, quae cognitioni verae contrarie opponitur.

ARTICULUS I.

In quo actu mentis falsitas inesse possit.

840. **Thesis 44.** **In simplici apprehensione per se nulla inesse potest falsitas**[1].

Ad stat. quaest. 1. Cum negamus falsitatem apprehensioni *per se* inesse posse, dicere volumus duo: 1° fieri non posse, ut apprehensio in se sit ab obiecto suo positive difformis; 2° fieri non posse, ut apprehensio *per se* adducat mentem ad falsum iudicium. Quia autem apprehensio, quae in se semper vera est, etiam semper per se apta est ad efficiendum verum in mente iudicium, satis est, ut probemus unum, quod priore loco posuimus. Per accidens falsitas in apprehensione esse potest.

2. Generatim apprehensiones falsae per accidens esse possunt 1° *occasionaliter,* quod propter imperfectionem suam nonnumquam iudicii erronei occasio esse possunt; 2° *praesuppositive,* cum per iudicium falsum formatae sunt; 3° *relative* respectu rei, quae proprium earum obiectum non est, ad quam tamen per iudicium falsum referri possunt; 4° *abusive,* cum apprehensionibus tribuitur falsitas, quae inest potius in iudiciis.

841. **Argumentum** *(ex natura apprehensionis).* Ea cognitio, quae non tribuit obiecto quidquam, quod tribuendum non sit, nec detrahit, quod detrahendum non sit, per se non potest esse falsa sive deformis a proprio suo obiecto; *atqui* eius generis cognitio est apprehensio; *ergo* apprehensio non potest esse falsa.

Ad min. Dum mens apprehendit, nihil omnino rei tribuit, nihil detrahit, nihil immutat in iis notis, quibus obiectum ipsi cognoscibile sistitur. Obiectum apprehensionis id est, quod menti

[1] Cf. *Suarez,* Disput. met. disp. 9, sect. 1, n. 14 sq.

se sistit et quatenus menti se sistit. Igitur mens percipiens aut exprimit in se obiecti similitudinem aut non. Si prius, apprehensio ex veritate est et a falsitate omnino aliena; sin alterum, iam mens illud obiectum non percipit; „percipere" enim obiectum idem est, atque illud in mente „exprimere".

842. ***Obi. 1.*** Saepe accidit, ut rem obiectam aliter apprehendamus, atque revera est; velut cum puer historiam legens *centauri,* centaurum existentem apprehendit.

Resp. „Licet ipsum intellegibile incomplexum non sit neque verum neque falsum, tamen intellectus intellegendo ipsum verus est, in quantum adaequatur rei intellectae. . . . Sciendum tamen est, quod in cognoscendo quod quid est contingit esse deceptionem per accidens. . . ."[1] Potest igitur in apprehensione esse falsitas per accidens, quatenus apprehensio vel obscura vel confusa vel ex alia parte imperfecta vel incompleta, aut ad falso iudicandum viam sternit, aut aliquid iudicii implicite admixtum habet. „Per accidens in operatione intellectus, qua cognoscit ‚quod quid est', potest esse falsitas, in quantum ibi compositio intellectus admiscetur."[2] Et sic non proprie sed improprie occasionaliter falsa dicitur, sicut occasio mali dicitur occasio mala.

Obi. 2. Plerumque accidit, ut multo plures notae in rebus insint, quam apprehendimus.

Resp. Haec est difformitas *negativa.* Difformitas *positiva* nonnisi per iudicia in apprehensiones irrepere potest.

Obi. 3. In multis apprehensionibus obiectum aliter apparet, atque revera est.

Resp. In apprehensionibus obiectum semper percipitur, ut apparet; neque umquam, si de apprehensione intellectuali agitur, aliter apparet, atque est; quamquam haec inter realitatem obiecti et eius apparentiam conformitas admodum est imperfecta, ob quam imperfectionem homines incauti in multis rebus ad falso iudicandum inclinari possunt.

Dices: Saepe contingit, ut loco rei obiectae percipiatur alia.

Resp.: Nulla id ratione fieri potest. Sed illud sane evenire potest, ut obiecto, quod percipimus, repraesentationem alius rei per iudicium applicemus, eo quod notae in obiecto perceptae etiam huic rei aliquo modo conveniunt; qui error est in iudicio, non in perceptione.

Sed obicies: Sunt tamen apprehensiones sive ideae, quibus nullum obiectum respondet, ut est *mons aureus.*

Resp.: Nulla est apprehensio, cui non respondeat res saltem possibilis, si ad eius elementa advertamus animum. Atque id satis est.

At, *inquies,* sunt tamen ideae rerum impossibilium, velut idea *circuli quadrati* vel *spiritus corruptibilis.*

---

[1] *S. Thom.* in l. 3 de anima lect. 11.

[2] *S. Thom.,* S. th. 1, q. 17, a. 3.

Resp.: Harum idearum obiectum est quidem impossibile secundum id, quod verbis expressum est, non autem secundum id, quod mente conceptum est; nam non concipitur revera circulus quadratus, sed solum elementa.

Obi. 4. Sunt falsae definitiones; sed definitiones ad apprehensionem spectant.

Resp. „Quia ratio veritatis fundatur in esse, et non in quidditate, . . . ideo veritas et falsitas proprie invenitur in secunda operatione et in signo eius, quod est enuntiatio, et non in prima vel signo eius, quod est definitio, nisi secundum quid." [1] „In illis, in quorum definitione nulla est compositio, non contingit esse deceptionem; sed oportet ea vel intellegere vere vel nullo modo." [2]

Obi. 5. Si non essent apprehensiones falsae, neque iudicia falsa esse possent; nam iudicium solum affirmat, quod apprehenditur.

Resp. Numquam ex habitis apprehensionibus per se falsitas alicuius iudicii efficitur, sed ex actione mentis componentis vel dividentis.

Sed obicies: Apprehensio illa comparativa, quae falsum iudicium antecessit, nonne falsa est?

Resp.: Apprehensio illa comparativa aut vera fuit et inter terminos ab iis diversos, qui in iudicio componuntur; aut si fuit falsa, non fuit falsa per se, sed *per accidens*, vel propter iudicia antecedentia, quae falsa fuerunt, vel quia propter imperfectionem suam iudicio falso occasionem dat.

843. ***Coroll. 1.*** Cum ea quae diximus, apprehensionem intellectualem spectent, apparet, quid de idearum veritate statuendum sit.

1. Ideae omnes intuitivae ex se verae sunt. — 2. Ideae facticiae, quamdiu nullo iudicio inficiuntur, falsae esse numquam possunt. Cum enim conceptiones partium, quae intuitivae sunt, ex se semper verae sint, etiam conceptio totius vera esse debet ratione obiecti possibilis, quod illis partibus constare saltem possit. — 3. Ideae, quibus immiscetur iudicium, possunt quidem obiecto, cui per iudicium applicantur, esse difformes et falsae; quatenus autem elementis intuitivis constituuntur, etiam ipsae semper veritatem habent. — 4. Inde sequitur nullam plane ideam esse posse, quae vera non sit, si ab omni iudicandi genere abstrahatur.

Coroll. 2. Ergo etiam apprehensiones complexae vel comparativae, quamdiu ab omni iudicandi genere immunes sunt, necessario veritatem habent.

---

[1] *S. Thom.* 1 dist. 19, q. 5, a. 1 ad 7.
[2] *S. Thom.* in l. 3 de anima lect. 11, in fine.

844. **Thesis 45.** **In iudicio inesse potest falsitas, modo haec menti sub specie veritatis sit proposita.**

Ad stat. quaest. 1. Non dicimus umquam fieri posse, ut intellectus falsitati, ut falsitas est, inhaereat; sed falsitati tantum sub specie veritatis.

Cum igitur iudicium falsum ponitur, non ipsa falsitas logica ut falsitas cognita est obiective in intellectu iudicante, sed veritas logica *existimata*. Ubi primum enim quis falsitatem ipsius iudicii perspicit, iam ab errore desistet.

Neque audiendi sunt, qui volunt intellectum imperio voluntatis trahi posse, ut verum dicat, quod sibi falsum esse appareat. Numquam enim voluntas naturam alicuius facultatis sibi subditae mutare potest, quamvis possit eam intra ipsius obiecti ambitum modo ad hoc convertere, modo ab illo avertere.

2. Neque in omnibus iudiciis, cuiuscumque sunt generis, falsitatem inesse posse dicimus.

Excipimus iudicia, quae evidentia immediata lucent, vel quae cum principiis primis per evidentiam conectuntur. Sed ea solum iudicia intellegi volumus, quibus mens sine evidentia ad iudicandum fertur. In his enim intellectus moveri potest motivis, quae ab obiectiva rerum veritate aliena sunt.

845. **Arg. 1** *(ex experientia).* Ex propria experientia sciunt homines se, cum erraverint, effecisse iudicia, quibus adhaeserint non solum alicui veritati imperfecte conceptae, sed etiam rebus falsis assensum internum praestiterint, non quidem ut falsis, sed sub specie veritatis menti praesentibus.

Arg. 2 *(ex natura falsitatis et iudicii).* Falsa est cognitio illa, in qua aliquid a proprio obiecto ad aliud obiectum, quocum conformitatem non habet, refertur eique attribuitur. *Atqui* id per iudicium fieri potest. Primo enim ex natura iudicii est, ut aliquid de alio ut verum enuntietur. Deinde vero fieri potest, ut enuntiabile, quod in se falsum est, intellectui sub specie veritatis proponatur. Magna est enim cognitionis imperfectio, magna eiusdem a voluntate dependentia.

846. ***Scholion 1.*** **De errorum fontibus** iis, quae n. 399 sqq dicta sunt, haec addere iuvat.

a) Ex *vita sensitiva*, a qua vita intellectualis pendet, plurima oriuntur, quae *attentioni* et *reflexioni* impedimento esse possunt. „Cum enim (intentio) attentio fortiter inhaeserit alicui rei, debilitatur circa alias res,

vel totaliter ab iis revocatur." [1] Praeterea „perfectio intellectualis operationis in homine consistit in quadam abstractione a sensibilium phantasmatibus; et ideo quanto intellectus hominis magis fuerit liber ab huiusmodi phantasmatibus, tanto potius considerare intellegibilia poterit et ordinare sensibilia" [2]. — Deinde passiones appetitus sensitivi ex se aliqua ratione rectum usum rationis impediunt vel per modum *distractionis* vel *in contrarium impellendo* [3]. Timor tantum crescere potest, ut rationem perturbet [4]. Et „ira inter ceteras passiones manifestius impedit iudicium rationis" [5]. Tristitia vel dolor sensibilis alacritatem animi minuit et discendi facultatem [6]. Etiam ex spe minus considerate concepta vel ex desperatione, qua quis putat fieri non posse, quod tamen fieri possit, facile errores oriri possunt. — Et affectus illi ideo etiam rectum rationis usum impedire possunt, quatenus, si vehementiores sint, non sine magna corporis transmutatione accidere solent. „Ex transmutatione corporali usus rationis impeditur, impedito actu virtutis imaginativae et aliarum virium sensitivarum." [7] „Ratio quamvis non utatur organo corporali in suo proprio actu, tamen, quia indiget ad sui actum quibusdam viribus sensitivis, quarum actus impediuntur corpore perturbato, necesse est, quod perturbationes corporales etiam iudicium rationis impediant." [8]

b) Ea est intellectus a *voluntate* dependentia, ut is in confusione positus facile ad amplectendam falsitatem specie veritatis vestitam moveri possit. Praeterea voluntas potest ex amore quodam inordinato intellectum inclinare ad attentionem potius iis rationibus praebendam, quae placent.

Condicio igitur erroris obiectiva est et subiectiva. *Obiectiva* partim *negativa* est, nimirum defectus evidentiae seu claritatis obiecti diiudicandi; partim *positiva,* scil. species veri, quae in similitudine rerum diversarum non tamen aequalium consistit. Condicio *subiectiva* est intellectus debilitas et limitatio et multiplex ab aliis facultatibus dependentia.

847. ***Scholion 2.*** **Error formalis et materialis.** Error est *formalis,* cum iudicium cum assensu firmo de re fertur, quod tamen a re (positis debitis naturae condicionibus) diversum est. Est *materialis,* cum mens propter apparentiam et rationes probabiles assentitur per assensum opinativum seu probabilem. Qui ob tales rationes aliquam sententiam ut *opinionem probabilem* admisit, quae postea ut obiective falsa detegitur, non dicendus est formaliter, sed materialiter tantum errasse. Similiter iudi-

---

[1] *S. Thom.,* S. th. 1, 2, q. 33, a. 3.

[2] Inde probat *S. Thomas,* per gulam et luxuriam maxime debilitari operationem hominis circa intellegibilia. „Et ideo ex luxuria oritur caecitas mentis. . . . Et e converso oppositae virtutes, scilicet abstinentia et castitas, maxime disponunt hominem ad perfectionem intellectualis operationis" (S. th. 2, 2, q. 15, a. 3).

[3] *S. Thom.,* S. th. 1, 2, q. 77, a. 2. [4] Ibid. q. 44, a. 4.

[5] Ibid. q. 48, a. 3. [6] Ibid. q. 37, a. 1.

[7] Ibid. q. 33, a. 3 ad 3. [8] Ibid. q. 48, a. 3.

candum est de assensu physice certo, si per exceptionem miraculosam res aliter evenit.

848. ***Scholion 3.*** **Error vincibilis aut invincibilis** est, prout adhibita diligentia congruente et debita vel caveri vel deponi potuit aut non potuit. Distinguitur necessitas seu invincibilitas *physica* et *moralis.*

a) Nullus error *per se* intellectui est *physice* necessarius; et omnis error a (libera) voluntate est. *Per se* necessarium intellectui id dicimus, quod necessarium est propter ipsam intellectus naturam ad omnes suas operationes expeditam et propter vitae humanae condiciones naturales et ordinarias. Itaque per se necessarius erit error, quem homo spectata humana natura spectatisque naturalibus et ordinariis vitae humanae condicionibus vitare nullo modo potest. *Per accidens* necessarius erit error, ad quem homo propter extraordinarias condiciones, quae per exceptionem contingere possunt, cum aliqua necessitate adducitur. Hunc errorem per accidens necessarium contingere posse admittimus.

Physice necessarium id dicimus, quod nullo modo naturaliter vitari potest. *Moraliter* necessarium id esse dicimus, quod vitari non potest nisi per difficultatem, quae mores hominum superat. Error intellectui humano non potest esse per se physice necessarius. Numquam enim intellectus humanus per se ad iudicium aliquod necessitari potest nisi propter evidentiam obiectivam. Atqui haec per se falsa esse non potest, id enim repugnat naturae facultatis, quae ad cognoscendas res facta sit; secus iam de omnibus iudiciis dubitare liceret, sintne vera an falsa; et legitimus esset scepticismus.

849. Ex eo, quod error non potest esse intellectui per se physice necessarius, consequitur omnem errorem a libera *voluntate* originem habere. Nam intellectus, cum se ipsum ad assensum actualem determinare non possit, aut ab obiecto determinatur aut a voluntate. Quoniam autem obiectum tum solum intellectum ad assentiendum determinare potest, cum veritas est evidens, perspicuum est intellectum ab obiecto numquam ad assensum erroneum determinari posse. Reliquum est igitur, ut ad hunc assensum adducatur a voluntate[1].

At, *inquiunt,* accidunt tamen errores, qui a nulla motione voluntatis pendere videntur, velut cum cui *in nummorum supputa-*

[1] *Suarez,* Disput. met. disp. 9, sect. 2, n. 6. Cf. *S. Thom.,* S. th. 2, 2, q. 1, a. 4.

tione, ipsi plane inscio, nummus ad ipsius supputantis nocumentum elabitur, vel praetermittitur, vel cum *scribenti* prorsus tamen inadvertenti nota numeralis una pro alia ex calamo elabatur. Quis non videt ridiculum esse, si quis hunc errorem in libera illius voluntate causam habuisse arbitraretur?

Respondeo errores quidem accidere eiusmodi in manibus vel in phantasia, non autem in iudiciis cum evidentia formatis. De exemplo isto recte a logicis est animadversum errorem in mente non accidere, cum una nota loco alterius manu scribitur, sed in supputationis exitu, cum iudicium fertur summam vel differentiam repertam eam esse, quae quaesita fuerit. In quo iudicio latet condicio: nisi lapsus calami vel phantasiae contigerit. Qua condicione retenta iudicium prudens est, neque error est nisi materialis. Neglecta autem illa condicione error quidem formalis erit, sed manifeste voluntarius. Et illa etiam attentionis interruptio, propter quam error manus vel phantasiae evenit, certe fuit voluntaria.

850. b) Error potest esse *moraliter* invincibilis. Ad omnes enim errores physice quidem vincibiles cavendos maior requiritur attentio et cautio, quam quae homini moraliter possibilis est, immo maior quam prudentia exigit vel permittit. Fieri igitur potest, ut homo in iudicio intellectus erret neque tamen ullam imprudentiae accusationem mereatur.

„Accidere potest", ut est apud *Gonzalez,* „ut prudenter agamus etiam dum fallimur, sive quia obscura rei perceptio vitari vix potest, sive quia tempus non suppetit pro re maturius perpendenda, sive quia, quamvis absolute loquendo distinctius cognosci posset et diiudicari, res tamen tanti non est, ut longius et accuratius examen mereatur, ipsius condicione et natura attentis. Ex quo colligere licet omnem quidem errorem seu fallacem certitudinem esse defectum *physicum,* at non semper *moralem.* Huiusmodi exsistit error haereticorum bonae fidei, qui ex educatione ceterisque adiunctis ita comparati sunt, ut absque ullo remorsu vel dubio sectam, quam profitentur, tamquam veram religionem habeant; praesertim si nihil sibi adversans vel legerint vel audierint." [1]

Inde etiam elucet, quo sensu limitato tantum intellegendum sit, cum dicatur omnem errorem esse *peccatum.*

Peccatum dici potest omnis error, quatenus peccatum in operatione consistit, „secundum quod ea non est directa, ut finis exigit, secundum quod *grammaticus* non recte scribit, nec parat recte *medicus* potionem". Quodsi peccatum intellegatur pressius ut *culpa* [2], error tantum formalis peccatum dici potest, si is error facile evitari potuit.

[1] Philosophia elementaria, Matriti 1877, Logica p. 108.

[2] „Peccatum est et in his, quae secundum naturam sunt, et in his, quae sunt secundum artem. Sed culpa non potest esse nisi in his, quae per

851. ***Scholion 4.*** Falsitas in iudicio erroneo inest inhaesive, non obiective, i. e. non qua talis cognoscitur. Obiective inesse dici potest veritas existimata. Qui vere iudicat, in actu signato dicit, v. g.: Petrus sedet, et in actu exercito simul cognoscit et affirmat: Ego iudico Petrum sedere. Qui falso iudicat, in eo quod actu signato affirmat, simpliciter est positive difformis a re; in eo quod actu exercito dicit, partim verus partim falsus est; verus, in quantum dicit: Ego sic puto, falsus, in quantum putat opinionem suam rectam esse. Aliis verbis, iudicium *de re* est simpliciter falsum, iudicium concomitans (implicitum sed immediatum) conscientiae est verum. Obiectum formale iudicii: Petrus sedet, est synthesis inter conceptus obiectivos „Petri" et „sedentis" vel affirmanda vel neganda, prout revera in ordine reali est vel non est. Qui igitur de Petro non sedente affirmat (mente) seu iudicat eum sedere, ponit actum positive difformem a suo obiecto formali.

852. ***Obi. 1.*** Falsitas est difformitas intellectus ab obiecto suo formali; *atqui* intellectus numquam potest esse difformis ab obiecto suo formali; *ergo* intellectus numquam potest esse falsus.

Prob. min. Omnis actus cognoscitivus, ergo etiam iudicium est conformis suo obiecto formali; *ergo* omnis actus cognoscitivus et hinc etiam iudicium est verum.

Resp. *Conc. mai. Nego min. Ad prob. dist. mai.:* Omnis actus cognoscitivus est imago et nihil aliud, *nego mai.;* est aut mera imago aut simul etiam refert seu attribuit imaginem ad aliquod obiectum, *conc. mai. Contradist. min.:* In quantum est imago, *conc. min.;* in quantum refert imaginem ad obiectum, *nego min., nego cons.*

Obi. 2. Obiectum formale actus intellectivi est id, cui proxime et immediate assimilatur; *atqui* assimilari et difforme esse se excludunt; *ergo* actus intellectivus nequit esse difformis a suo obiecto formali.

Resp. *Dist. mai.:* actus apprehensivi, *conc. mai.;* actus affirmativi, *subdist. mai.:* Est illud mere exprimendum, *nego mai.;* est id exprimendum et referendum ad obiectum aliquod, *conc. mai., conc. min. Pariter dist. cons.:* actus mere apprehensivus, *conc. cons.;* actus simul referens formam apprehensam ad obiectum, *nego cons.*

Obi. 3. Obiectum formale est *ratio, sub qua* intellectus rem cognoscit; *atqui* ratio, sub qua res cognoscitur, formaliter qua talis attingitur; *ergo* repugnat difformitas ab obiecto formali.

---

voluntatem sunt. Nihil enim rationem culpae obtinet, nisi quod vituperabile est; neque vituperium alicui debetur propter inordinatum actum, nisi ille actus suo domino subiaceat; habere autem dominium super suos actus, ut scilicet possit facere et non facere, voluntatis proprium est." *S. Thom.* 2 dist. 35, q. 1, a. 1; cf. 2 dist. 30, q. 1, a. 2.

Resp. *Dist. mai.:* Et quidem sive apprehendenda (ut in simplici apprehensione) sive etiam referenda ad obiectum, *conc. mai.;* solum apprehendenda, *nego mai. (contradist. min.:* ratio, sub qua res apprehenditur, *conc. min.*, et simul recte ad obiectum refertur, *nego min.) vel trans. min. Pariter dist. cons.:* Repugnat difformitas in apprehendendo, *trans. cons.;* in iudicando, *nego cons.*

ARTICULUS II.

Possintne in falsitate gradus esse.

853. **Thesis 46.** **Falsitas et formaliter et materialiter et subiective spectata gradus admittit.**

Ad stat. quaest. 1. Falsitas, cum sit difformitas cognitionis a suo obiecto, non modo in negatione pura alicuius veritatis consistit, sed insuper cum recessu positivo a veritate coniuncta est, et semper in actu positivo reperitur.

2. Thesis tribus partibus absolvitur. Falsitas *formaliter* spectata est falsitas, quatenus est ipsa difformitas positiva. Falsitas *materialiter* accepta secundum obiectum materiale attenditur. Falsitas *subiective* spectata ratione actus cognoscitivi accipitur, in quo falsitas inest.

854. **Pars I. Argumentum** *(ex natura falsitatis).* Falsitas est difformitas positiva cognitionis a suo obiecto sive cognitionis ad obiectum suum inadaequatio. At eiusmodi inadaequatio secundum se maior minorve esse potest.

Qui enim solem terra minorem esse putat, magis fallitur, quam qui solem terrae aequalem esse dicit. Et qui bis bina esse decem affirmat, turpius errat, quam qui esse quinque existimat. Falsitas igitur formaliter accepta gradus habet, quia positivum a veritate recessum indicat. Quodsi ab hoc recessu praecidentes consideremus falsitatem, ut in sola negatione alicuius veritatis consistit, ea sane gradus non habet.

Pars II. Arg. 1 *(ex parte obiecti materialis ratione extensionis).* Cognitio una plures quam altera notas de obiecto materiali, quae huic non insunt, affirmare potest, vel etiam, quae ei insunt, negare. Ita qui de terra disserens negat et motum circum solem et motum circum axem et rotunditatem, is certe extensive magis errat, quam qui tantummodo rotunditatem terrae negat. *Ergo* falsitas materialiter accepta *extensive* gradus habet.

Arg. 2 *(ex parte obiecti materialis ratione firmitatis sive intensitatis).* Iudicium, quod per mutatum obiectum numquam ex

falso verum fieri potest, certe ratione firmitatis est magis falsum quam aliud iudicium, quod de falso in verum transire potest.

Iudicia falsa, quae sunt de materia necessaria et immutabili, numquam mutatione obiecti fieri possunt vera; iudicia autem, quae sunt de materia contingente, ex falsis vera fieri possunt. Hoc modo iudicium, quo Deus non esse dicitur, magis falsum est quam illud, quo mundi exsistentia negatur. Et qui totum unam sui partem aequare dicit, magis errat, quam qui me mortuum esse affirmat.

Pars III. Argumentum *(ex principiis, unde actus cognitionis pendet).* Si augeri potest imperfectio illius actus, ex qua mens difformitatem cum obiecto suo habet, etiam ipsa falsitas ex parte subiecti augeri vel minui potest. *Atqui* illa imperfectio augeri minuive potest.

Ad min. 1. Possunt esse tum varii gradus luminis intellectualis tum maior vel minor confusio idearum. Iam vero defectus luminis intellectualis atque idearum confusio non solum faciliorem reddit errorem, sed eatenus etiam firmiorem, quatenus difficilius dedocentur, qui his defectibus laborant.

2. Possunt apparere plura vel maiora motiva apparentia pro falso, et sic species veri, sub quo falsum apparet, gradus habet, et consequenter ipse actus subiective magis falsus est.

3. Potest influxus voluntatis in iudicium esse maior vel minor ideoque intellectus magis vel minus impelli ad considerandas sive unice sive saltem potissimum rationes, quae unam partem suadent neglectis vel spretis rationibus oppositis.

CAPUT II.

De certitudine.

855. Certitudinis natura. Certitudo sensu latissimo determinationem significat sive quoddam „determinatum esse"; sensu strictiore ad determinationem addit firmitatem sive immobilitatem quandam. Ita certa dicitur voluntas, quae a suo proposito non facile removetur; certus amicus, qui amicitiae firmiter addictus est. Atque ita etiam mens certa dicitur esse in cognoscendo, cum veritati firmiter et immobiliter assentitur.

1. *Firmitas* ex parte *subiectiva* in eo consistit, ut omnis actualis dubitatio et etiam ea erroris formido excludatur, quae coniuncta est cum assensu opinativo seu probabili; in hac firmitate consistit *certitudo* mere et pure *subiectiva* assensus. Certitudo igitur subiectiva est firmitas, qua mens uni parti contradictoriae absque

formidine oppositae adhaeret; passim vocatur certitudo *adhaesionis.* Multos, immo omnes homines saepe tali modo uni parti adhaerere nemo est qui neget; sed cum homines saepe non solum veritati, sed etiam erroribus firmiter, immo pertinaciter adhaereant, docent sceptici ad vitandum omnem errorem ab assensu firmo potius abstinendum atque de omnibus esse dubitandum. Et revera talis certitudo mere subiectiva seu status ille subiectivus, cum quo error per se componi posse scitur, ad intellectum nostrum quietandum non sufficit. Nam assensus erroneus sive falsus, etiamsi quis tali assensu errori firmiter adhaereat, cum necessariam cum veritate conexionem non habeat, per se *mutabilis* est.

2. Hinc certitudo proprie dicta, quae ut a mere subiectiva distinguatur, recte vocatur *certitudo formalis* cognitionis, praeter firmitatem istam subiectivam includit *immobilitatem* fundatam in *cognita veritate.* Sicut enim diximus (n. 826) ad perfectionem veritatis logicae non sufficere, ut mens sit conformis obiecto, sed requiri, ut hanc conformitatem etiam cognoscat, ita ad certitudinem proprie dictam pertinet, ut mens non solum sine haesitatione obiecto adhaereat, sed ut etiam clare cognoscat cum hac assensus firmitate errorem componi non posse. Est igitur certitudo formalis, quae passim etiam vocatur certitudo inhaesionis, subiectiva *et* obiectiva, quatenus scil. valorem suum obiectivum cognitum includit.

3. *Certitudo obiectiva* est ipsa rei veritas, eo modo vel iis rationibus manifestata, quae firmum assensum postulant. Ita realiter coincidit cum evidentia obiectiva; certitudinis vox magis effert firmitatem, vox evidentiae magis claritatem sive cognitionis sive motivi. Et ita factum est, ut a multis utraque vox tum sensu subiectivo tum obiectivo adhibeatur et evidentiae voce significetur gradus perfectissimus certitudinis, quod dolendum esse recte dicit card. *Zigliara.* „Haec duplex, inquit, evidentiae acceptatio in scholis iam praevaluit . . ., velim, ut hac in re philosophi mordicus tenerent rigorosam vocum significationem, ut scil. nomine *certitudinis* designaremus quid subiectivum, nempe firmitatem adhaesionis alicui cognoscibili; et nomine *evidentiae* quid exclusive obiectivum, nempe perspicuitatem intellegibilis. Hoc pacto evitaretur periculum confundendi elementum subiectivum cum elemento obiectivo nostrarum cognitionum, et non indigeremus distinctionibus uti, quotiens sermo est de evidentia et de certitudine.“ [1]

De certitudine formali cognitionis tria quaerimus, scil. de eius generali notione, de divisione essentiali, de gradibus accidentalibus perfectionis.

---

[1] Summa philos., Logica n. 54, II.

ARTICULUS I.

Definitio et essentia certitudinis (et opinionis).

856. **Thesis 47.** **Certitudo formalis recte definitur assensus firmus, quo mens rei cognitae adhaeret propter motivum infallibile (seu necessario cum veritate conexum), quod ut tale percipitur.**

Ad stat. quaest. 1. *Assensus.* Loco „assensus" saepe in definitione certitudinis dicitur „status mentis". Certitudo, quae est modus assensus, in mente ut *actus* reperitur, et etiam ut *habitus.* Ut actus exsistit, cum actu fit assensus mentis ad aliquam veritatem clare cognitam. Ut habitus exsistit, cum mens de veritate, cui antea assensum firmum praestitit, non actu cogitat; et tum certitudo definiri potest: habitus sive dispositio, propter quam mens ad firmiter assentiendum veritati prius cognitae inclinatur.

2. *Firmus.* Haec assensus firmitas sive immobilitas ex conceptu certitudinis est atque omnem mentis vacillationem sive fluctuationem in assentiendo excludit.

Quae firmitas oriri potest aut ex affectione pure subiectiva, aut ex iudicio sive directo sive indirecto, quo mens videt rem ita esse et aliter esse non posse. Quamdiu intellectus id nulla ratione videt, nulla habet in obiecto fundamenta, quibus tuto, firmiter, immobiliter inniti possit. Postquam vero vidit vel prudenter iudicavit rem aliter esse non posse atque percipitur, iam status ille mentis veritati adhaerentis redditur firmus atque immobilis.

3. *Rei cognitae,* i. e. cognitae quocumque modo, sive immediate sive mediate sive ex rationibus rei internis sive ex firmo testimonio, quod rei externum est.

4. *Propter motivum infallibile,* i. e. propter motivum, cui necessario conexa est rei cognitae veritas; igitur non sufficit motivum probabile. Ut enim mens in re cognita firmiter quiescat, videre debet rem ita esse et saltem hic et nunc aliter esse non posse. Notandum autem est, non agi de necessitate ipsius enuntiabilis seu de necessaria coniunctione inter subiectum et praedicatum, sed de nexu inter motivum assensus et iudicii veritatem. Quae in iudiciis v. g. contingentibus non coincidunt. Ita in iudicio: Petrus exsistit, nullus est nexus necessarius inter subiectum et praedicatum, sed inter motivum, propter quod Petrus ipse iudicat se exsistere (scil. suae conscientiae testimonium), et eius iudicii veritatem est conexio necessaria.

5. *Quod ut tale cognoscitur;* i. e. ut mens in cognitione vere quiescat, non sufficit, ut motivum in se sit necessarium seu infallibile, sed requiritur, ut ea necessitas menti innotescat.

6. Necessitas et infallibilitas distinguitur absoluta et hypothetica, distinguitur metaphysica, physica, moralis. Hac thesi nondum inquirimus, qualis necessitas ad certitudinem requiratur vel sufficere possit, sed generatim postulamus *veram* aliquam necessitatem et infallibilitatem.

857. **Argumentum** *(ex iis quae ad bene definiendum requiruntur).* Definitio, quam indicavimus, omnes dotes habet bonae definitionis. Est ergo retinenda.

1. Est *clarior definito.* Nam id aperte explicat, quod in nomine certitudinis latet implicitum.

2. Est *reciproca.* a) *Soli* definito convenit. Nam si alii mentis statui tribui posset, is esset aut ignorantia vel dubium negativum, aut dubium positivum, aut suspicio aut opinio probabilis. Sed nulli ex his convenit, ut ex explicatis alibi satis intellegitur.

Ex his omnibus maxime ad definitionem accedit opinio; quae tot tantisque rationibus probabilibus niti posse videtur, ut quis rei cognitae firmiter adhaereat. Sed ne huic quidem opinioni definitio convenit [1]. Nam ab opinione, quamdiu opinio est, firmitas illa abest, quae in definitione significatur. Quatenus autem opinio certitudinis est particeps (certitudinem enim *mere* subiectivam et improprie dictam habere potest), est etiam particeps definitionis.

b) *Omni* certitudini convenit, quam per definitionem intendunt philosophi definire. Haec est certitudo illa formalis seu inhaesionis, quae dici solet certitudo simpliciter.

Quae praeterea dicitur certitudo, sicut se habet ad certitudinem simpliciter dictam, ita se habet ad datam definitionem. Quo loco mentio facienda est certitudinis obiectivae et mere subiectivae.

3. Est *brevis;* omnia enim requiruntur: a) *firmus;* nam certitudo omnibus fatentibus est status perfectus mentis in acquisitione veritatis; *ergo* requiritur, ut assensus sit firmus et quietus; b) *motivum infallibile* requiritur, nam illud solum fundat assensum firmum; assensus enim certus ob aliquod motivum praestitus aequivalet illationi, qua ex isto motivo infertur rem ita esse et contradictorium non esse; *atqui* ad non esse non valet illatio nisi a non posse; *ergo* requiritur motivum, cum quo contradictorium asserti et error non possit consistere, i. e. motivum infallibile; c) *qua tale cognitum;* hoc requiritur, ut motivum vim suam in intellectum exerceat; nam sicuti ad veritatem, ita ad certitudinem

[1] Cf. *Alamannus,* Summa philos. 1, q. 36, a. 1.

perfectam requiritur, ut non solum inhaesive, sed etiam obiective sit in mente.

4. *Non* est *negativa;* quod patet.

858. **Thesis 48.** **Certitudo essentialiter differt ab opinione ideoque ex sola probabilitatum additione numquam oriri potest certitudo; tamen probalitatum coniunctio materiam praebere potest demonstrationi certae.**

Ad stat. quaest. 1. De argumentatione probabili cf. n. 307 sq et n. 695 sq; de probabilitatis aestimatione et conceptu opinionis cf. n. 316—319. Non est dubium, quin revera possit esse opinio tamquam status intermedius inter dubitationem et certitudinem.

Nam fieri potest, ut intellectus post electionem quandam voluntariam infirmam et debilem[1] feratur in unam partem contradictionis cum formidine alterius[2], ita ut revera assentiat uni parti cum dubitatione tamen et formidine alterius[3]. Atqui eiusmodi assensus neque dubitatio est neque certitudo. Non est dubitatio; nam etsi infirmus est, est tamen assensus in partem alterutram ut veram, qui assensus in dubitatione deest. Neque est certitudo; nam etsi est assensus, est tamen assensus infirmus propter erroris formidinem; quae formido a certitudine abest.

Formido aliqua est de essentia actus opinativi, non autem requiritur, ut semper sit formido actualis, sed sufficit radicalis.

859. 2. Opinionem probabilem gradus admittere res manifesta est. Et tanta potest esse probabilitas, ut in vitae consuetudine et rerum usu et consiliis capessendis eandem fere vim habeat atque certitudo. Saepissime necessitas agendi homines impellit, ut maximam probabilitatem sequantur, cum certitudo in sescentis rebus obtineri non possit. In his igitur homines ex more prudenti et rationabili agunt, *quasi* certi essent. Quam ob rem haec summa probabilitas certitudo moralis latiore sensu dicitur. Et revera qui hac ducuntur, subiective non dubitant, sed adhaesione firma rem amplectuntur, quamvis ea adhaesio obiective, i. e. ex parte motivi ad magnam probabilitatem reducatur. Atque haec ea est certitudo, quae *prudentialis* vel *directiva* dicitur. Haec igitur, quae aequivoce vocatur certitudo, si obiective spectatur, est maxima quaedam probabilitas; si subiective, nihil est nisi opinio imperturbata. Et aequivoce vocatur etiam *moralis*. Dum enim certitudo proprie dicta moralis dicitur, quia in natura et moribus hominum fundamenta habet, hanc moralem nuncupant,

---

[1] *S. Thom.*, S. th. 2, 2, q. 2, a. 9 ad 2.
[2] Ibid. 1, q. 79, a. 9 ad 4. [3] Ibid. 2, 2, q. 1, a. 4.

quia homines ex more secundum eam agere solent non tam propter naturam quam propter perfectionis naturalis defectum.

Non igitur est dubium, quin haec certitudo moralis improprie dicta ex multis rationibus probabilibus inter se additis oriri possit. Videndum nunc, possitne etiam certitudo, quae proprie certitudo sit, ex multis rationibus probabilibus oriri.

860. Pars I. Certitudo essentialiter differt ab opinione, ideoque ex sola probabilitatum additione numquam oriri potest certitudo.

Argumentum. Ea certe essentialiter inter se differunt, quorum conceptus seu essentiae contradictoria continent; *atqui* certitudo et opinio in conceptu suo contradictoria continent; *ergo* essentialiter inter se differunt.

Prob. min. De conceptu et essentia certitudinis est, ut rei cognitae contradictorium simpliciter neget, i. e. non solum ut certum, sed ne ut probabile quidem admittat; contra opinio non excludit contradictorii simultaneam probabilitatem; *ergo* certitudo et opinio in conceptu suo contradictoria continent.

Minor subsumpta de certitudine constat ex eius definitione; quoad opinionem omnes concedunt propositiones etiam contradictorias posse simul esse probabiles. Et revera opinio probabilis per se non cessat esse probabilis in conflictu opinionis oppositae quantumvis probabilioris. Probabile enim aestimatur id, quod motivo absolute et respective gravi nititur. *Atqui* pars utraque contradictionis unius eiusdemque enuntiationis inniti potest motivo absolute et respective gravi. Fieri enim potest, ut pro utraque parte adducantur rationes, quae sint graves, si accipiantur seorsum vel absolute. Cum autem ponatur rationes sententiae oppositae non certas esse, sed probabiles tantum, hae rationes non infallibiles sunt, sed fallibiles. Cum igitur quivis rationabiliter suspicari possit in rationibus sententiae oppositae latere errorem, rationes sententiae prioris manent etiam graves respective. Atque id etiam iudicandum est, si appareat rationes pro sententia opposita esse graviores. Cum enim rationes pro opinionibus inter se oppositis disparatae sint, i. e. ex diversis tractae fontibus, eae inter se directe non opponuntur, hinc simul manere et suam suadendi vim exercere possunt, etiamsi illae his ponderosiores sint.

Atque id ipsum confirmatur per experientiam. Opinionem probabilem definit *Aristoteles:* quae vera videtur omnibus, vel pluribus, vel sapientibus, atque his vel omnibus vel plurimis vel spectatissimis. Sed experientia constat multas esse propositiones inter se contradictorie oppositas, quae sapientissimos homines traxerunt in partes inter se oppositas. Si autem id factum est in propositionibus, quae probabiles sunt probabilitate quadam absoluta, id non rarius evenit in iis, quae probabilitate respectiva imbutae sunt. Res enim plurimae sunt, quae pro diversorum

hominum capacitate uni videntur esse vere probabiles, immo certae, quae ab aliis reiciuntur ut falsae.

861. ***Coroll. 1.*** Ergo licet non possit homo utramque contradictoriam habere ut veram, tamen potest per opinionem unam propositionem tenere ut veram et simul aliam, quae huic est opposita, putare esse probabilem. Nam iudicium, quo quis per opinionem censet aliquam enuntiationem veram esse, alterum iudicium, quo quis contradictoriam enuntiationem vere probabilem esse iudicat, in uno eodemque intellectu tantum inter se excludunt, quantum id ipsum, quod priore iudicio affirmatur, negatur altero. Atqui id tantum abest, ut locum habeat, ut potius saepissime eveniat, ut probabilitas propositionis, quae contradictorie est contra eam, quam quis veram esse tenet, sit certa omnino et evidens.

Coroll. 2. Quinimmo fieri potest, ut homo teneat enuntiationem unam per opinionem ut veram, et simul iudicet eam, quae huic contradicat, esse probabiliorem. Id in iis accidere videtur saepissime, qui ex mala fide per opinionem inhaerent sententiae, quae in se falsa est, ab his tamen defenditur ut vera, etsi iudicent sententiam oppositam multo probabiliorem esse. Neque in hac re ulla cernitur necessitas, qua haec duo iudicia inter se excluderent. Quantumvis enim alteram contradictionis partem probabiliorem esse appareat, motivum tamen esse potest probabile, quo mens impellatur, ut opinative iudicet priorem partem veram esse. — Neve obiciat quispiam idem plane esse, enuntiationem aliquam ut veram statuere atque dicere, hanc ipsam opposita probabiliorem esse. Nam propositionem ut veram opinationem statuere possum, modo adsint rationes graves et solidae, etiamsi rationes graviores contra sint. Etsi enim ut plurimum maioris prudentiae est eam propositionem, quae probabilior sit, etiam ut veram tenere, minime tamen is semper imprudens habendus est, qui probabiliori praefert minus probabilem (modo haec *vere* probabilis sit) eamque ut veram sequitur, praesertim si rationes, quae huic faveant, sub bona voluntatis affectione tractae sunt[1].

Ex sola igitur probabilitatum additione ad summum oritur opinio admodum probabilis seu certitudo improprie dicta (moralis), numquam certitudo proprie dicta.

862. **Pars II. Probabilitatum coniunctio materiam praebere potest demonstrationi certae.**

Complexus rationum probabilium potest esse talis, ut simul coniunctae non constituant meram additionem seu aggregatum,

[1] Cf. *de Lugo*, Tract. de fide divina disp. 20, sect. 3, n. 121 sq.

sed se invicem compleant ad aliquod unum totum, cum quo ut tali contradictorium propositionis iam sit vere insociabile; *atqui* quotienscumque id obtinet, quod rationes seorsim sumptae solum suadent, coniunctim sumptae vere demonstrant; *ergo* tali modo probabilitatum coniunctio materiam, i. e. completum antecedens praebere possunt demonstrationi certae.

Exemplo esse possunt demonstrationes fere omnes inductivae et multae demonstrationes historicae.

863. ***Obi. 1.*** Videtur ex sola probabilitatum additione oriri posse proprie dicta certitudo. Nam 1° fieri potest, ut mihi factum historicum referatur *a centum testibus* ita, ut veram de illo facto nanciscar certitudinem ex relatione istorum centum, ex relatione autem uniuscuiusque solius nanciscerer tantum probabilitatem. *Ergo* ex additione centum probabilitatum orta est certitudo mea. Vel video *sub crepusculo venientem e longinquo hominem.* Si figuram solam aestimo, non est nisi probabile venientem Petrum esse; si solum procedendi modum, neque est nisi probabile venientem esse Petrum; si cantum audio, ex hac re sola iterum oritur solum probabilitas venientem esse Petrum. Praeterea Petrus mihi litteris significavit se ista hora per viam ferream venturum, ex quo item probabile est me obviam habere Petrum. Quibus omnibus probabilitatibus inter se additis certus omnino sum venientem Petrum esse. — 2° Et tota vita eiusmodi certitudine fere regi videtur. Ita *medicus* ex multis indiciis, quorum unumquodque seorsum acceptum nihil efficit nisi probabilitatem, cum vera certitudine iudicat pedem amputandum, porrigendam medicinam, qua aegrotus in vitae et mortis discrimen adducatur. Ita *iudex* capitis damnat reum ob multas perspectas rationes, quarum unaquaeque probabilitatem tantum efficere potest.

Resp. Utrum in exemplis allatis habeatur solum summa quaedam probabilitas (certitudo sensu latiore) an vera et proprie dicta certitudo, inde diiudicandum est, possitne totus complexus componi necne cum contradictorio. Notandum autem ad finem vitae practicae in exemplis allatis omnino sufficere etiam summam istam probabilitatem (cf. stat. quaest. n. 2, n. 859).

Coniunctio rationum in se probabilium potest et debet aliquid novi afferre, v. g. per modum syllogismi ex ipsis rationibus compositi, quod separatim consideratae non ostendunt.

864. ***Obi. 2.*** Nemo unquam indicare potest limites inter probabilitatem illam summam, quam moralem certitudinem vocant, et certitudinem proprie dictam; *atqui* ea, inter quae nulli sunt limites, non essentialiter differunt, sed gradu tantum; *ergo* probabilitati tantum probabilitatis addi potest, ut mutetur in certitudinem proprie dictam.

Resp. 1. *Nego mai.,* nam differentiam accurate indicavit thesis; tum enim et tum solum adest certitudo, si assensus nititur in motivo, cum quo contradictorium necessario pugnat.

Resp. 2. *Dist. mai.:* Non potest quisquam omnes rerum rationes ita clare perspicere, ut in qualibet ratione certo decidere possit, adsitne necessitas et certitudo an solum probabilitas, aliis verbis, non potest canon statui universalis ad omnes quaestiones certo solvendas, *trans. mai.;* non potest quilibet homo in multis et saepe clare et certo perspicere se habere motivum irrefragabile assensus, *nego mai.*

Obi. 3. In argumento partis prioris asseritur probabilitatem non cessare in conflictu opinionis oppositae quantumvis probabilioris. Sed cum concedatur probabilitatem augeri posse, certe etiam concedi debet eam minui posse; minui autem certe videtur probabilitas unius partis contradictoriae, quo magis augetur probabilitas contraria.

Resp. *Distinguo:* Potest minui, *concedo;* per se et necessario minuitur, *nego.* Si rationes pro parte opposita sunt eiusmodi, ut rationes pro parte priore directe minuant, eo ipso minuunt probabilitatem; non vero minuunt, si sunt rationes disparatae.

865. ***Scholion 1.*** Quaeritur, possitne certitudo et opinio simul esse. Dicendum est: 1. non posse eandem mentem de eodem prorsus obiecto esse in actu certo et opinativo; nam licet praeter motiva certa menti praesto esse possint etiam motiva probabilia, ea tunc certitudinem non possunt suspendere, sed potius confirmabunt.

2. Multo minus eadem mens potest simul certo assensu unam enuntiationem ut veram amplecti et simul opinione probabili assentiri contradictoriae. Nihil quidem obstat, quominus mens simul videat adesse rationes probabiles, quae per se valeant alicui alii intellectui rem suadere, sed ipsi actu non valent eam suadere; hoc enim eo ipso destrueret certitudinem.

Scholion 2. *Difficultates*, etiamsi directe solvi non possint, *per se non tollunt* necessario *certitudinem.* Aliud enim est clare cognoscere, cum aliquo motivo assensus contradictorium esse insociabile, aliud hanc insociabilitatem (et consequenter ipsam rei admissae necessariam veritatem) ita distincte et cum analysi usque ad ultimas rationes perfecta perspexisse, ut omnes difficultates enucleate solvere possis. Hoc alterum est summus gradus perfectionis certitudinis reflexae, qui non potest requiri et quoad multas veritates certas ne a doctissimis quidem habetur. Sed prius requiritur. Qui autem hoc cognovit et quamdiu hanc insociabilitatis cognitionem (licet quoad gradum imperfectam) retinet, difficultatibus deinceps ortis non dubitat proprie et per se de ipsa veritate prius certo admissa, sed dubitat de modo, quo haec veritas cum altera, quae etiam certa et tamen contraria appareat, componi possit. Tale autem dubium neque fidem neque ullam certitudinem veram naturalem destruit nec per se destruere potest.

ARTICULUS II.

De certitudinis divisione seu gradibus essentialibus.

866. **Thesis 49.** **Certitudo ratione motivi dividitur in metaphysicam, physicam, moralem; quarum una ab altera essentialiter differt, et una altera per se praestantior est.**

Ad stat. quaest. 1. Recordandum est certitudinem per se subiectivam esse et firmitatem assensus significare, tribui autem etiam obiecto sive enuntiabili.

2. Communiter certitudo tum obiectiva tum subiectiva solet dividi in metaphysicam, physicam, moralem eodem modo, quo dividitur universalitas, necessitas, possibilitas, impossibilitas, repugnantia.

Secundum hanc divisionem a) *metaphysice* obiective certum seu necessarium est, quod in ipsis rerum ideis seu essentiis fundatur ita, ut ne per divinam quidem omnipotentiam aliter esse seu fieri possit; contradictorium huius est metaphysice impossibile; metaphysice possibile est, quidquid intrinsecam repugnantiam non involvit; hinc certitudo (subiectiva) metaphysica est assensus praestitus ex motivo, cum quo contradictorium metaphysice pugnat.

b) *Physice* obiective certum, necessarium est, quod in rerum naturis ita fundatur, ut per solam Dei omnipotentiam aliter esse seu fieri possit; eius contradictorium est physice impossibile; physice possibile est, quidquid rei naturales vires non excedit; hinc certitudo (subiectiva) physica est assensus praestitus ex motivo, cum quo contradictorium enuntiabilis physice pugnat.

c) *Moraliter* (obiective) certum, necessarium est, quod ita nititur in constantibus rationalis naturae moribus, inclinationibus, ut contrarium, licet physice possibile, tamen ob maximam difficultatem non fiat; moraliter impossibile est, quod licet physicas hominis vires non excedat, tamen adeo difficile est propter oppositionem, scil. vel incongruentiam cum legibus moralis ordinis, ut potentia physica (contraria) non reducatur ad actum secundum, propter summam eius difficultatem[1]. Haec difficultas ex repugnantia cum qualibet hominis facultate seu inclinatione oriri potest: ex intellectu seu ratione venit, quod quaedam licet possibilia tamen adeo stulta sunt, ut ea homo sanus serio numquam faciat, ut sunt quaedam mendacia, vel ex inclinationibus voluntatis, passionum etc. Ex dictis patet, quid sit moraliter possi-

[1] *de Lugo,* Tract. de fide divina disp. 1, sect. 13, n. 317.

bile. Hinc certitudo (subiectiva) moralis est assensus firmus, praestitus ex motivo, cum quo contradictorium moraliter insociabile est.

3. Ostendimus hac thesi, secundum triplicem gradum essentialem necessitatis obiectivae recte etiam statui triplicem certitudinem essentialiter diversam.

867. **Argumentum** *(ex indole motivi respectu certitudinis subiectivae).* Certitudo subiectiva eo constituitur, quod intellectus propter motivum ex obiecto tractum iudicat rem ita esse, ut percipitur, et aliter esse non posse. Ergo aptissima est divisio certitudinis, quae ex motivo trahitur. Certitudo enim non est status adhaesionis pure subiectivus, sed intrinsecus, et essentialiter pendet ex motivo obiectivo. *Atqui* triplex est motivum essentialiter diversum, unde intellectus iudicat rem ita esse, ut percipitur, et aliter esse non posse. *Ergo* revera exstat triplex certitudo.

Prob. min. Distinguitur triplex motivum essentialiter diversum et simul vere necessarium.

a) Certe *essentialis differentia* inter necessitatem, quae ita in rerum essentiis nititur, ut ne per infinitam Dei potentiam res aliter esse possit, et quae ostendit oppositum esse intrinsecam contradictionem seu negationem simul et affirmationem rei sub eodem respectu, i. e. inter necessitatem metaphysicam et necessitatem physicam, quae nititur quidem in interna rei physica natura, non tamen ita ut ex conceptu metaphysico rei trahatur et ideo saltem per omnipotentiam divinam exceptionem patiatur. Similiter essentialis differentia est inter necessitatem physicam et moralem, quippe quae etiam absolute exceptionem per vires physicas finitas admittit.

b) Est *vera necessitas;* quod de necessitate metaphysica per se patet. Sed quodlibet motivum, quod *per se* et ex *natura sua* exigit, ut res ita se habeat, essentialiter differt a motivo, quod id ex natura sua non postulat; *atqui* haec est differentia inter motiva physica et moralia et quodvis motivum mere probabile.

Ad cons. Haec discrepantia motivorum ipsam certitudinis essentiam afficit intrinsecus. Non enim de ea certitudine agitur, quae pure subiectiva est vel ex quodam nescio quo stulto voluntatis imperio; quae certitudo ficta est, et non vera; sed de illa agitur, quae essentialiter pendet ex motivis obiectivis. Sicuti ergo assensus ob motivum metaphysicum essentialiter certior est quam assensus ob motivum physicum, et hic essentialiter perfectior quam assensus ob necessitatem moralem, ita omnis assen-

sus ob motivum necessarium essentialiter differt ab omni assensu quamvis probabili. Ergo revera triplex est essentialis gradus certitudinis.

868. ***Obi. 1.*** Constantia legum naturalium et moralium, quippe quam experientia diligentissima plurimorum hominum habeamus cognitam, et quae fundamenta habeat in sapientia divina, aeque certa esse videtur quam constantia legum metaphysicarum. *Ergo* non est in certitudine diversitas nisi accidentalis.

Resp. In quaestione de certitudine physica et morali sermo est de assensu in ipsum *condicionatum*, non de assensu in totam sententiam condicionalem, e. g. in hanc veritatem: Cras sol orietur, et non e. g. in hoc enuntiabile: Si miraculum non fit nec mundi finis ante venerit, eo die eius mensis erit eclipsis solis. De assensu in talem sententiam condicionalem nihil est disputandum; est enim assensus metaphysice et hinc absolute certus. Licet enim non solum condicionatum, sed ipse nexus inter condicionem et condicionatum non sit eo sensu metaphysicus, quod Deus non potuerit alias leges aliosque motus sideribus indere, tamen cum illis motivis, ob quae scientia hunc nexum asserit, absolute et metaphysice impossibile est hunc nexum non adesse. Item metaphysice certa est haec sententia: Quod testis sciens et verax enuntiat, verum est.

Sermo igitur est de assensu, quem ponit quilibet homo immediate et naturaliter de ipso facto quaesito, e. g. lapis cadet, vel de assensu, quem ponit in veritatem facti ab aliquo probo teste auditi.

Obi. 2. Certitudo mathematica aeque differt a pure metaphysica quam haec a physica. *Ergo* non tres, sed quattuor diversae species certitudinis constituendae esse videntur.

Resp. Motivum certitudinis mathematicae cum trahatur ex ipsis rerum essentiis, ex eodem fonte hauritur, ex quo accipitur quoque motivum certitudinis metaphysicae. Deest ergo differentia specifica. Differentia ista permagna, quae revera adest, eo efficitur, a) quod res mathematicae, praesertim geometricae, intellectui a phantasia quasi per imagines offeruntur, ita ut mens eas aspectu interno intueri possit; b) quod in mathematica agitur aut de iudiciis analyticis immediatis aut de ratiocinio puro (cf. n. 670).

869. ***Obi. 3.*** Fieri potest, ut de re metaphysice certa habeam certitudinem moralem tantum, velut cum quis theorema pythagoreicum admittit propter testimonium dumtaxat mathematicorum. Quae certitudo moralis fieri potest metaphysica. *Ergo* non est discrimen essentiale.

Resp. In thesi attenditur ad triplicem rerum necessitatem, ut haec est ex se apta, ut gignat in mente assensum sibi respondentem. Distinguenda est enim necessitas ipsius rei sive enuntiabilis a necessitate cognitionis. Illa ontologica est, haec logica. Per se conveniunt principia cognitionis cum ordine ontologico; per accidens autem fieri potest, ut differant, ita ut rem cognoscamus non ex ipsius principiis, sed ex

principiis alienis. Atque ita per accidens fieri potest, ut id quod in se metaphysice certum est, cognoscamus tantum cum certitudine morali. Ea certitudo fieri potest metaphysica tunc tantum, cum accedit aliquod motivum metaphysicum.

Obi. 4. Certe errare videntur illi, qui certitudinem moralem praestantia superari a physica vel metaphysica dicunt. Nam certitudo illa moralis, qua constat exsistere Romam vel fuisse Aristotelem, praestat luce certitudini physicae in rebus plurimis.

Resp. Id tantum dicere volumus, certitudinem moralem *per se* infirmiorem esse. Neque tamen id obstat, quominus in re particulari per accidens eveniat, ut factum ordinis moralis certius nobis sit quam factum ordinis naturalis. Thesis dicit certitudinem methaphysicam per se certitudine physica et morali praestantiorem esse et morali physicam, si videlicet attenditur motivum, quod in hoc negotio res est praecipua.

Si autem ipsa claritas et evidentia attenditur, qua motivum percipiamus, fieri potest, ut certitudo moralis maior sit certitudine physica vel metaphysica, et certitudo physica magis illustret animum quam certitudo metaphysica. Ita multis *exsistentia solis* vel *deleta Carthago* certior est *simplicitate animae rationalis,* quamvis haec formaliter per demonstrationem metaphysicam cognoscatur.

Obiectiones, quae ex natura hypothetica certitudinis physicae et moralis petuntur, thesi sequente tractantur.

870. **Thesis 50.** **Status perfectus cognitionis humanae est certitudo absoluta, quae consistit in assensu essentialiter vero ut tali cognito; sola autem certitudo metaphysica est certitudo absoluta, physica et moralis ut talis hypothetica et intrinsecus dependens ab absoluta aliqua.**

Ad stat. quaest. 1. Parte prima thesis statuimus ad statum perfectum cognitionis requiri, ut mens in veritate cognita omnino et perfecte quiescat. Mens autem perfecte non quiescit nisi in assensu vero, qui innitatur in motivo, quod errorem absolute excludit et excludere cognoscitur. Postquam veritatem perfectam et certitudinis essentiam satis declaravimus, sufficit nunc breviter ostendere certitudinem perfectam debere esse eo sensu absolutam, ut cum ipsa error sit absolute insociabilis; aliis verbis, ad essentiam certitudinis perfectae pertinere, ut assensus sit verus.

2. Parte altera defendimus solam certitudinem metaphysicam esse perfectam et absolutam, prout absolutum hypothetico opponitur. *Absolute necessarium* est, quidquid independenter ab omni hypothesi seu facta quavis hypothesi intrinsecus possibili ita est et aliter esse non potest; *hypothetica* est *necessitas,* cum res se habere aliter non potest vel potest, posito vel non posito aliquo facto contingente. Certitudo igitur absoluta est, quotienscumque nititur in

motivo, quod independenter a qualibet hypothesi contingente veritatem postulat et contradictorium excludit.

3. Parte tertia dicimus certitudinem physicam et moralem utpote ex se hypotheticam intrinsecus etiam ab aliqua certitudine absoluta et metaphysica dependere.

871. Pars I. Ad essentiam certitudinis perfectae pertinet, ut assensus sit verus (in verum).

Arg. 1 *(ex certitudine ut statu perfecto intellectus).* Certitudo absoluta est status perfectus facultatis intellectivae; *atqui* facultas intellectiva non potest habere statum perfectum nisi in assensu vero; *ergo* certitudo absoluta essentialiter est assensus *in verum;* seu absolute repugnat assensus, qui simul sit perfecte certus et erroneus.

Prob. min. Nulla facultas potest habere statum (actum) perfectum seu perfecte quiescere nisi in suo obiecto obtento (secus esset indifferens ad suum obiectum et non esset vera facultas); *atqui* obiectum intellectus est verum; *ergo.*

Arg. 2 *(ex absurditate scepticismi universalis).* Sceptici de omnibus dubitandum esse docent, quia numquam scire possimus, num res talis sit, qualem eam esse iudicamus; *atqui* si cum ipsa certitudine absoluta error componi potest, revera numquam scimus, num res talis sit, qualem eam esse iudicamus; *ergo* admissa fallibilitate certitudinis logice pervenitur ad absurditatem scepticismi universalis.

Confirmatur. Admissa fallibilitate certitudinis destruitur essentialis (et in ordine obiectivo fundata) differentia inter assensum certum et non certum; *atqui* destructa hac differentia essentiali sequitur scepticismus universalis; *ergo.*

S. Thomas saepe certitudinem per infallibilitatem cognitionis declarat: „Est . . . aliquis rationis processus necessitatem inducens, in quo non est possibile esse veritatis defectum; et per huius rationis processum scientiae certitudo acquiritur." [1] „Certitudo non potest esse de eo, quod potest deficere." [2]

872. Pars II. Sola certitudo metaphysica est absoluta in oppositione ad hypotheticam.

Arg. 1 *(ex proportione inter causam et effectum).* Certitudo absoluta, prout opponitur hypotheticae, non potest aliter intel-

[1] In l. 1 anal. post. lect. 1; cf. S. th. 1, 2, q. 40, a. 2 ad 3.

[2] S. th. 2, 2, q. 18, a. 4, ad 3, ubi hanc partem obiectionis nullo modo negat.

legi, nisi ut dicatur assensus firmus in veritatem cognitam praestitus ex motivo, quod antecedenter et independenter ab omni hypothesi seu facta qualibet hypothesi intrinsecus possibili exigit, ut enuntiabile sit verum et contradictorium falsum; *atqui* motivum eiusmodi non est nisi metaphysicum; *ergo* sola certitudo metaphysica est absoluta in oppositione ad hypotheticam.

Ad mai. Certitudo (subiectiva) hypothetica et absoluta non potest ita intellegi, ut assensus dicatur hypotheticus aut absolutus: mens enim aut assentitur aut non. Sed nota: „hypothetica" (absoluta) unice potest referri ad vocem „firmus", ita ut dicatur assensus hypothetice vel absolute firmus.

Prob. min. Causa hypothetica non potest producere effectum absolutum, seu firmitas certitudinis subiectiva non potest esse maior quam firmitas motivi; *atqui* solum motivum metaphysicum est absolute firmum.

Arg. 2 *(ex modo, quo certitudo physica vel moralis fieri potest reductive absoluta seu reducitur ad absolutam).* Enuntiabile physice certum eo potest fieri absolute certum, quod absolute constat exceptionem per miraculum non fieri (aut factam esse): *atqui* hoc absolute constare non potest nisi ex motivo metaphysico; *ergo* certitudo physica (et idem valet de morali) nequit fieri absoluta, nisi quatenus transit seu evehitur ad metaphysicam.

Maior evidens est et a nemine negatur.

Prob. min. Exceptionem non fieri aut scitur ex motivo metaphysico, et tunc certitudo characterem absolutum (in quantum illum revera habet) accipit ex principio metaphysico estque dicenda certitudo reductive metaphysica; aut exceptionem non fieri scitur iterum ex motivo non metaphysico, i. e. tali, quocum seu quo stante adhuc manet exceptio absolute possibilis, et tunc certitudo non est magis absoluta, atque antea fuit; *ergo* omnis certitudo absoluta aut immediate aut saltem reductive est metaphysica.

873. Pars III. Certitudo hypothetica (physica et moralis) intrinsecus dependet a certitudine absoluta et metaphysica.

Arg. 1 *(illatione ex parte prima et secunda).* Ex parte prima thesis constat intellectum non habere statum perfectum cognitionis circa aliquod obiectum nisi in certitudine absoluta, i. e. in cognita absoluta infallibilitate istius assensus; ex parte secunda constat eiusmodi certitudinem solam esse sive immediate sive reductive metaphysicam; *atqui* absurdum est exsistere aliquam facultatem, quae numquam habere possit suum actum perfectum, ad quem apta et nata est; *ergo* repugnat, ut facultas intellectiva

restringatur ad certitudinem hypotheticam, et ideo certitudo hypothetica dependet a certitudine absoluta (eam necessario supponit).

874. Arg. 2 *(ex necessario fundamento omnis certitudinis).* Assensus certus omnis, proinde etiam hypothetice certus, nititur in principio contradictionis cognito tamquam in fundamento, uti thesi de veritatibus primitivis (n. 471 sq) ostensum est; *atqui* certitudo de principio contradictionis est certitudo absoluta et metaphysica; *ergo* certitudo hypothetica supponit certitudinem absolutam.

Ad mai. Principio contradictionis non certo cognito ne rationabiliter quidem dubitare et inquirere quidquam sana mens potest (cf. n. 438 sq 465 sq), nedum ullo modo iudicare rem ita esse et aliter esse non posse.

Ad min. Dixerit aliquis principium contradictionis esse quidem in se principium metaphysicum, sed etiam ex alio fonte, v. g. ex auctoritate, cognosci posse. At fides est cognitio mediata, et ut rationabiliter et certo alicui testi credere possimus, praerequiritur alia cognitio et tandem aliqua cognitio immediata. Speciatim autem principium contradictionis nulla cognitione mediata vel demonstratione ostendi potest, sed primo cognoscendum est; neque ignorari potest; est enim ex iis principiis, quorum proprium est, quod non solum necesse sit ea per se vera esse, sed etiam necesse sit videri, quod sint per se vera (n. 468). *Ergo* principium contradictionis necessario cognosci debet et cognoscitur certitudine absoluta et metaphysica.

875. Arg. 3 *(ex fundamento speciali certitudinis hypotheticae).* Certitudo hypothetica nititur in necessitate physica et morali seu in certo cognita exsistentia legum physicarum et moralium; *atqui* istae leges certo cognosci non possunt nisi ope principiorum metaphysicorum; *ergo* certitudo physica et moralis necessario supponunt certitudinem metaphysicam.

Ad min. Cum ope experientiae proxime non cognoscantur nisi facta singularia et contingentia, inductio autem completa fieri nequeat, certitudo de legibus istis acquiri non potest nisi adhibitis principiis metaphysicis a priori cognitis seu cognitis ex rationibus metaphysicis (cf. de inductione incompleta perfecta n. 685 sq et praesertim n. 688).

Ergo non solum requiritur motivum metaphysicum ad hoc, ut aliqua certitudo physica et moralis fiat absoluta (reductive metaphysica), sed iam praerequiritur certitudo aliqua metaphysica, ut de aliqua re haberi possit vera certitudo physica (hypothetica).

Ut enim physica certitudine aliquid asseram, nosse debeo illud ita cum rei natura cohaerere, ut secluso interventu omnipotentiae divinae exceptionali res aliter esse seu fieri non possit. Talem autem conexionem physice necessariam non aliter certo cognoscere possumus nisi inductione incompleta perfecta, i. e. ea qua ex sufficiente numero observationum ope alicuius principii ex rationibus metaphysicis cogniti concludamus unicam rationem sufficientem constantiae observatae esse rei naturam seu necessitatem (legem) physicam.

876. ***Coroll. 1.*** Ergo duplex est discrimen essentiale inter certitudinem metaphysicam et reliquas; primo in eo quod metaphysica sit essentialiter perfectior, secundo in eo quod physica et moralis certitudo etiam suam firmitatem essentialiter inferiorem non habeant nisi cum intrinseca dependentia a certitudine metaphysica.

Coroll. 2. Ex ista intrinseca dependentia certitudinis hypotheticae a certitudine absoluta sequitur absonum esse cogitari intellectum, qui de nulla omnino re seu in nulla omnino sua cognitione habeat certitudinem metaphysicam. Si igitur auctores et scriptores, qui (uti apud modernos passim invenies) asserunt nos numquam habere certitudinem perfectam, scepticismum absolutum logice non effugiunt. Scepticismus efficaciter non impugnatur nisi eo, quod firmiter ob oculos ponitur nos revera de multis habere certitudinem simpliciter absolutam. Ex altera parte sua vis vera licet imperfecta agnoscenda est motivis physicis et moralibus.

877. ***Scholion 1.*** Propter istam intrinsecam dependentiam videtur rectius dici tres certitudines assignatas non constituere tres proprie dictas species unius generis univoci. Difficile enim erit assignare rationem genericam proprie dictam, i. e. perfecte univocam. Necessitas enim dicit: ita esse, ut non possit non esse. In ipsa hac quasi-generica ratione conveniunt, simul tamen etiam inter se differunt, i. e. imperfecte conveniunt necessitas metaphysica, physica, moralis. Porro necessitas physica et moralis ex conceptu suo supponunt metaphysicam. Quare inter tres istos gradus certitudinis videtur adesse *analogia attributionis intrinseca*, in qua analogatum principale sit certitudo metaphysica, certitudo vero physica et moralis a metaphysica dependeant et eatenus sint vera certitudo, quatenus, licet essentialiter imperfectiore, tamen vero modo participent naturam certitudinis, quae primario et plenissime invenitur in certitudine metaphysica.

878. ***Scholion 2.*** Ex thesi igitur elucet solam certitudinem metaphysicam esse omnino perfectam et absolutam in oppositione ad hypotheticam. Quodsi vero absolutum sumitur in oppositione ad *relativum* seu *respectivum,* recte etiam certitudo physica et moralis possunt distingui in *absolutam* et *respectivam.*

Hoc sensu adest absoluta certitudo, quando nititur in tali motivo, quod sufficit ad omnem intellectum ad assensum trahendum; *relativa* seu *respectiva* adest, quam primum quis pro sua capacitate ita rationes sibi pervias perspexit, ut sibi hic et nunc videantur veritatem enuntiabilis exigere. Haec respectiva certitudo potest esse imperfecta et fallibilis; melius enim rem perspicienti rationes, quae videbantur cum contradictorio pugnare, tamen fortasse ut cum eo sociabiles cognoscentur. Est tamen assensus talis non mere caecus (nec mere subiectivus), nec per se, i. e. abstrahendo a culpa, sive aliena sive propria, ordinarie homines tali modo assentiendo in errorem perducentur. Propterea etiam in tali assensu est subiectiva certitudo, quae admitti potest et debet tamquam sufficiens norma directiva operationum sequentium tum *intellectus* tum *voluntatis,* donec melior seu profundior cognitio dubium reale et serium gignat.

Simili modo praeterea certitudo etiam dicitur relativa ad statum alicuius scientiae praesentem. Hoc sensu nunc dicitur certum esse oxygenium dividi non posse, et huiusmodi.

879. ***Obi. 1*** (contra arg. 1 partis 1). Certitudo est status perfectus mentis; *atqui* status perfectus mentis non habetur nisi in cognitione rerum adaequata (per causas ultimas intrinsecas et ultimam extrinsecam); *ergo* secundum hoc argumentum ad omnem certitudinem talis cognitio requireretur.

Resp. *Dist. mai.:* Certitudo est status perfectus mentis ratione veritatis formaliter spectatae, i. e. ratione firmitatis, qua obiecto alicui formali tamquam vero adhaeret, *conc. mai.;* ratione totius ambitus obiectorum materialium, *nego mai., contradist. min.* (cf. de veritate absoluta et relativa n. 446).

Obi. 2 (contra arg. 2 partis 1). Ad scepticismum universalem excludendum non requiritur aliqua certitudo absolute infallibilis, sed sufficit quaelibet vera certitudo; *ergo* primum argumentum nimis postulat.

Resp. *Dist. antec.:* Quilibet assensus certus sufficit ad actualem exclusionem dubii universalis, *conc. antec.;* ad hoc, ut logice conficiatur omnino scepticismus universalis, *nego antec. Pariter dist. cons.* nimis postularet, qui solam istam absolute perfectam certitudinem agnoscere vellet ut certitudinem veram, *conc. cons.;* nimis postulat, qui ad statum absolutum perfectae certitudinis requirit assensus infallibilitatem absolutam, *nego cons.*

880. ***Obi. 3*** (contra partem 2). Certitudo physica potest esse absoluta. *Prob. assert.* Facta contingentia (v. g. propria exsistentia, actus proprii interni) possunt esse absolute certa; *atqui* haec nequeunt esse metaphysice certa; *ergo* admittenda est certitudo absoluta, quae non sit metaphysica.

Resp. *Dist. assert.:* Per reductionem ad metaphysicam certitudinem, *conc. assert.;* per se et qua talis, *nego assert. Ad prob. conc. mai., nego min.*

Inst. Firmitas cognitionis nequit esse maior quam obiectiva veritatis necessitas; *atqui* facta contingentia non habent obiectivam necessitatem metaphysicam; *ergo* neque firmitas cognitionis eorum potest esse metaphysica.

Resp. 1. *Retorqueo argumentum,* scil. non magis habent obiectivam necessitatem absolutam quam metaphysicam; *ergo* neque posset de iis haberi certitudo absoluta (ex argumento obicientis).

Resp. 2. *Dist. mai.:* Firmitas cognitionis nequit esse maior quam nexus inter enuntiabilis subiectum et praedicatum, *nego mai.;* nequit esse maior quam nexus inter motivum assensus et ipsius enuntiabilis veritatem, *conc. mai. Contradist. min.:* Facta contingentia non sunt in se metaphysice necessaria, *conc. min.;* si sunt, nequeunt habere metaphysicum nexum cum aliis, ex quibus cognoscuntur, *nego min., nego cons.*

Explicatur: Non potest esse cognitio certa, qua cognoscam v. g. me cum metaphysica necessitate exsistere; haec enim cognitio esset falsa. Potest autem esse cognitio, qua cum metaphysica infallibilitate plenissime scio me contingenter quidem, sed vere exsistere (cf. n. 856, 4).

Pro intellectu, qui non indiget determinatione ab obiecto, sed mere obiecti veritatem respicit ut terminum, sicuti est intellectus divinus, quidquid verum est, eo ipso est etiam absolute et metaphysice certum [1].

881. ***Obi. 4.*** Si verum est, quod altera parte asseritur, solam certitudinem vel directe vel reductive metaphysicam esse certitudinem absolutam, sequitur certitudinem physicam et a fortiori moralem non esse veram certitudinem; et ita ruit thesis prior (49[3]). *Prob. antec.* Ad certitudinem veram requiritur impossibilitas contradictorii; *atqui* motivum physicum et morale non ostendunt impossibilitatem contradictorii; *ergo* non est certitudo praeter metaphysicam.

Resp. *Nego antec. Ad prob. dist. mai.:* Requiritur contradictorii impossibilitas intrinseca in se, *nego mai.;* requiritur incompossibilitas seu impossibilitas simultaneitatis contradictorii cum motivo assensus, *subdist. mai.:* absoluta, *nego mai.;* saltem physica vel moralis, *conc. mai., contradist. min.* et *nego cons.*

Inst. 1. Certitudo physica nulla est, nisi reducatur ad metaphysicam. *Prob.* Tam diu non adest certitudo, quamdiu rationabiliter suspicari potes contradictorium; *atqui* quamdiu non absolute scis exceptionem (v. g.

[1] Cf. *Frick,* Logica[4] n. 231.

per miraculum) exclusam esse, rationabiliter suspicaris contradictorium: *ergo* certitudo physica qua talis nulla est.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.:* Quamdiu non absolute scis exceptionem excludi, tam diu recte non assentiris cum absoluta firmitate, *conc. min.;* rationabiliter suspicaris contradictorium et cohibes assensum physice certum, *subdist. min.:* si adsunt rationes positivae ad hoc, *conc. min.;* sine positiva alia ratione praeter absolutam miraculi possibilitatem, *nego min. Pariter dist. cons.:* Certitudo physica non est absoluta, *conc. cons.;* non est vera, licet essentialiter imperfectior quam metaphysica, *nego cons.*

Inst. 2. *Atqui* quod nulla adsit ratio suspicandi exceptionem (per miraculum), solum excludit contradictorii probabilitatem, non possibilitatem.

Resp. *Dist. min. subs.:* mera absentia rationis, *trans.;* simul cum motivo physico, *subdist.:* non excludit possibilitatem absolutam, *trans.;* physicam, *nego.*

Ad difficultatem notandum est hoc: Motivum certitudinis non consistit mere in eo, quod solus Deus possit efficere contrarium; licet enim plenissime sciam solum Deum posse aliquid creare, inde nullo modo dicere possum, ne cum probabilitate quidem: ergo non creabitur; sed motivum certitudinis consistit in rerum natura positive cognita ut fixa et stabili, subdita tamen omnipotentiae divinae.

Absentia rationis, quae exceptionem (miraculosam) suadeat, est condicio, ut mens in assensu physico quiescere possit. Quamprimum autem ratio positiva exceptionem suadet ut probabilem, mens assensum suspendit et exspectat.

882. ***Obi. 5.*** Motivum physicum videtur solum fundare summum gradum probabilitatis.

Prob. Quo maior adest probabilitas miraculi, eo minor est probabilitas pro lege, et quo minor fit probabilitas exceptionis, eo maior fit probabilitas pro lege; *atqui* solo augmento probabilitatis non fit certitudo; *ergo* etiam si nulla manet probabilitas exceptionis, ex lege physica ad summum habetur maxima probabilitas.

Resp. *Nego assert. Ad prob. dist. mai.:* Maior vel minor probabilitas minuit vel auget vim legis seu necessitatem physicam, *nego mai.;* haec enim necessitas eatenus est in indivisibili, quatenus soli omnipotentiae cedat; non est autem quasi vis aliqua, quae resistentiam maiorem vel minorem exercere possit pro vi et pondere rationum, quae postulent miraculum. Minuitur vel augetur probabilitas vel exceptionis vel legis in hoc casu servandae, *subdist. mai.:* et quidem ita, ut quaelibet ratio vere probabilis statim simpliciter suspendat assensum physice certum, *conc. mai.;* ita ut certitudo physica plus minusve minuatur pro gravitate et numero rationum probabilium miraculi, *nego mai., conc. min. Dist. cons.:* Si nulla adest ratio miraculi, miraculum est maxime improbabile, *conc. cons.;* certitudo physica nititur in absentia talis rationis et non positive in vera necessitate physica, *nego cons.*

883. ***Obi. 6*** (contra partem 3). Ad certitudinem physicam sufficit motivum physicum; *ergo* non praerequiritur certitudo metaphysica, et nulla est difficultas, quominus aliqua mens restringatur ad certitudinem physicam.

Resp. *Dist. antec.:* ut motivum, *conc. antec.;* ut fundamentum, *nego antec.* et *pariter dist. cons.*

Inst. Si requiritur certitudo metaphysica ut fundamentum physicae, haec ipsa fit reductive metaphysica.

Resp. Si ad certitudinem physicam praerequiritur, ut metaphysice certus sim adesse necessitatem metaphysicam rei, *conc. antec.;* si sufficit, ut absolute certus sim adesse necessitatem saltem physicam rei, *nego antec.* et *nego cons.*

ARTICULUS III.

De certitudinis gradibus accidentalibus.

884. **Thesis 51.** **Certitudo admittit gradus accidentales tum quoad positivam firmitatem adhaesionis tum quoad aestimationem.**

Ad stat. quaest. 1. Gradus accidentales intelleguntur in oppositione ad differentias et gradus essentiales, de quibus articulo altero egimus. Sensus igitur thesis est, unam v. g. certitudinem absolutam et metaphysicam altera certitudine etiam absoluta firmiorem esse posse; similiter unum assensum physice certum alio assensu etiam physice certo firmiorem vel minus firmum esse posse; et similiter de certitudine morali.

2. Considerata certitudinis definitione patet ipsam duobus modis posse considerari, scil. secundum partem negativam seu exclusionem formidinis erroris, et secundum partem positivam seu firmitatem assensus. Exclusio formidinis erroris, si formaliter spectatur, est quaedam negatio, i. e. absentia formidinis: hinc consistit in indivisibili. Nam aut tota formido exclusa est aut non; si alterum, non habetur certitudo, si prius, nihil remanet excludendum.

3. In parte positiva certitudinis duplicem notamus rationem, qua certitudo una altera accidentaliter perfectior esse possit, scil. adhaesionis *firmitatem* et *aestimationem;* quae duo saepe quidem, immo fortasse plerumque eodem gradu adsunt, non tamen necessario. Adhaesionis firmitas eo maior est, quo *facilius et clarius* mens cognoscit motivi valorem, aestimatio eo maior, quo *maiorem* motivi *valorem* esse mens cognoscit. Quo maior est adhaesionis firmitas, eo magis remotum est omne dubium et dubii (subiectivi) periculum: quo gravior est ratio postulans rei veritatem, eo maioris obiectivi valoris est ipsa certitudo.

885. **Argumentum** *(ex iis quae in assensus firmitatem et aestimationem influunt).* Certitudo mentis proportionata est 1° motivis, quae ad assensum movent, 2° claritati, qua haec motiva menti innotescunt, 3° influxui voluntatis; *atqui* haec tria gradus admittunt etiam intra unumquemque ordinem certitudinis; *ergo* etiam intra unumquemque ordinem certitudinis possibiles sunt gradus tum adhaesionis cum aestimationis.

Ad mai. Certitudo mentis 1. *per se* proportionalis est motivo, quod in obiecto proposito ad assensum pertrahit. Nam motivum illud sive obiectum formale est primaria certitudinis causa. 2. Non tamen semper motiva, quae quoad se sunt magis evidentia, sunt etiam certiora quoad nos. „Nihil enim prohibet, id quod est certius secundum naturam, esse quoad nos minus certum propter debilitatem intellectus nostri, qui se habet ad manifestissima naturae sicut oculus noctuae ad lumen solis." [1] Itaque etiam perfectioni subiecti, quod cognitionem elicit, et dispositioni proximae, qua subiectum ad eliciendam cognitionem idoneum fit, certitudo est proportionalis. Generatim enim actus omnis eaque omnia, quae actum consequuntur, a subiecto eiusque ad agendum dispositionibus modum accipiunt. 3. Accedit, ut assensus etiam ex voluntatis imperio esse possit firmiore et tenaciore ad rem adhaesione. Ita veritati ex se moraliter certae quidem, quae tamen pro vita recte instituenda magnum momentum habet, firmiore adhaesione assentiri possumus quam alteri inutili, quae ex se metaphysice certa sit.

886. *Ad min.* 1. Quoad *motiva.* Etiam intra eundem gradum essentialem motiva possunt esse vel plura vel praestantiora; quodsi v. g. veritas aliqua appareat cum compluribus aliis veritatibus absoluta cum necessitate conexa, certitudo absoluta, quae iam ex uno motivo habetur, aliis istis motivis certe augetur; similiter certitudo moralis (tum simpliciter talis tum reductive metaphysica) aestimative maior erit pro gradu auctoritatis, sive numero sive pondere testes sint maiores.

Hac ratione augetur potissimum certitudinis aestimatio seu valor obiectivus.

887. 2. Quoad *claritatem.* Certitudo nostra augetur cum claritate, quam veritas habet relative ad nostrum intellectum; eritque eo maior, a) quo magis obiectum nostro intellectui proportionatur; et haec est ratio, cur ceteris paribus firmius nobis inhaereat per-

[1] *S. Thom.,* S. th. 1, q. 1, a. 5 ad 1. Cf. *Arist.,* Met. 2, 1 (993 b 9).

suasio de rebus etiam sensui perviis et experientia cognitis; b) quo magis immediata est cognitio; licet in se et essentialiter eadem certitudine gaudeat iudicium analyticum immediatum atque conclusio legitima ratiocinii puri, tamen per se firmius mens priori inhaeret; c) quo maior est vis intellectus, sive natura excellat, sive excultior sit studio, meditatione, doctrina, eo clarius rem intellegit, vividius concipit ac penetrat intimius vim motivorum.

Hac ratione potissimum augetur ipsa firmitas adhaesionis seu indubitabilitas, quae potest esse tanta, ut mens de re aliqua evidente non possit cogitare, quin physice ad assensum necessitetur.

888. 3. *Influxus voluntatis.* „Voluntas omnem potentiam applicat ad suum actum“ [1]; potest voluntas mentem movere ad minorem vel maiorem attentionem ad rationes, sive rem confirmantes sive oppositas. Sed etiam in ipsam intensitatem adhaesionis voluntas influere potest. Per se et directe intellectus movetur ad eam assensus firmitatem, quam postulant rationes actu evidentes. Potest autem intellectus simul sive ex memoria sive ex demonstratione aliqua indirecta scire, motiva assensus revera in se habere maiorem vim et valorem, quam sibi nunc actu et immediate eluceat, ideoque recte iudicare rem mereri assensum tantae firmitatis aestimativae, quantam ista motiva in se postulant. Ad talem assensus intensionem tunc voluntas intellectum movere potest vel etiam ab eo dimovere. *Ergo* influxus voluntatis verae et rationabilis certitudinis firmitatem actualem augere potest.

889. ***Scholion 1.*** **De certitudine necessaria et libera quoad exercitium.** Necessitas est determinatio ad unum. Libertas intellegitur necessitatis negatio. Distinguitur libertas *exercitii* et libertas *specificationis*. Assensus est liber quoad exercitium tantum, si intellectus potest assentiri vel ab actu omni abstinere; est liber quoad specificationem, si potest etiam actum positivum aliquem assensui contrarium ponere, i. e. vel dubitare vel negare. Hoc primo scholio de sola libertate exercitii agimus.

Summus gradus *essentialis* certitudinis naturalis humanae est certitudo absoluta (et ea est aut directe aut reductive metaphysica); essentia assensus absolute certi in eo consistit, quod nitatur in motivo, quod cognoscitur ut simpliciter et absolute infallibile. Summus gradus *accidentalis* huius certitudinis quoad firmitatem seu intensitatem adhaesionis sine dubio consistit in eo, quod mens tam clare rei necessariam varietatem percipiat, ut simpliciter necessitetur

[1] *S. Thom.*, S. c. gent. 1, 72.

ad assensum ideoque dubitare iam non possit. Talem certitudinem certe habemus v. g. de exsistentia propria et de principiis primis. Cum evidentia statuta sit recte ut ultimum principium omnis verae certitudinis, evidentia autem sit et definiatur ut necessaria rei intellegibilitas, intellectus autem non sit facultas libera, iam quaeri potest, sitne necessitas de essentia omnis assensus vere certi, an etiam esse possit assensus vere certus, attamen ab intellectu praestitus ex motione et imperio liberae voluntatis.

Quaestio solum esse potest de certitudine naturali; nam assensum fidei supernaturalem esse simul liberum et certissimum, ex fontibus revelationis constat et in theologia explicatur. Sed etiam si quaestio restringitur ad certitudinem ordinis naturalis, omnino concedi debet assensum certum saepe esse liberum libertate ea, quae dicitur libertas *exercitii* (actus). Non solum plerumque a libertate pendet, utrum de re aliqua cogitare et ad motiva attendere velimus, sed etiam si actu ad motivum attendimus, non omne motivum, quod sufficit ad aliquam veram certitudinem, eo ipso necessitat mentem.

890. 1. Motivum *hypotheticum* (physicum vel morale) *per se non* simpliciter *necessitat* intellectum ad assensum.

Per accidens hoc fieri potest; v. g. qui ex errore firmiter putat leges physicas esse absolute necessarias et exceptionem (miraculum) repugnare, is videtur non iam posse dubitare vel suspendere assensum, quotienscumque clare cognoscit condiciones physicas alicuius effectus esse impletas. Tamen eiusmodi error licet hic et nunc sit invincibilis, non est invincibilis seu necessarius per se, i. e. ex natura intellectus, sed per accidens, i. e. consequenter ad aliquem errorem priorem non necessarium.

Qui autem naturam hypotheticam necessitatis physicae scit, per motivum physicum qua tale (i. e. quod non sit reductive metaphysicum) non necessitatur ad assensum, sed tamen rationabiliter in assensu physice certo acquiescet, quotienscumque deest positiva ratio suspicandi exceptionem (per miraculum). Ergo assensus certitudinis physicae et moralis (hypothetice) per se est assensus liber.

891. 2. Si agitur de certitudine *absoluta*, distinctione opus est. Motivum metaphysicum *immediate* evidens simpliciter *necessitat* intellectum ad assensum. Hinc assensus absolute (metaphysice) certus numquam est liber, si actu adest evidentia *immediata*. Si autem evidentia est *mediata* (intrinseca vel extrinseca) quidem, sed tamen saltem reductive metaphysica, duo contingere possunt, scil.:

a) *Aut actu adest evidentia omnium praemissarum omnisque consequentiae,* et si hoc obtinet, intellectus necessitatur ad consequens admittendum, neque voluntas hunc assensum directe impedire potest, quamdiu intellectus actu evidenter perspicit sive ratiocinii sive auctoritatis vim legitimam. Potest tamen voluntas intellectum a motivis evidentibus considerandis avertere et ad difficultates (sive practicas sive theoreticas) considerandas convertere et ita indirecte ab assensu retrahere.

b) *Aut* hic et nunc *non adest actu evidentia eorum omnium,* quae in consequens influunt, et si hoc obtinet, intellectus non necessitatur simpliciter ad consequens nunc actu admittendum, nisi memoria prioris evidentiae sit tam clara, ut evidentiae actuali aequivaleat.

Ergo etiam assensus absolute certus quoad *exercitium* actus potest esse vel necessarius vel liber.

892. ***Scholion 2.*** **De certitudine necessaria et libera quoad specificationem.** Putant aliqui, immo fortasse multi, imprimis clarissimus *Kleutgen,* etiam adesse posse aliquam libertatem *specificationis,* ita ut mens non solum non cogatur ad actum positivum assensus, sed etiam admittere valeat dubium positivum. Dubium tale, si possibile sit et sustentetur contra aliquod motivum, quod cognoscitur sufficiens ad postulandum assensum certum vel immo absolute certum, recte ab auctoribus appellatur dubium imprudens vel, cum de dubio non mere practico sed theoretico agatur, dubium *irrationale.*

Difficultas in eo est, quod omnis certitudo causari debeat per evidentiam, evidentiae autem proprium videatur ut mentem ad assensum necessitet. Ita *Kleutgen* inter alia dicit: „Ad proprie dictam et actualem certitudinem requiritur, ut mens sibi conscia sit se necessitari ad assensum“ [1]; et alibi: „Si agitur de certitudine *sciendi* (in oppositione ad certitudinem fidei supernaturalis), assensus est necessarius“ [2]. Evidentiam autem constanter dicit esse eam rei claritatem, qua res ita menti manifestetur, ut assensus necessario sequatur; bene tamen multotiens inculcat, quod supra in statu quaestionis ad thesim de evidentia (n. 807) monitum est, rationem formalem evidentiae non consistere in necessitate, qua mentem afficit. Non ideo rem veram habemus,

[1] „Zur eigentlichen und aktualen Gewißheit ist erforderlich, daß sich der Geist der Nötigung, sie für wahr zu halten, bewußt werde (Philosophie der Vorzeit I² n. 231, p. 353).

[2] „Das Fürwahrhalten, welches dies [das natürliche Wissen] begleitet, ist auch nach der Lehre der Scholastik ein notwendiges“ (n. 299, p. 469).

quia necessitamur, sed quia clare videmus rem *esse* veram, necessitamur ad eam ut veram agnoscendam [1]. Quomodo igitur nihilominus aliquando abesse potest ista necessitas? Duplicem viam innuit Kleutgen.

893. a) Etiam si agatur de re valde evidenti, uti v. g. de realitate mundi externi, potest mens attentionem avertere a motivis necessitantibus (ab evidenti realitate mundi externi) et ad ea attente se convertere, quae philosophi idealistae et sceptici obiciunt, et ita „forte fieri potest, ut mens torqueat se ad dubium reale de exsistentia rerum extra se: sed certe solum ad breve tempus. Nam conscientia necessitatis... semper iterum se obtrudet et omnem dubii conatum ut stultitiam illicitam ostendet“ [2].

Per rationes sophisticas vix non omnis veritas evidentissima impugnari et ita mens turbari potest; insuper mala voluntas potest intellectum movere ad cavillandum contra veritatem molestam, quod est scienter resistere cognitae veritati.

894. b) Alia via, qua certitudo absoluta esse vel fieri possit libera, a *Kleutgen* refertur potissimum ad veritates non immediate evidentes, sed demonstrandas. Dicit: „Evidentia (subiectiva) solum adest, si omnino clare et praecise intellegimus rem aliter esse non posse“; contra talem autem cognitionem „nihil potest obici, nullum dubium moveri“; voluntas enim reliquas potentias animae non potest movere contra ipsarum naturam [3]. Sed mox pergit: „Ut certi simus, semper requiritur, ut intellegamus rem aliter esse non posse, sed non necessario cum ea claritate, quae ad assensum

---

[1] „Ebensowenig bilden wir die Urteile nach einer blinden Notwendigkeit, sondern wir haben das klare Bewußtsein, zu jenen Urteilen, zu denen wir genötigt werden, nur durch die Erkenntnis ihrer Wahrheit . . . genötigt zu werden. . . . Die Notwendigkeit, so zu denken, entspringt erst aus der Einsicht, daß dies und kein anderes Denken wahr ist“ (n. 307 sq; cf. Theologie der Vorzeit IV², Münster 1873, n. 211, p. 406).

[2] „So mag es möglich sein, daß er [der Geist] sich durch Grübelei in einen wirklichen Zweifel an dem Dasein der Dinge außer ihm hineinarbeitet: aber gewiß nur auf Augenblicke. Denn das Bewußtsein der Nötigung . . . wird stets von neuem sich ihm aufdrängen, und sein Zweifeln oder sein Zweifelnwollen ihm selbst als unerlaubte Torheit erscheinen“ (Philosophie der Vorzeit n. 231, p. 353).

[3] „Evidenz ist nur dann vorhanden, wenn wir mit aller Klarheit und Bestimmtheit einsehen, daß die Sache nicht anders sein könne, als wir sie auffassen. Ein Satz aber, der eine solche Erkenntnis ausdrückt, ist derartig, daß sich wider ihn nichts einwenden, keinerlei Zweifel erheben läßt.“ Der Wille kann die übrigen Seelenkräfte „nicht bestimmen, wider ihre Natur zu wirken“ (Theologie der Vorzeit IV n. 215, p. 412).

necessitat."[1] Certitudo igitur libera adest, si omne dubium adhuc possibile ut irrationale agnoscere debemus; „etiam in hac libera certitudine adest evidentia, scil. evidentia irrationalitatis omnis dubii"[2]. Tale dubium irrationale dicit possibile esse propter imperfectionem et limitationem nostrae mentis. Attamen vix ac ne vix quidem intellegi potest, qua ratione mens sana dubium sustinere valeat, quando illud dubium actu cum evidentia necessitante ut irrationale agnoscit. Si adeo debilis est mens nostra, videtur ei vix umquam fidendum esse. Atque revera statim ipse Kleutgen *obicit:* eam limitationem posse esse rationem *prudenter* suspendendi assensum et dubitandi, nam „quandocumque non necessitamur ad assensum, res aliqua obscuritate tegitur. Anne timendum est, ne obscuritate illa remota res prorsus aliter esse appareat?"[3]

Respondet: „Res, si accurate loquamur, non est tecta sub aliqua obscuritate, sed solum non lucet *ea* (tanta) claritate, quae mentem omnino subicit."[4] — Quae distinctio mira videri potest, cum difficile sit assignare differentiam inter „aliquam obscuritatem" et „minorem claritatem"; et revera si ad idem omnino obiectum refertur, distingui non possunt. Quare auctor ita pergit: „Certitudo ista (libera) non tam occurrit in iudiciis immediatis quam in iis, quae demonstratione indigent. Si igitur defectus claritatis efficeret, ut aliquid ex iis nobis lateret, quae ad argumentum aut praesupponuntur aut ad illud perficiendum requiruntur — et ita non solum adesset minor claritas, sed partialis obscuritas —, ratio dubii *rationalis* adesset et iam non maneret certitudo."[5]

[1] „Immer also müssen wir, um gewiß zu sein, einsehen, daß die Sache nicht anders sein kann . . ., aber nicht mit jener Klarheit, die zur Bestimmung nötigt" (p. 413).

[2] „Es gibt also auch in der freien Gewißheit, wenn sie vernünftig ist, allerdings eine Evidenz, aber es ist die Evidenz der Unvernünftigkeit des Zweifels", da „wir den noch möglichen Zweifel für unvernünftig erklären müssen" (p. 413).

[3] „So oft wir nämlich durch die Erkenntnis des Gegenstandes zum Fürwahrhalten nicht bestimmt werden, liegt über demselben immer noch ein Dunkel. Haben wir also nicht zu fürchten, daß, wofern dies Dunkel aufgehellt würde, der Gegenstand uns ganz anders erscheinen möchte?" (n. 221, p. 422).

[4] „Es ist demnach der Gegenstand, wenn wir eigentlich reden wollen, nicht in irgend ein Dunkel gehüllt, sondern tritt nur nicht in *jener* Helle vor die Seele, durch welche die Wahrheit sich unser Urteil unbedingt unterwirft" (n. 222, p. 424).

[5] „Diese [freie] Gewißheit findet nicht sowohl in Sätzen, die unmittelbar erkannt werden, als in jenen statt, die des Beweises bedürfen. Wenn also der Mangel an Klarheit bewirkte, daß uns irgend etwas, was der Beweis

Obscuritas igitur non cadit in ipsum argumentum, sed in aliud quid cum re intime conexum. Potest enim veritas evidenti argumento demonstrata ita obiective cum re alia difficili esse conexa, ut mens de una cogitare vix possit, quin simul alteram eiusque difficultatem advertat. In tali casu non sine magno bonae et seriae voluntatis influxu ita firmiter ad vim argumenti figitur mentis attentio, ut certitudo obtineatur et retineatur; sed facile distrahitur et ex quiete certitudinis ad dubium turbatur.

Hac ratione ex ipsis clarissimi Kleutgen verbis simul consideratis componi videntur, quae seorsim considerata adeo severius dicta apparent, ut putari possint inter se pugnare. Ne igitur umquam oblivioni detur, quod iam monui, scil. difficultates et obiectiones posse quidem molestas esse, sed non posse tollere certitudinem ipsam firmo et solido motivo fundatam.

895. ***Scholion 3.*** **Libertas fidei non praerequirit certitudinem liberam.** Ratio, ob quam Kleutgen tanta cum diligentia explicare conatus est possibilitatem certitudinis liberae, erat, quia putabat id necessarium esse ad explicandam libertatem fidei supernaturalis. Cum ea quae ante fidem supernaturalem sciri oporteat, Dei nimirum exsistentia et factum revelationis, non sint nobis immediate evidentia, etiam haec cognitio praeambulorum fidei alicui potest esse certa certitudine ista libera; et certe ut singuli ad actum fidei perveniant, non potest requiri, ut in ea philosophice inquisierint, sed requiritur et sufficit singulis certitudo respectiva sed vera (n. 878). Argumenta autem metaphysica et historico-philosophica, quibus Dei exsistentia et factum revelationis demonstrantur, obiective tam firma et solida sunt, ut ea ab ingenio claro et diligenti usque ad claritatem certitudinis necessariae perspici saltem non repugnet. Neque tamen inde orietur difficultas liberi actus fidei. Etiamsi enim quis evidenter cognoscat Deum veracem locutum esse, etiam cognoscit dignum et rationale esse, ut mens veritati revelatae adhaereat assensu, qui non subiectivae suae intellegentiae, sed obiectivo valori auctoritatis infinitae proportionetur. Ad talem assensum *aestimative* super omnia seu infinite firmum cognitio etiam evidentissima, quam obtinere naturaliter possumus, non determinat, sed solum condiciones praerequisitas praebet, ut accuratius in theologia exponitur.

---

voraussetzt, oder wodurch wir in ihm fortschreiten, verborgen bliebe, und somit der Mangel an Klarheit nicht mehr *geringere Klarheit*, sondern jene *teilweise Dunkelheit* wäre, von der in dem Einwurfe die Rede war: dann freilich hätten wir einen vernünftigen Grund zu zweifeln und dürften uns nicht zum unbedingten Fürwahrhalten bestimmen" (n. 222, ad finem).

896. ***Scholion 4.*** **Certitudinis perfectio** neque unice neque primario ex sola assensus necessitate sive indubitabilitate dimetienda est. Ceteris quidem paribus perfectior est certitudo necessaria: sed ceteris paribus eo etiam perfectior est certitudo, quo altiore, firmiore, digniore nititur motivo positivo assensus. Magis quidem in mente nostra exclusa est omnis dubitandi potentia in principiis simplicibus quam in complexae demonstrationis conclusione, magis etiam in mathematica quam in metaphysica demonstratione. Nihilominus omnibus consideratis potest haec altera certitudo esse multo perfectior. Ita licet Dei exsistentia, ipsius providentia non adeo mentem nostram immediata evidentia percellat, ut quis rebus aliis nimis intentus ea vel negare vel in dubium vocare non possit, tamen qui mente sincera, exculta, exercitata diligenter argumenta tot ac tanti ponderis consideravit, facillime statim et ubique ex thesauro suae certae cognitionis colliget, quae clara luce omne dubium expellant et mentem plenissime quietam et securam reddant. Hac ratione etiam quam perfectissima obtineri potest naturalis certitudo earum veritatum tum speculativarum tum historicarum, quae constituunt praeambula fidei et fundamentalem theologiam. Ipsa autem fidei certitudo non quidem *firmitate* actualis indubitabilitatis aequat vel superat certitudinem absolutam et necessariam ordinis naturalis, sed *aestimative* seu dignitate motivi assensus eam essentialiter et ultra omnem comparationem superat. Dignitate motivi augeri non potest, nam motivum est ipsa auctoritas, scientia et veracitas infinita; firmitas absoluta et indubitabilis erit dos cognitionis intuitivae ipsius Dei, quae fidei praemium erit.

Quod autem in fide nobis donata sit certitudo altioris ordinis, neque tollit certitudinis naturalis necessitatem neque minuit, sed miro modo auget eius dignitatem. Nam necessaria nunc est etiam ad hoc, ut praeambulis fidei firmiter statutis fides sit obsequium rationabile. Dignius autem nihil esse potest rationi et scientiae humanae, quam praeparare viam doctrinae divinae.

A. M. D. G.

INDEX ALPHABETICUS.

(Numeri indicantur marginales.)

Abaelardus: de universalibus 620; — de Guil. Campellensi 635.
Absoluta certitudo et hypothetica 694 870 sq; — absoluta et respectiva (relativa) certitudo 878 895; — in historia 740.
— essentiae consideratio 647.
— necessitas et hypothetica 866.
— suppositio terminorum 124.
— et relativa veritas 446 sq.
Abstracta et concreta idea 82.
Abstractio 47 72, 118 642.
Abstractum et concretum universale 646.
Abstractus et concretus terminus 118.
Absurda hypothesis et hypothesis absurdi 175. Argumentum ex absurdo 305.
Academia, academici 425 437 443 524 580.
Accentus fallacia 321.
Accidens logicum, metaphysicum, physicum 86; — praedicamentale 91; — sensibile corporeum 529 sq 539 sq. — Vide loci Aristotelis.
Accidentalis definitio 142.
Accidentis fallacia 322.
Acosmismus 494 sq 516 sq.
Actio et actus 540; — et obiectum 524; — et passio 92.
Activa scientia et factiva 17.
Actus exercitus et signatus 826.
Adiuncta narrationis 721.
Adversativa propositio 172 193 262.
Aenesidemus Cnosius: scepticismum promovit 426.
Aequipollentia conceptuum 101 104; — propositionum 199 sq 212.
Aequivocatio 321.
Aequivocus terminus 114.
Aesthetica 17; — transcendentalis Kantii 599.
Aestimatio probabilitatis 316.
Aestimativa vis 502.
Aeternitas essentiarum et universalium 639; — veritatis 446 672 sq.
Affectus fidei (Schleiermacher) 749, (Jacobi) 788.
Affirmatio et negatio in terminis oppositis 103 115; — in definitione 145; — in iudicio 153 sq 835.
Affirmativa et negativa propositio 165 sq; — hypothetica 175; — modalis 188; — in syllogismo 225 sq 236 237 sq 257 sq.
Agnosticismus, v. empirismus.
Agrippa empiricus 426.
Alamannus 9 110 281 289 678.
Albus color, an sit obiectivus 559.
Albertus Magnus: auctoritas 356 709; — conversio propositionum 209; — definitionis locus 365; — dubitatio (methodica) 350; — historiae usus in philosophia 355; — logicae definitio 54; — eius obiectum 49 50; — logica ut pars interna philosophiae 60; — quaestio 348; — ratiocinium 674; — realismi moderati patronus 643; — syllogismus 65; — topica 357.
Alexander Aphrodisias 357.
Algorithmus logicae 345 346.
Alienatio terminorum 131.
Alliacensis, Petrus, conceptualista 627.
Alphabetica scriptura 111.
Amphibologia 321.
Ampliatio terminorum 130.
Analogia termini 114; — certitudinis absolutae et hypotheticae 877.
Analogia argumentum probabile 307 ad 309 695 696.
Analysis et synthesis 137 149 150.
Analytica iudicia 660 sq; — necessaria ad inductionem 688.
Analytica et synthetica methodus 330 sq.
Ancilla theologiae 41.

Antecedens, consequens in propositione hypothetica 175; — in ratiocinio 221 sq.
Anthropologismus relativisticus 449.
Antonius Genuensis: de conversione et aequipollentia propositionum 199.
Apodictica demonstratio 286.
Aporiarum usus 350—352.
Apparentia et res 582.
Appellatio terminorum formalis et materialis 129.
Apperceptio 576, (Kant) 601.
Apprehensio 48 51; — initialis et finalis 71; — abstractiva, confusiva 646; — humana et divina 71 823 829.
— simplex et comparativa, antecedit iudicium 155; — simplex possitne vera esse 822 sq, possitne esse falsa 840 sq.
Apprehensivum seu virtuale iudicium 153.
A priori, demonstratio, et a posteriori 287 sq; — iudicia 605 606.
Apriorismus 599 769.
Aptitudo mentis ad verum 471 sq 484 sq 594 sq 613.
Arabes de universalibus 621.
Arbitraria idea 78; — arbitrarium signum 107 109.
Arbor Porphyrii 89.
Arcesilaus 425.
Archaeologicae scientiae 733.
Argumentatio: definitio 222; — divisio secundum formam 254 sq (v. syllogismus), secundum materiam 279 sq; — deductiva 290 sq; — demonstrativa 280 sq; — directa, a priori et a posteriori 287; — indirecta 304 sq; — inductiva 293 sq; — probabilis 307 sq; — a posteriori (inductio) 684 sq; — sophistica 320 sq. Falsae argum. exempla 327.
Argumentum: ab analogo 694 695; — ex absurdo 305; — per distractionem 306; — ex datis sive ad hominem 305; — ad ignorantiam, ad invidiam, ad verecundiam 306; — negativum 305 732.
Argumenti inversio, retorsio 306; argumentorum inventio 357 sq.
Aristippus Cyrenaeus, subiectivista 528.
Aristoteles: analysis, synthesis 331 332 334 335; — argumentatio 223 sq 279 sq; — artificialis logicae auctor, libri de logica 55; — categoriae 90 ad 92; — certitudo et evidentia 809; — conversio propositionum 204; — deductio 290—292; — definitio 68 140—143 147 149 152; — demonstratio 68 279 sq, indirecta 304; — divisio 68 139; — divisio scientiae 11 16 17; — dubitatio, usus et limes 350—352 468; — enthymema 273; — epichirema 274; — experientiam non neglegit 300; — figura syllogismi 231 233 241 245; — historiae usus in philosophia 353; — historia ut scientia 739; — hypothesis 310 313; — ideae comprehensio et extensio 77; — inductio 293—295 279 299 686; — inventio argumentorum etc. 348 sq 362 sq; — iudicium 153 154; — divisio iudicii secundum quantitatem 168; — logica non mere formalistica 65; — loci inventionis 362 sq; — metaphysicae excellentia 41; — methodus (liber amissus) 70; — negationes in rebus fundantur 668; — oppositio conceptuum 102 103; — propositionum 190 191; — oratio (enuntiativa) 158 160; — ordo partium philosophiae 18; — principia demonstrationis 283 341; — prima indemonstrabilia 468 480; — quaestio 348 349; — ratiocinium 678 682 683 (v. argumentatio, demonstratio); scientia 4, humana imperfecta 8, eius naturale desiderium 9 712, divisio 11 sq; — sensibilis proprii natura 552; — sensus veraces 429 431 494 572; — de sensu naturae communi 697 723; — sophismata 322; — sorites 276; — syllogismus: natura et leges 223 sq, hypotheticus 255, modalis 268; — topica 357 362 sq; — universalia 619 643, Platonis 634; — de veritate 816.
Ars cogitandi 53 54 55 59; — ars critica 727.
Ascensus (et descensus) in ideis universalibus 88.
Aspectabilitas 95.
Assensus 153 154 155 855—856 884 sq 889 sq; — conclusionis evidentis necessarius 677.
Assimilatio intentionalis est de essentia cognitionis 511 540 545 546 560.
Attentio 72.
Attributionis obiectum 377 378.
Auctoritas: magistri 403—405; — divina 714; — humana 708 sq; — est fons cognitionis necessarius 761 776; — auctoritas et ratiocinium 724 761; — testis et testimonii 708 sq; — scriptorum 731; — auc-

toritatis obiectum proprium 755 776; — eius contemptus 771; — non est ultimum motivum et universale criterium veritatis 783 sq.
Auditus et sonus 502 529 554 555 556.
Augustinus, S.: amphibologia 321; — argumentatio 50; — certitudo primitiva 415; — dialectica primo discenda 18; — doctrina et magister 382; — dubitatio scientifica 351; — dubium melius quam error 417; — error 416; — experientiae utilitas 344; — fides quid 709 716 724, utilitas, necessitas, supponit rationem 786; — ob historicam artem laudatur a Leone XIII 738; — de „legendis" 739; — memoria 587; — phantasia 584; — philosophia 1 2, eius divisio 16, inservit theologiae 41; — Platonis universale 634; — quaestio quotuplex 348; — ratiocinium 218; — scepticismus 440 580; — scriptio utilis ad discendum 392; — sensus internus 574; — somnus et vigilia 463; — sophisma 320; — superbia impedimentum scientiae 401; — syllogismus condicionalis 256; — topica 357; — vox, vocabulum 108.
Authentia librorum 728 729.
Avenarius 798.
Averroes 357 634.
Axioma 665.

Baco Rogerius: de fontibus praeiudiciorum 402.
Baco de Verulamio: de empirismo et apriorismo extremo 344; — experimenti leges 300 340; — hypothesis 313; — methodus 336; — de notionibus falsis („idolis") 402; — syllogismum, contempsit 679 768.
Bainvel: de fidei notione 710.
Balmes 459 463.
Baronius 734 736 737.
Basilius, S. 43.
Baumgartner A. 427.
Bautain 783.
Bayle Petrus 428.
Beneke F. E. 337 497 528 679.
Bergson H. 797 sq.
Berkeley G. 429 496 499.
Beßmer J. 451 756.
Biel Gabriel 627.
Boethius 199 204 357 377.
Bon 514.
Bonald, L. G. de 783.
Bonaventura, S. 16 44 222 410 643 714.
Bonitz 305.
Bonnetty L. 783.
Boole G. 345.
Boscowich 313.
Brandis 61 65.
Brin 593.
Brucker 353 356.
Bunge, G. v. 559.
Buridanus 627.
Bye, de 311.

Capreolus 822.
Carneades Cyren. 425.
Cartesius 6 336 353 463 465 472 479 528 543 573 580 582 589 699 788 795 sq.
Categorematicus (terminus) 112 113.
Categoria: quid sit 90; — quot sint 91; — earum expositio 92; — ratio distributionis 93; — ex mente Kantii 601 sq 616.
Cathrein V. 706 749 755.
Causa: externa et interna, physica, metaphysica (ratio) 4; — causa et obiectum 545 546; — efficiens et formalis 545.
Causae a non causae fallacia 323.
Causalis cognitio immediata nulla 560.
Causalis propositio 174 193; — in syllogismo 264.
Causalitatis principium falso a Kant subiectivum statuitur 613.
Certitudo: definitio 420 855 sq; — essentialiter differt a probabilitate 858 sq 865, et ab hypothesi mera 803; — non destruitur difficultatibus 865.
Divisiones: absoluta et hypothetica 870 sq; — absoluta et respectiva 694 878 895; — libera et necessaria 889 sq; — metaphysica, physica, moralis 694 718 873 sq; — sola metaphysica est absoluta 872 880; — physica et moralis tamen vera 873 sq 882; — naturalis (primitiva) et reflexa (philosophica) 421 464 sq; — obiectiva, subiectiva 855; — certitudo experientiae 508 sq 529 sq 535 sq 563 sq 579 sq; — inductionis 689; — iudiciorum analyticorum 662 sq; — fidei 713 sq; — memoriae 586 sq; — ratiocinii 670 sq; — conclusionis non firmior quam praemissarum 268 676; — testimonii 718.
Certitudinis gradus accidentales 884 sq; — essentiales 866 sq; — certitudinis negatio 423 sq (v. scepti-

cismus); — exsistentia 422 sq; — certitudinis fundamentum 471 sq; — motivum 488 sq; — certitudinis perfectio, aestimatio et indubitabilitas 896.
Charron Petrus 428.
Chrysippus stoicus: quot distinxerit syllogismos 254; — de sorite 276.
Cicero: academici (scepticismus) 425 435 436 437 439 441 443 462; — definitio 140 149 349; — disputatio 407; — divisio 134; — inventio (topica) 357; — historiae usus in philosophia (laus Aristotelis) 353; — philosophiae laus 1 2 3 9 387; — eius partitio 16; — ratio, ratiocinium 218; — sensus naturae communis 705 706 723; — sermo, vocabulorum usus 391 407; — sorites 276 462; — syllogismus, praemissae sumptiones 223; — voluptas impedit sapientiam 390.
Circulus vitiosus: in definitione 144; — in argumento 322; — in Kantii critica 608 613.
Clara, distincta et obscura idea 94; — clara idea Cartesii 788 794 sq.
Classificatio artificialis et naturalis 341.
Clemens Alexandrinus 3 44 348.
Cogitandi leges 4, — libertas 27 sq.
Cogitari et esse 429 458 592 598.
Cogito, ergo sum 472 479 582.
Cognitio: quid sit 45 511; — non est effectio 29 514.
Divisio 46 488; — sensitiva 46 491 sq; — qua ratione obiectum logicae 49 769; — sensus veritas 833 838; — intellectiva 47; — directa et reflexa 72—75.
Quae sit prima in homine 471 sq 760 (v. veritas, falsitas, fontes).
Collectiva idea 81, — suppositio 126.
Collectivus terminus 120.
Color: formalis, fundamentalis 546 557 sq.
Comparatio 74; — ad universale reflexum requisita 642 645; — comparationes in doctrina 385.
Comparativa propositio 181 193.
Completa idea 96.
Complete distributiva suppositio 126.
Complexa propositio 183; — eius veritas et falsitas 184; — oppositio 196.
Complexus syllogismus 254 266 sq.
Complutenses 295.
Composita idea 80; — propositio 171 sq.
Compositi sensus et divisi fallacia 321.
Compositus syllogismus 254 sq.
Comprehensio ideae 77.
Comte Aug. 430 736.
Conceptualismus 620 623 627 sq.
Conceptus 76; — obiectivus et subiectivus 76 824; — veritas 822 sq; — falsitas 840 sq; — comprehensio, extensio; obiectum, materiale, formale 77.
Divisio secundum *orginem:* abstractivus, discursivus, primitivus (intuitivus), facticius; directus, reflexus 78;
secundum *comprehensionem:* abstractus, concretus 82; — compositus et simplex 81;
secundum *extensionem:* singularis 83, universalis, particularis (collectivus) 84;
secundum *perfectionem* repraesentationis: adaequatus, inadaequatus 97; — analogus et proprius 99; — apprehensivus, comprehensivus 98; — clarus, obscurus 94; — completus, incompletus 96; — distinctus, indistinctus, confusus 95; — initialis, finalis 147; — sensualis geometricus purus 76;
secundum *relationem:* aequipollentes 101 104; — conexi, disparati 100; — *oppositi:* contradictorii, contrarii, privativi, relativi 103 104; — identici, diversi 101; — repugnantes, sociabiles 102.
Concilium Vaticanum 35.
Conclusio: differt a iudicio 48; — peiorem sequitur partem 225 227 268 676.
Concordia fidei et rationis 35 sq.
Concretum logicum, physicum, metaphysicum 118.
Concretus conceptus 82; — terminus 118.
Condicio et causa 489.
Condicio cognitionis 489; — prima 471 sq 613.
Condicionalis propositio 175 194; — syllogismus 256 sq.
Condillac 49.
Confundentes 630.
Confutatio 386.
Coniectura 311.
Conimbricenses 280 807 822.
Coniunctiva propositio 177 194.
Coniunctivus syllogismus 260.
Conscientia: quid 73 574 sq; — et cognitio generatim et intellectus 578; — moralis 578; — concomitans, reflexa 575 576 577; — intellectualis, sensitiva 575; — condicio omnis certitu-

dinis 576; — non tamen universale criterium 792 sq; — sitne interna conscientia cognitionis initium 491 528; — obiectum 578; — testimonium conscientiae verax 579 sq.
Consensus hominum 703 783.
Consequens in propositione hypothetica 175; — in illatione immediata 211 sq; — in ratiocinio 224.
Consequentia 219 sq 224 sq.
Consequentis fallacia 323.
Constructio in negotio cognitionis 599 606 612 770.
Contingens et necessarium 186 197 268 271.
Contradictionis principium 471 sq 813.
Contradictoria et contraria oppositio 103 190 191.
Contrapositio 208 209.
Contzen Ad. 339 388 394.
Conversio 204 212; — simplex 206; — per accidens 207.
Copula enuntiationis 161 162 165.
Copulativa propositio 171 193 262.
Copulativus et copulatus descensus 125.
Corpora revera exsistunt 516 sq 563 sq 568 569 582.
Correlativa propositio in syllogismo 263.
Cosmologia 17.
Cousin V. 620 634.
Cratylus 619.
Credendi principia 712.
Credibilitatis motiva 42.
Crisis facultatum cognoscitivarum 616.
Criteriologia 488 sq.
Criterium veritatis 489 777 sq; — universale 777 sq.
Critica 55 63 67 414 sq; — critica ars 727.
Criticismus Kantii 423 599 sq.

Damascenus, I., S. 305.
Data demonstrationis 282 284 468.
Deductio 290 669 sq; — eius vis et praestantia 291; — eius principia 292; — ad impossibile 252.
Deductivum principium universale non exsistit 22.
Defendens in disputatione 412.
Definitio 140 sq; — nominalis: communis, privata 141; — realis: descriptiva, accidentalis, causalis, genetica 142; — essentialis, physica, metaphysica 143; — initialis et perfecta 147. Vide loci, topica.
Definitionis inventio 149; — leges 144; — quo sensu non negativa 145; — methodus 148; — analytica et synthetica 149 150; — constructionis et exclusionis 151; — historia 152; — usus, non omnia proprie definiri possunt 146.
Delboeuf J. 345.
Democritus 431 494 505.
Demonstratio 50 279 sq; — apodictica 280 286; — a priori et a posteriori, regressiva 287 289; — deductiva 290 sq, — inductiva 293 sq (v. deductio, inductio); — directa et indirecta 287 304; — elenctica 305 sq; — ostensiva 286; probabilis 307 308; — propria, impropria 288; — propter quid et quod (quia) 288; — universalis, particularis 286.
Demonstrationis principia 283 ad 285; — praecognitiones et praecognita 281 282; — usus, non omnia demonstranda nec demonstrabilia 466 sq.
Demonstrativa vis syllogismi 218 219 671 672 676.
Dependentia philosophiae a theologia qualis 37 sq.
Descensus ab universali ad inferiora 125.
Desitiva et inceptiva propositio 180.
Determinismus psychologicus 788.
Deus non est causa unica sensationum 518 521 524; — non est veritas primo a nobis cognita 483; — neque motivum et criterium universale nostrae cognitionis, sed quo sensus prima nostra veritas 813.
Dialectica 53 55 63 68 sq; — eius divisio 69, obiectum 69 70.
Dictionis figura, fallacia 321.
Dictum simpliciter et secundum quid 322; — de omni, de nullo 292.
Difformitas negativa et positiva 416 839.
Diiudicatio systematis philosophici 397 398.
Dilemma 277 278.
Dilthey 543.
Diminutio terminorum 131.
Diogenes Laërt. 2 254.
Discendi methodus 387 sq.
Discretiva propositio 172.
Discursiva idea 78.
Discursus 48 218 669 sq; — sitne actus simplex an compositus 675.
Disiuncta et disiunctiva propositio 176 193 194; — suppositio termini 126.
Disiunctivus et disiunctus descensus 125; — disiunctivus syllogismus 259.
Disputatio scholastica 407 sq.

Distantia (sensibile commune) 536 538 555.
Distincta idea 95.
Distinctio 72 133; — distinctionum formulae 409 410.
Distinctio rationis 642; — formalis scotistarum 651.
Distractio terminorum 130.
Distributiva suppositio 126.
Divisio 132 sq; — logica et realis, per se et per accidens 136 137; — divisionis leges 138; — historia 139.
Doctrina et inventio 347; — methodus 382; — destruitur per relativismum 448.
Documenta historica 726 742.
Dogmatismus 423; — Kantii 599 614; — Spinozae 769.
Dolor, eius perceptio 581.
Donat 749.
Drobisch 77 169 170 245 275 297 317.
Dubitatio 417; — universalis reicitur 423 sq 434 sq; — methodica et realis 465 sq; — Cartesii 465; — rectus usus 469 470.
Duns Scotus, v. Scotus.

Eclecticismus 773 sq.
Ego phaenomenale et absolutum 582 613.
Eisler 6 818.
Eleatici 494 505 598.
Elementa iudicii et propositionis 161.
Elenchi ignoratio 322.
Empirismus, empiristae 345 430 593 598 767 782, (Kant) 607 767 818.
Ens in se (Ding an sich) Kantii 604.
Ens metaphysicum 644 656; — ens rationis cum fundamento in re 645 656.
Enthymema 273.
Entitative, repraesentative 597 658.
Enuntiabile, quomodo veritas in ipso 831.
Enuntiatio, v. propositio 160.
Epichirema 274.
Epicurus 431 494 506 619 678.
Erdmann 54 432.
Erigena, v. Scotus.
Error 416; — culpabilis, inculpabilis 849 850; — formalis, materialis 847; — vincibilis, invincibilis 848 849 850; — per se, per accidens 486 840; — in sensibus 572; — non est incohata veritas 773 sq.
Errorum fontes 399 sq 846.
Esse et cognoscere 429 458 592 598.
Essentia: aeterna, universalis 639; — absoluta, singularis, universalis 647; — essentiae triplex unitas 649 659; — essentia et definitio 147 149 150; — essentia et possibilitas 650; — essentiae cognoscibilitas 692.
Ethica 3 15 19 24.
Evidentia 777; — eius descriptio 805; — apparens et vera 814; — obiectiva, subiectiva 806 807 808; — criterium veritatis infallibile 777 sq 811; — universale 810; — in iudiciis sensus communis 704.
Evolutionismus 432 451 749 797.
Exceptiva propositio 180 195.
Exclusiva propositio 179 195 265.
Exemplum 307.
Exercitatio sensuum 531.
Experientia 491 sq; — externa 492 sq; interna 574 sq 763; — complexa immediata 563 sq; — est singularium 572; — est fons necessarius cognitionis humanae 760 sq.
Experimentum 300 338 339.
Explicativa propositio 183; — explicativus terminus 117.
Exponibilis propositio et exponens 178 195.
Expositiones indirectae syllogismi imperfecti 253.
Exsistentia propria 471 sq 582.
Exsistentiae cognitio 502 511 sq 516 sq 593 763 sq.
Extensio ideae 77 83 sq; — iudicii et propositionis 168—170; — rerum 539 542 sq.
Extrema iudicii 154 161 163; — syllogismi 223; — maius, minus 163 223.

Fabri S. J. 211.
Facticia idea 78.
Factiva scientia et activa 17.
Factum primum cognitionis 471 sq.
Facultates cognoscitivae 45 46 47 492 502 574 660; — aptitudo 471 sq; — infallibilitas 484.
Fahrion 458.
Fallacia 320 sq; — sensuum 513 523 534 538 550.
Fallibilitas per se et per accidens 484 sq 724.
Falsitas 839; — in apprehensione 840 sq; — in iudicio 844 sq; — falsitatis gradus 853 sq; — inhaesive, non obiective est in mente 851.
Fama 718.
Febricitantes et somniantes 495 580.
Ferrariensis (Silvester de Ferrara) 11.
Fichte J. G.: philosophiae definitio 6; — divisio, antithesis 377; — idealismus subiectivus 460 497 499 506

610 620; — philosophum eiusque scientiam ex indole diiudicari vult 398; — phantasiae nimis tribuit 583.
Fichte J. H. 506.
Ficta universalitas 323.
Fideismus 431 498 783 sq.
Fides: quid 709; — fides et scientia 710; — destruitur per relativismum 448; — fidei certitudo 718 sq 895 896; — necessitas et utilitas 715 ad 717; — valor obiectivus et speculativus 744 sq; — caeca sive instinctus 788 sq; — fides mere practica 748; — Jacobi, Ritschl, O. Pfleiderer, Schleiermacher 749.
Figura dictionis 321.
Figura et forma qua ratione percipiatur 536 542.
Figura syllogismi 231 sq; — figurae 1ae excellentia 244; — reductio aliarum ad 1am 250 sq.
Fischer E. L. 570.
Fischer Kuno 608.
Fonseca 2 135 267; — de topica 367 375; — de universalibus 650.
Fontes cognitionis 488 sq; — singuli habent obiecta propria 762 sq; — distinguendi sed recte coniungendi 758—776; — coniunctio et complexio 766.
Forma disputationis scholasticae 411 ad 413.
Formalismus, v. realismus exaggeratus 623.
Formido erroris 417.
Foerster F. W. 783.
Fournier 549 706 725.
Frick 132 sq 145 521 582 611 880.
Fundamentum certitudinis 489.

Galenus 199 204
Galluppi Pasc. 686 788 792.
Gassendi Petr. 336.
Gellius 734.
Genetismus et nativismus 548.
Genere toto differre 88.
Genuinitas librorum 726 sq.
Genus 86 sq; — ut pars metaphysica 134; — ut totum logicum 135 136.
Geometrica schemata 140 190 196 197 198 203.
Gervinus 734.
Geyser: de logica et psychologia 52; — de iudicii natura 155 157; — de affirmativo et negativo iudicio 166.
Gioberti 344.
Glanville 430.
Glottogonia, glottologia 109.
Goclenius 276.
Goethe 429.
Gonzalez 728.
Gradus in veritate 834 sq; — in falsitate 853 sq; — in certitudine 866 sq; — probabilitatis 316 859 861 863.
Grassmann R. 345.
Gratry A.: de regulis syllogismi 229; — de cognitione 569 686 690; — de criterio veritatis 788.
Gredt 822.
Grisar 757.
Gründer H. 546 553 sq.
Guilelmus Campellensis 621 635.

Haan H. 553.
Hallucinatio 523.
Hamilton W. 204.
Hartmann, E. v. 506.
Hegel 6 139 337 353 528 608 738 770.
Helmholtz: idealismus psychologicus scepticus 498; — de sensibilibus 526 548 551.
Heraclitus 424 426 494 505 619 697.
Herbart 6 17 54 152 168 497 506.
Hermeneutica 310 395 727.
Hervas Laur. 109.
Heteronyma 114.
Heyse 161.
Hieronymus, S. 277 321.
Historia: eius usus in philosophia 353 ad 356 771; — sitne scientia 734 sq; — historica certitudo 713 sq; — historica methodus 734 sq.
Homerus 1.
Homonyma 114.
Hontheim 346.
Huetius Dan. 431 783.
Hugo a S. Victore 62.
Humanismus 796.
Humbold W. 739.
Hume D. 430 463 687 690.
Husserl 52 344.
Hypothesis 310; — physica, moralis, hermeneutica 310; — differt a coniectura et suspicione 311; — hypothesis et certitudo essentialiter differunt 803; — est per se solum probabilis 312; — usus 313; — regulae de hypothesi formanda 314; — de ea verificanda 315; — absurda et absurdi 175.
Hypothetica certitudo 870 sq; — essentialiter dependet ab absoluta 873.
Hypothetica propositio 175 194.
Hypotheticus syllogismus 255 sq.

Jacobi F. H. 463 569 690 749 755 788.
Jacobi Max. 548.

James W. 432 796 sq.
Jaspers K. 523.
Idea: clara et distincta Cartesii 788 794 sq; — apud Kant (tres ideae supremae) 602; — ideae ut fons cognitionis 591 sq 660 sq 760 sq; — idearum valor obiectivus 592 sq; — ideae platonicae 632 sq 634; — ideae in mente divina 634; — idearum veritas 822 sq. Vide conceptus.
Idealismus 344 770; — absolutus 499; — acosmisticus 499; — criticus (Kantii) 599 614; — metaphysicus 592; — obiectivus 516 521 sq 524 sq; — physiologicus 500; — subiectivus 456 sq 517 sq 522 sq; — transcendentalis 497 500 599 sq.
Idealizatio 690.
Identitas et distinctio 72; — externa (obiectiva) et interna conceptuum 101; — propositionum, v. aequipollentia.
Ideographica scriptura 111.
Idola Baconis de Verulamio 402.
Idolum (imago phantasiae) 546.
Jeannière 465 468 506 563 582 608.
Jerusalem 796.
Jevons Stanley 345.
Ignorantia 416.
Ignorantia elenchi 322.
Illatio, eius varia genera 211 sq.
Illativa propositio 174.
Illusio transcendentalis Kantii 607 613.
Imagines phantasiae iuvant memoriam 393; — imago communis 47.
Immanentismus 429 456.
Immediata cognitio rerum 527 560.
Immutabilitas veritatis 445 sq.
Imperativus kantianus 753.
Impersonalia iudicia non carent subiecto 161.
Impossibile 185 sq 269.
Impossibilitas metaphysica, physica, moralis 719.
Inceptiva et desitiva propositio 180.
Indicia externa et interna in diiudicanda authentia et integritate librorum 728 729.
Indirecta demonstratio 304—306.
Individuum 47 83 89; — eius notae 83.
Inductio: notio et definitio 293; — differt a syllogismo 294 295; — sed ad complexum syllogismorum reduci potest 296 297.
Divisiones: completa, incompleta 298; — instinctiva et rationalis 687; — perfecta, imperfecta 298 684; — moralis 693; — physica 694.
Inductionis principium generale 301; — principia specialia 302; — fundamentum 685; — requisita: experimentum et observatio 300 688, et principia analytica 688 sq; — vis et certitudo 689; — necessitas 684.
Inductio apud Aristotelem 299 300 303 686; — apud scholasticos 303; — Baconis de Verulamio 686.
Infallibilitas facultatis cognoscitivae 484 sq; — principii certitudinis 781; — evidentiae 811.
Inhaesive, obiective 827 829.
Innatae ideae 78; — notitiae 679; — principia (semina) 676.
Instantia 306.
Instinctus caecus rationis 569 788 789 790.
Instrumentum historicum 726.
Integritas librorum 726 728.
Intellectiva cognitio 47.
Intellectualismus axaggeratus 769 sq.
Intellectus 47; — et ratio 217 490 672 764; — obiectum 660 sq 764; — actus: apprehensio, iudicium, ratiocinium 48 sq; — practicus et speculativus (theoreticus) 745 752 sq 801; — intellectus et sensus 760; — et voluntas 802.
Intentio: prima et secunda 75 85 644 sq; — qualis in iudicio 155.
Interpretatio sententiarum aliorum 395 396; — testimonii 730.
Interrogationis multiplicis fallacia 323.
Intuitio kantiana 605.
Intuitiva idea 78.
Intuitus 71.
Inventio argumentorum 347 357 sq; — eius organa 361; — inventio et doctrina 382 sq.
Inversio argumenti 306.
Ioannes Damascenus 305.
Ioannes XXI (Petrus Hispanus) 243.
Iudicium: quid 48 71 140 153 sq 660 sq; — est intentio sed assertoria 155; — materia et forma 154 155; — quantitas ex subiecto 168; — signum iudicii 158 sq; — elementa: subiectum, praedicatum, copula; numquam sine subiecto (v. impersonalia) 161; — non est principium categoriarum (Kant) 616; — iudiciorum valor obiectivus 684; — veritas, falsitas, v. h.
Divisiones: affirmativum, negativum 165 166; — analyticum (a priori), syntheticum (a posteriori) 661; — non est syntheticum a priori 606 611 617; — discursivum 669; —

mediatum, immediatum 512 672 sq; — identicum et subsumptivum 157; — formale et virtuale (sensus) 153; — exsistentiae, experimentale 512 579. — Pro reliquis de iudicio v. propositio.

Kant: acosmismus negatus sed non superatus 497; — aequipollentia neglegitur 199; — analysis et synthesis 337; — analytica et synthetica iudicia 606; — apriorismus 344 609 610; — categoriae 139 601 613 616; — causalitatis principium 613; — conceptualismus 620 627; — circulus vitiosus criticae 608; — constructio mundi 612; — contradictiones in doctrina 613; — critica eius cur falsa 599 sq 616; — de definitione 152; — de divisione 139; — eius dogmatismus 614; — ego phaenomenale et noumenicum 582 602 613; — empirismus 607; — ens in se 604; — exsistentia 613; — formalismus 64; — ideae tres supremae 602; — idealismus 344 609 610 614, transcendentalis 500 596 599; — iudiciorum divisio 168 606 sq; — logicae definitio 54; — metaphysica 608; — moralitatis principium 753; — naturalismus empiricus 607; — noumenon 604 606; — obiectum, subiectum 377; — phaenomenon 604 612; — philosophiae definitio 6, divisio 17; — postulatum rationis practicae 746 747 754 770; — practica ratio 603; — primatus rationis practicae 748; — ratio theoretica 746, practica 603 746 sq 752 sq; — realitas 613; — ratiocinium triplex 602; — scepticismus 615; — sensibiles qualitates 539 551 616; — sensismus 607; — subiectivismus 457 539 551 599; — spatium et tempus 599 616; — syllogismi divisio 254; — synthetica iudicia a priori 606 611 617 690; — *systema criticae exponitur et refutatur* 599—617; — veritatis definitio 819.
Kirchmann: de qualitatibus 541.
Kleutgen Ios.: de conceptualismo 628 629; — de criterio ultimo 784 788 792 810 813; — de dubitatione methodica 465 469 472; — de iudiciis analyticis et syntheticis 611; — de certitudine necessaria et libera 892 sq.
Krug 818.
Külpe O. 6 52.

Lactantius 444 774.
Lahr 340 344 695 733.
Lamennais, Fr. de 783.
Lange F. A. 65 84.
Laplace: de probabilitate 318.
Lectio librorum 394.
Legendae 739.
Leges cogitandi 4; — morales, physicae 4.
Lehmen 509 541 545 559 560.
Leibniz 152 229 336 344 345 408 463 599 699 700.
Lemma 284.
Leo XIII 10 738.
Lepidi 324.
Lessing 734.
Lex naturalis 342.
Liberatore M. 401 690 699 728.
Libertas exercitii et specificationis 889; — assensus 889 sq; — fidei non praerequirit liberam certitudinem 895. — scientiae 27 sq 37 41.
Liebmann O. 548.
Limites rationis humanae 8 35.
Linguarum genera, origo 109.
Linguistica 109.
Locke 353 391 463 496 699 725.
Loci: argumentorum 362—375; — sophistici moderni 324.
Logica: definitio 53 55; — artificialis et naturalis 53 54 55; — est ars 59, — et scientia 56, — tum practica 57, — tum speculativa 58; universalis et nulli proprie subalterna 24 26; — est philosophiae pars 3 15, — et quidem interna 60, — non tamen potissima 61; — differt a metaphysica 24 26, — et est probe a psychologia distinguenda 52 60; — eius divisio: critica-dialectica 63, — generalis et specialis 67; — necessitas 18 19 26 61 62; — ideo primo tractanda 18 19; — eius obiectum materiale et formale 45—52. — formalis Aristotelis et formalis moderna 64 65.
Loquela homini necessaria 109; — non tamen fons primus notitiae 783.
Lotze 655.
Lugo, de 792 861 866.
Lumen intellectuale 666 809.
Luther 748 757.

Mach E. 798.
Magister quomodo discipulum doceat 383 sq 403.
Magnitudo (sensibilis) 536.
Maior praemissa et minor 224 sq.
Malebranche Nic. 353 495 499 518.

Mangold 127 329.
Marcellius 409.
Mastrius: de universalibus 652.
Materialismus 431 767.
Mathematica 11 12 24; — certitudo 868; — methodus in philosophia (logica) 345 346 769.
Maurus Sylv. 7 11 24 280 288 359 678.
Maximae propositiones 362 sq.
Medium: cognitionis 488 sq; — quo et quod 489 512 597; — in quo, in cognitione sensus externi 561.
Medius terminus 223 225 226; — eius inventio 359 sq; — relatio ad extrema 358.
Mellinius 410.
Memoria 491 502 585 sq; — eius cura et usus in studio 393; — veracitas 586 sq.
Menodotus empiricus 426.
Mentis ad cognoscendum aptitudo 471 sq 812.
Mentis operationes tres 48; — sunt obiectum logicae 50.
Mercier, Card. 481 822.
Metaphysica scientia 3 4 11 13 14 19 24; — inter scientias naturalis ordinis princeps 25 26; — physica et moralis certitudo necessitas 694 718 866 873 sq.
Metaphysici ordinis certitudo et valor obiectivus 598 662 sq 665.
Metaphysicum quid intellegatur 656.
Methodus 70; — notio et natura 328; — eius leges generales 329.
Divisiones 330; — algorithmica 345 346; — analytica et synthetica 331 sq; — sunt coniungendae 333; — discendi 387 sq, — et docendi, doctrinae 347 382 sq; — definitionis 149 150; — experimentalis 338 sq, — et rationalis 343; — sunt coniungendae 344; — experimentalis conclusio 342; — disputandi 407 sq; — inventionis 348 sq 357 sq; — interpretandi sententiae vel systematis 395 sq; — systematis construendi 376 sq.
Methodi falsae 335—336 337 344.
— substitutio pro ipsa scientia 804.
Mill J. St. 301 303 340 430 685 687 691 692.
Minor propositio ratiocinii quomodo contineri debeat in maiore 680 681 682.
Mixtum ratiocinium 670.
Modalis propositio 185 sq; — eius aequipollentia 198 202; — conversio 210; — eius extensio 188; — oppositio 196 sq; — qualitas et veritas 188.
Modalis syllogismus 267 sq.
Modalitas ut fons illationis immediatae 216.
Modernismus 756.
Modi syllogismi 235 sq.
Montaigne 427.
Monumentum historicum 726 733 742.
Moralis lex 4—7. Vide certitudo.
Moralium virtutum cultus philosopho necessarius 390.
Motivum certitudinis 489; — triplex 694 866 sq; — ultimum 777 sq.
Motus (sensibilis) 536.
Müller Io. 548 736.
Multitudo (sensibilis) 536.
Mysterium 31.

Nativismus et genetismus 548.
Natorp 426 431.
Natura: eius consideratio triplex 647; — eius unitas triplex 649.
Naturalis scientia 12 13 20 sq.
Naturalismus empiricus (Kantii) 607.
Necessarium et contingens 186 187 197 198 202; — in conclusione syllogismi modalis 268 sq.
Necessitas absoluta et hypothetica, logica et psychologica 432 448 450 454; — metaphysica, physica, moralis 694 866; — essentiarum et universalium (negativa) 639.
Negatio, v. affirmatio; negationes qua ratione percipiantur sensu 573.
Neoplatonici 494.
Newton 301 314 389.
Niebuhr 727.
Nietzsche 432.
Nigrum 559.
Noëtica 55.
Nominalismus 49 620 sq; — purus 624 sq; moderatior 627 sq.
Notae 76; — individuantes 83.
Notio 76.
Notum per se, quoad se et quoad nos 285.
Noumena 604 608 612.
Nova cognitio ex ratiocinio 678 sq.
Nugatio finis sophistae 325.
Numerus 536.

Obiectum: vocis varia significatio 377; — obiectum et causa 546; — adaequatum 379; — attributionis 377; — communitatis 377; — formale et materiale 378; — per se, per accidens 377; — formale, „propter quod“ et „sub quo“ 378; — gene

ricum et specificum 378; — primarium, secundarium 377; — partiale, totale 377.
Obiectum cognitionis 376 546; — ideae 77; — iudicii 154; — logicae 45 sq; — philosophiae 31 sq; — scientiae 21 376 sq; — theologiae 32 sq.
Obicientis munus in disputatione 413.
Obscura idea 94.
Observatio 300 339 340.
Occam 528 620 627.
Occasionalismus 499 518.
Ontologia 14 17 19.
Ontologismus 344 769.
Opinio 319 418 419 858 sq.
Oppositio quadruplex 103; — idearum 103 104; — propositionum 190 sq; — oppositionis leges et gradus 191; — illatio ex oppositione 213.
Oralis traditio 718.
Oratio 158; — perfecta, imperfecta 158; — enuntiativa etc. 159 sq.
Ordo: quid sit 16; — ontologicus 593 666; — partium philosophiae 18 19.
Organa inventionis 361 sq; — sensationis 492 502.
Ostler 540 541 543 562.

Palmieri 317 352 434 463.
Pantheismus 568 618.
Papini 804
Parabola 307.
Paradoxon 325.
Paralogismus 320.
Paronyma 114.
Pars 133 sq.
Particularis idea 84; — propositio 170; — terminus 120.
Paulinus a S. Bartholomaeo 109.
Paulus, S. 2.
Peccatum et error 850.
Peirce 432 796.
Peripatetici quot distinxerint syllogismos 254.
Per se et per accidens 410; — v. divisio 136; — v. fallibilitas, infallibilitas 484.
Pesch Chr. 31.
— H. 736.
— T. 608 613.
Petitio principii 322.
Petrus Alliacensis 627.
— Hispanus 243.
Pfleiderer O. 432 749 755.
Phaenomena et noumena 604 sq.
Phantasia 491 523 583—585 763; — in somno 463.
Phantasmata 523 584.
Philosophia: ancilla theologiae quo sensu 41 42; — definitio 1—5; — definitiones falsae 6; — difficultas 8; — excellentia 7. 10; — necessitas 9; — obiectum 31 33 34; — partitio 11; — relatio ad scientias alias 20 sq; — relatio ad theologiam 30 sq; — studium 387 sq.
Divisiones 11—17; — fundamentalis 66 415; — naturalis 12; — moralis, rationalis, realis (et metaphysica) 11 14 16; — practica, theoretica 11; — transcendentalis 17.
Philosophia et philosophus 2 39.
Phonographica scriptura 111.
Physica certitudo 689 694 866 sq 872 sq 880 890; — scientia 11 12 13 24; — eius divisio a philosophia naturali 12.
Physiologia 13.
Physiologicus idealismus 501.
Pietas commendanda philosopho 390.
Pindar 1.
Pius IX 10 38 39 785.
Pius X 451 756.
Plato: de analysi et synthesi 335; — de definitione 146 152; — dialectica 68; — de divisione 139; — de dubitationis usu 351; — de hypothesi 313; — idealismus 344 599; — praeexsistentia et reminiscentia mentis 676; — de ratiocinio 678; — de sensu 494; — de somno et vigilia 463; — de universalibus 619 621 632 sq.
Plotinus 494.
Plutarchus 11.
Polyonyma 114.
Polysyllogismus 275.
Pomponatius (duplex veritas) 37 748.
Pons a mente ad res 514 593.
Porphyriana arbor 89.
Porphyrius 83 89.
Positivismus 782.
Possibile 186 187 272.
Possibilitas simultanea et simultaneitatis 216; — et universalitas 650.
Post hoc, ergo propter hoc 323.
Postulatum demonstrationis 284; — realitatis 498; — rationis practicae Kantii 746 sq.
Practica scientia 11 57.
Practicae rationis iudicium necessario simul est theoreticum 744 sq 751.
Praeambula fidei 42.
Praecisio 642 644 651.
Praecognitiones et praecognita demonstrationis 281.
Praedicabilia 85 86 sq; — quinque 87.

Praedicamenta 85 90 sq.
Praedicatio 631 648 828.
Praedicati quantitas 167 203; — suppositio 128.
Praedicatum iudicii 154; — propositionis 161.
Praeiudicia 399 sq.
Praemissae 223; — sunt causae conclusionis 280.
Pragmatismus 432 796 sq 820.
Prantl 65 235.
Primitiva idea 78.
Primo differre, primo diversa 88.
Principium: *certitudinis* 777 sq; — obiectivum, subiectivum; logicum, ontologicum; elicitivum, formale 780; — *cognitionis* 666 671; — eius principia sunt immediata et indemonstrabilia 466 468 470 665, — et obiectivi valoris 660 666; — nota per se vel quoad se et quoad nos 285; — *deductionis* principium 292; — non exsistit unum omnis scientiae 22; — principia *demonstrationis* 283; — comparantur ex ideis, et sunt quae ex inductione 293 338; — inductionis 301 302 685 sq; — scientiae 380 468; — philosophiae et theologiae 34.
— causalitatis 606 613 617: — contradictionis 471 sq; — disiunctionis contradictoriae, contrariae 103 191 192; — identitatis 482; — rationis sufficientis 482.
— analyticum, syntheticum 285 688; — particulare, universale 777 778; — proprium, commune 284 301 302.
Prioritas, prius et posterius 280 287 sq.
Privativa oppositio 103.
Privatum studium 392 sq.
Probabilitas: quid 307 319 418; — eius aestimatio 316—318; differentia a certitudine 858 sq; — gradus 859; probabilitatum additio 860; — probabilitatum coniunctio potest praebere fundamentum certitudinis 862 sq.
Probabilium opinionum conflictus 861.
Propensiones mentis 400.
Propositio 158 sq; — eius partes et elementa 161; — dispositio naturalis 163; — qualitas 165 sq; — quantitas 168 sq.
Divisiones: adversativa 172; — affirmativa, negativa 165 sq 175; — antecedens, consequens 175; — categorica et hypothetica 171; — causalis et illativa 174; — comparativa 181; — complexa 183 184; — composita, simplex 164; — condicionalis 175; — coniunctiva 177; — disiunctiva 176; — copulativa 171; — desitiva, inceptiva 180; — discretiva 172; — divisiva 176; — exceptiva 180; — exclusiva 179; — exponens, exponibilis 178; — hypothetica 175 sq; — impersonalis 161; — indefinita 168; — modalis 185 sq; — particularis, singularis, universalis 168 sq; — incidens et principalis 183; — reduplicativa, specificativa 182; — relativa 173.
Propositionum aequipollentia 199 sq; conversio, contrapositio 204 sq; — identitas 199; — illationes 211—216; — oppositio et eius gradus 190 sq; — subalternatio 190 sq 215.
Propria idea 78 99.
Protagoras 139 424 429 494 552.
Pseudographus syllogismus 320.
Psychologia et logica 13 14 19 52.
Psychologismus 432 445.
Psychomonismus 498.
Ptolemaeus, Card. 685 694.
Pyrrho 424 426.
Pythagoras 1 2.

Quaestio: quaestiones dialecticae quot 348; — earum ordo 349; — in inquisitione philosophica recte adhibendae 350 sq.
Qualitas propositionis 165 sq.
Qualitates sensibiles 501 sq 543 sq; — certo cognoscibiles 529 sq; — earum valor obiectivus 539 sq.
Quantificatio praedicati 167 203.
Quantitas propositionis 168 sq.
Quies (et motus) rerum quomodo cognoscatur 536.
Quintilianus 54 138 393.

Rabus Leon. 783.
Ranke 727 736.
Ratio et causa 4.
Ratio et intellectus 217: — ut fons cognitionis 490 669 sq; — theoretica (speculativa) et practica 745 sq; — apud Kant 602; — pura 605.
Ratiocinium 48 51 217 sq 669 sq; — materia, forma 218; — consequentia 218; — finis 218; — rectitudo et veritas 219 220 221; — non est circulus 677 682; — certitudo 670 sq; — fons novae cognitionis 678 sq; — simplex actus an compositus 675.
Divisio: deductivum 669 sq; — inductivum 684 sq; — empiricum, mixtum, purum 670; — ex mente Kantii 602.

Rationalis propositio 174.
Rationalismus 27 771.
Raymundus de Sabunde 427.
Realismus 620 sq 621; — exaggeratus 632 sq; — moderatus 640 sq; — transcendentalis 497 506.
Rectitudo operationum mentis est obiectum dialecticae 63 68.
Redargutio (sophistica) 325.
Reductio syllogismorum ad figuram primam 250 sq; — syllogismi hypotheci ad categoricum 261.
Reduplicativa propositio 182.
Reflexa conscientia 575; — idea, v. universale.
Reflexio imperfecta saltem in omni cognitione 46 73 576; — ontologica et psychologica 73.
Refutatio 304 386.
Regulae singularum syllogismi figurarum 237 sq.
Reid Thom.: scepticismum non efficaciter reicit 431; — eius instinctus 569 788; — hypothesim contemnit 313; — de inductione 686 690 699; — de qualitatibus sensibilibus 549.
Relatio inter ideas 100 sq; — inter propositiones 189 sq.
Relativa oppositio 103; — propositio 173 193.
Relativismus 432 445 sq.
Remotio terminorum 131.
Rénan E. 734.
Repugnantia conceptuum 102.
Restrictio terminorum 131.
Restrictiva propositio 183; — restrictivus terminus 117.
Retorsio argumenti 306.
Revelatio divina 4 10 30 sq 109; — non est universale veritatis criterium 783.
Richter Raoul 424 425 426 427 432 818.
Rickert 52 545.
Ritschl 749.
Ritter 65; — et Preller 1.
Roscellinus 620.
Roselli 305 352 634.
Rosmini 344.
Royer-Collard 569 686.
Rumor 718.

Sanchez Franc., Lusit., scepticus 428.
Sanseverino 6 9 41 70 297 300 310 311 313 324 329 335.
Sapientia 1 3 4.
Satolli: definitio philosophiae 5.
Saturninus 426.
Scepticismus 423 sq; — conspectus historicus 424 sq; — reiciuntur variae species 433 434 sq; — Kantii 599 615.
Scheiner 550.
Schelling 6 353 497 583.
Schiffini 781.
Schiller F. C. S., pragmatista 432 796.
Schleiermacher 139 152 337 679 681 749.
Schmidkunz 814 820.
Schmidt, S. V. D. 706.
Schmitz-Dumont 345.
Schopenhauer 506 616.
Schröder E. 345.
Schubert-Soldern 798.
Schwarz H. 541.
Sciendi desiderium 9.
Scientia 4 6; — activa, factiva, speculativa 17; — directa, reflexa 638; partialis, totalis 21; — practica, theoretica 11; — realis, rationalis (moralis) 11; — quomodo differat a fide 710, — ab opinione 866 sq; — scientiae libertas 27; — limitatio 8 31; — obiectum materiale, formale 21 31 34 377—379; — scientiarum obiectum est necessarium et universale 638; — subordinatio 23 sq; — scientiae primariae 24; — unitas et distinctio ex obiecto 377.
Scientifica fides 710.
Scotica schola: distinctio formalis 651.
Scotus, Duns 50 293 348 350 351 621 671.
Scotus Erigena 621.
Scriptio 111; — utilis etiam in studio 392.
Scriptum testimonium 726 sq.
Scriptura 111.
Secunda mentis operatio 153 217.
Semery 654.
Seneca 9 16 54 138 387 388 697 723.
Sensatio 492 sq; — qua ratione obiectum logicae 49.
Sensibile in actu et sensus in actu 552; — commune 535 sq; — proprium 529 sq; — per accidens 568 570 572.
Sensibiles qualitates 504 sq 539 543 sq.
Sensilis perceptio non est discursiva vel causalis 560.
Sensismus 430 431.
Sensitiva cognitio 46.
Sensualismus 6 49 337 344.
Sensus 46 47; — obiectum singulare 572; — quodammodo etiam universale 622; — quodammodo et negatio 573; — sensus qua ratione iudicent 153 528; — sensus humani finis 567 573; — sensus externi 502; — quot 529; — obiecta 503 762; — veraci-

tas 502 sq 508; — sensus interni 502 574 762; — sensus communis 502; — sensus intimus 575.
Sensus naturae communis 697 sq 723.
Sensus compositus et divisus 321.
Sextus Empiricus 16 254 426 434.
Significatio vocis 108 sq.
Signoriello 410.
Signum 106; — arbitrarium, naturale 107; — formale, instrumentale 107; — manifestativum, suppositivum 107 110; — signum ideae 108 sq; — iudicii 158 sq; — ratiocinii 222 sq.
Sigwart Chr. 153 166 303 691.
Silvester de Ferrara 11.
Simile 307.
Similitudo cogniti in cognoscente 45 46 511; — entitativa, repraesentativa (intentionalis) 511 545.
Simplex idea et idea simplicis 80.
Simultanea possibilitas et possibilitas simultaneitatis 216.
Singularis idea 83; — propositio 168 sq.
Smedt, de 727 732.
Soares Lusitanus 674.
Sociabilitas conceptuum 102.
Socrates 68 152 429.
Solipsismus 433.
Somniantes et febricitantes 495.
Somnium et vigilia 463.
Sonatio et auditio 552 554 sq.
Sophisma 320 sq.
Sorites 276.
Spatium et tempus ex mente Kantii 600 616.
Species praedicabile 86.
Speculativa scientia 11; veritas 750 sq.
Spinoza 336 463 495 769.
Spitta 432.
Status mentis varii quoad cognitionem 416 sq.
Status terminorum 130.
Stewart Dugald 690.
Stoici 16 431 619 678.
Storchenau 316 387 391 394 396 399 722.
Structura systematis scientiae 381.
Studium privatum 387 392 sq.
Stumpf 560.
Suarez Franc.: assimilatio in cognitione 545; — cognitio sensitiva motus et quietis 536; — fides 709; — logica est scientia 56; — nominalismus 621; — principia prima non directe sed indirecte tantum demonstrari possunt 24; — de principio certitudinis 782; — sensibile proprium et commune 570 571; — sensus aliquo modo suum actum cognoscit 46; — de veritate apprehensionis 822.
Subalternatio generum et specierum 88; — propositionum 190.
Subcontrariae propositiones 190.
Subiectivismus 429 433 456 sq 770 818; — in historia 741.
Subiectum propositionis 127 154 161; — eius suppositio 127; — in nulla propositione deest 161.
Subordinatio scientiarum 23—26.
Sulpitiana philosophia 783.
Supercomprehensio 98.
Suppositio terminorum 121 sq; — formalis et materialis 122; — propria et impropria 122; — logica et realis 123; — absoluta et personalis 124; — communis, singularis 124 sq; — collectiva, disiuncta, disiunctiva, distributiva 125 126; — regulae ad discernendam subiecti 127, et praedicati suppositionem 128.
Suspicio 311 417.
Syllogismus 223; — praemissae, extremum maius et minus, conclusio, consequentia 224; — formatus, informis 224; — condicionalis 256 ad 258; — compositus, complexus, simplex 254 266; — coniunctivus 260; — disiunctivus 259; — hypotheticus 255 sq 261 sq; — modalis 267 sq; — perfectus, imperfectus 250 sq; — pseudographus et sophisticus 320 sq; — syllogismi regulae octo generales 225 sq; — figurae quot 231 sq; — earum regulae 237 sq 244; — modi 235 242; — rectitudo et veritas 218—221; — syllogismus et inductio 294 sq.
Sylvester Maurus, v. Maurus.
Synonyma 101.
Synthesis 74 137; — in methodo definitionis 149; — in methodo generatim 331 sq.
Synthetica iudicia Kantii (a priori) 606.
Systema philosophicum qua ratione diiudicandum 397.
Systema scientiae 376 sq; — eius fundamenta 380; — structura 381.

Tempus sec. Kant 600 616.
Termini medii inventio 357 sq; — ad extrema relatio 358; — regulae 225 sq.
Terminus mentalis, v. conceptus.
Terminus externus 105 sq; — *partitiones:* absolutus et conotativus 116; — abstractus, concretus 118; — aequivocus, analogus, univocus 114; — categorematicus, syncategorematicus 113; — collectivus, distributivus,

communis, proprius 119; — complexus, incomplexus (simplex) 117; — explicativus, restrictivus 117; — inanis et significans 113; — incidens et principalis 117; — infinitus 115; — fixus et vagus 113; — negativus, positivus 115; — particularis, singularis, universalis 120; — transcendentalis 84.

Termini alienatio 131; — ampliatio 130; — appellatio 129; — diminutio 131; — distractio 130; — restrictio et remotio 131; — status 130; — suppositio v. h. 121 sq.

Tertia mentis operatio 217 sq.

Tertullianus 2 524 705.

Testimonium 708 sq; — divinum, humanum 714 715; — dogmaticum 715; — historicum 715; — formale et materiale 727; — scientificum 717 sq; — eius certitudo 713 718 sq, — interpretatio 730; — scriptum 726 sq.

Testis 711 715; — unus et consensus 723.

Theologia 3 4; — naturalis 11 14 19; — theologiae supernaturalis relatio ad philosophiam 30 sq; — transcendentalis 17.

Thomas Aquinas: accidens logicum et metaphysicum 91 686; — activa et factiva scientia 17; — affirmatio et negatio 154 165; — analysis et synthesis 330 335 343; — apprehensio 75; — eius veritas 822; — ars et logica 53 382 393; — argumentum 222; — assimilatio in cognitione 545 546; — auctoritas 354 355 356 709 719; — Averroes depravator philosophiae 634; — — Avicennae realismus exaggeratus 621; — axioma (dignitas) 665;

certitudo 420; — et evidentia 809; principiorum et scientiae 468; — cognitio quid 511 (differentia cognoscentium a non cognoscentibus); — cognitio, eius gradus (scala) 31 71; — perfecta et imperfecta (in communi) 678 682; — cognitio sensuum (immediata) 561; — compositio et divisio in iudicio nostro 153; — conscientia et reflexio perfecta et imperfecta 576; — contingens continet necessarium (essentiam) 610; — credere 711;

deductio 291; — definitio 140 146 147 365; — Democritus 431; — demonstratio est ex indemonstrabilibus principiis 280 282; — a priori, a posteriori 287; — indirecta 471; — probabilis 319; — Deus auctor et fons omnis veri ideoque verum non contradicit vero 35 813; — Dei cognitio 31; — dialectica est scientia 56; — disciplina et doctrina 347; — eius necessitas, utilitas 382 383 403 404; — discursus 674 675; — dubitatio 417; — methodica 352;

ens reale et rationis 643; — error per accidens in sensibili per accidens, non in proprio per se 572; — quo sensu voluntarius et peccatum 849 850; — experimentum 300 585;

fides et scientia 710 786; — fidei excellentia 714; — fides divina non pugnare potest cum ratione; obiectiones contra fidem sunt argumenta solubilia 36; — figura syllogismi 231;

historiae usus in philosophia 354 355 356; — de historica critica 727; — hypothesis (probabilis) 310 312;

identitas subiecti et praedicati qualis 648; — imagines ad iuvandam memoriam 393; — inclinatio naturalis potentiae ad actum et obiectum, intellectus ad verum 697; — inductionis necessitas 338; — infallibilitas (per se) cognitionis 485 597; intellectus et ratio 217; — intentio cognoscitiva 75; — inventio 347; — termini medii 359; — iudicium naturale, formale 153;

lex naturalis 342; — logica primo discenda 18 53 67, necessaria 61, eius divisio 69; — locutio 108; — necessaria 109;

memoria iuvanda 393 585; — metaphysica de Deo ultima pars philosophiae 19; — methodus rationalis et experientia 343;

naturalis et accidentalis rei nota 686; — necessarium in contingente 610; — notum per se, quoad se et quoad nos 288;

obiectum materiale et formale cognitionis 21; — observatio 300; — oratio: deprecativa, dubitativa, enuntiativa, imperativa, indicativa, interrogativa, optativa, suppositiva, vocativa 159; — ordo (quadruplex) 16; — logicus et ontologicus 287; — opinio 418;

paralogismus 320; — per se et per accidens 410; — phantasia, phantasma 583; — philosophiae excellentia 7, partitio 11, usus in

theologia 43 44; — Plato 621 632; — praedicatio materialis et formalis 648; — principia 380, — sunt scientiae semina et fundamenta 666, necessario vera, indemonstrabilia 280 282 283, communia 284, essendi et cognoscendi 287; — unde hauriantur 341; — Protagoras 429; — prudentia 585;
quaestio 348 349 350 351;
rationis lumen a Deo et ab ipso iuvandum 390; — realismus extremus (Platonis) 621 632; — reflexio perfecta et imperfecta 576; — relativismus 455;
sapientia 4; — scepticismus 429; — scientia 416, eius certitudo ex principiis 468, principia 380, scientiarum subordinatio 23; — scriptura 111; — sensibile: triplex 504 535, proprium 571, per se et per accidens 543 568 570, est in ipsis rebus 552; — sensus externus (passivus) 503; — sensuum finis duplex 567 573; — sensus et intellectus 547 833; — sensus naturae communis 697 704; — sonus 549; — sophisma 320; — species sensibilis est medium quo 561; — subiectivismus 429; — syllogismi figura 231, syllogismus modalis, de contingente 271, de necessario 268;
totum universale et potentiale 135;
universale fundatur in rebus 85 622;
eius materia et forma 642;
vocabula orationis partes 112, eorum significatio 110; — de veritate 816 821 822; de veritate sensus 833; — voluntatis influxus in errorem 846.
Thomas a Kempen: definitio sapientiae 1.
Thucydides 727.
Thüssing J. 161.
Timon Phliasius 426.
Toletus 359.
Tongiorgi 28 309 317 391 408 728 732.
Topica 357 sq.
Totum 133 sq; — physicum, metaphysicum, essentiale, integrale, artificiale, morale, homogeneum, heterogeneum 134; — universale potentiale (potestativum) 135.
Traditio historia 718 sq.
Traditionalismus 6 431 772 783 sq.
Transcendens ex mente Kantii 599.
Transcendentalia 84.
Transcendentalis idealismus 599; — realismus 506.
Transformismus 432 451.
Transitus a dicto simpliciter ad dictum secundum quid 322; — a subiecto ad subiectum 215; — ad aliud genus 322.
Transobiectivismus 562.
Trendelenburg: argumentum indirectum 304; — de certitudinis motivo 809; — cognitionis natura 45; — demonstratio (διότι) 348; — enthymema 273; — logica Aristotelis non mere formalistica 65; — negatio 668; — obiectum et subiectum scientiae 377; — philosophiae divisio 17; — praedicatio 162; — quaestio 351; ratiocinium 680; — subiectivismum non sat cavet 506. Praeterea passim 143 190 203 204 297 310 331 376 614.

Ubaghs 229 441.
Ueberweg Fr.: aequipollentia 199; — auctoritas et aliorum scientia non neglegenda 356; — hypothesis 310 315; — inductio et syllogismus 290; — iudicia composita et complexa 183; — logicae definitio 54; — eius divisio 66; — philosophiae definitio 5; — principium contradictionis demonstrari vult 480; — sensuum cognitio 582; — syllogismi figurae et modi 236; — syllogismi vis 236. Praeterea passim 65 77 203 245 268 276 313 376 542.
Ulrici H. 67 94.
Unitas naturae sive essentiae triplex 649; — unitas essentialis 659.
Universale 84 sq 618 sq; — abstractum et concretum 646; — directum et reflexum, intentionis 1ae et 2ae 85 sq 644 sq 656; — logicum et metaphysicum 85 86 644 645; — in causando, essendo, praedicando (repaesentando, significando) 640; — platonicum 632 sq; — realisticum sive formalisticum 635 sq; — ex mente Scoti 651; — universalium aeternitas 639; — universalia sunt obiectum scientiae 638; — nulla res est ex parte sua universalis 632 sq.
Universalitas et necessitas iudiciorum analyticorum 665; — metaphysica, physica, moralis 170.
Universalitatis fictae fallacia 323.
Univoca, aequivoca, analoga 99 114 641.
Urráburu 822.
Utile: ut criterium veritatis 796 sq; — utile et verum 800.

Vaihinger 796.
Vaissière, de la 541 544.
Vallet 229 393 684.
Van der Aa 318.
Van Heusde 353.
Vazquez 822.
Vaticanum Concilium 35.
Ventura Ioach. 783.
Veracitas conscientiae 574 sq; — intellectus 484 sq 660 sq; — ratiocinii 670 sq; — sensus externi 502 sq; — sensus naturae communis 697 sq; — testimonii 718 sq.
Veritas: cognitionis est obiectum logicae 52 63 64; — absoluta et relativa 445 sq;
— *logica* 816; — eius definitio 817; — gradus 834 sq; — qua ratione insit in sensu 833 838; — in apprehensione 822 sq; — in iudicio 826 sq; — in enuntiabili 831; — in termino (simplici) 825; — *moralis* 817; — *sermonis* logica et moralis 821 832; — practica et speculativa (theoretica); falsa huius divisionis explanatio Kantii et modernorum 744 sq; Pomponatii 37; — propositionum compositarum, v. eas singulas. — Veritas veritati numquam contraria 35.
Veritates primitivae 471 sq.
Vigilia et somnium 463.
Vocabulum (vox) 108; — vocabula sunt signa arbitraria 109; — manifestativa conceptuum loquentis et signa suppositiva rerum 110; — vocabulorum diversitas 112; — necessitas 109; — ortus 109; — usus 391 402; — significatio primitiva 110; — quo sensu ad obiectum logicae pertineant 49.
Vogt P. 300.
Volkelt 798.
Voluntarismus 29 431.
Voluntas: eius vis in cognitionem 837 888 sq; — eius interventus in errore 849 850.
Vox 108.

Weise Chr. 245.
Whewell W. 690.
Willems 822.
Willmann O. 545.
Windelband 6.
Wolf F. A. 727.
Wolff Chr.: definitio 152; — logicae definitio 54; — de methodo 336; — philosophiae definitio 6; — illationes immediatas putat esse syllogismos hypotheticos mutilatos 211; — syllogismos quot distinxerit 254; — de inductione errat 296 297 687; — auctoritas et potestas standi suo iudicio 403.
Wundt: de algorithmo 345 346; — de copula 162; — determinismus psychologicus 788; — de impersonali iudicio 161; — de affirmativo et negativo iudicio 166; — de hypothesi 310; — de methodo 340; — de theoria et hypothesi 315; — de qualitatibus sensibilibus 539 543; — de substantia errat 568.

Xenocrates 16.

Zeller 65 494.
Zeno stoicus 431.
Ziehen Th. 428.
Zigliara, Card. 321 706 855.
Zimmermann O. 391.

Errata.

p. 54 lin. 10 loco n. 198 lege n. 168.
p. 117 lin. 13 loco „cessat;“ lege: ; cessat
p. 150 lin. 13 loco „figuras mutari“ lege: figuras neque mutari
p. 203 lin. 13 loco n. 695 lege n. 684 sq.
p. 206 lin. 20 loco n. 749 lege n. 732.
p. 225 lin. 9 ab infra loco „quorum“ lege: quorum ope
p. 316 ad finem notae 1ae adde: *R. Richter*, Der Skeptizismus in der Philosophie II 150.
p. 388 lin. 2 ab infra loco n. 559 lege n. 536.
p. 395 lin. 18 loco n. 557 lege n. 560.
p. 406 nota 2 loco „in l. 3 de anal. l. 9“ lege: in l. 3 de anima l. 8.
p. 576 lin. 6 loco „saltem valore“ lege: saltem negato valore
p. 606 lin. 6 ab infra loco n. 725 lege n. 710.
p. 613 nota 1 loco „VII Einleitung“ lege: Einleitung VII.
p. 636 lin. 19 loco „iudicium est“ lege: iudicium est imago; *atqui* omnis imago est

6582 100 P53
Pesch Tilmannus, S.J.
AUTHOR
Institutiones Logicae et O
TITLE Ontologicae